DISPUTATIONUM PHILOSOPHICARUM PARS SECUNDA IN QUA CUM SCOTISTIS, &…

Francesco : da Faenza



DISPVTATIONVM PHILOSOPHICARVM

PARS SECVNDA

In qua cum Scotistis, & alijs Auctoribus, quos Meldulensis, & Catanensis sequuntur præcipuè disputatur

AVCTORE
F. FRANCISCO PONTELONGO
DE FAVENTIA
Ord. Min. Con. S. Francisci, Art. & Sac. Theol. Doctore, S. Officij Consultore, olim in Augusto S. Antonij Patauino Collegio Regente, necnon Eminentissimi, ac Reuerendissimi CARDINALIS CENINI Theologo

Serenissimo Principi
RINALDO ESTENSI
DICATA.

S. Mariæ de Scala



PATAVII, Apud Io: Baptistam Pasquati, MDCLXII.
Superiorum permissu.

Serenissimo Principi

RINALDO ESTENSI

DVCIS FRANCISCI, ET LVCRETIÆ BARBERINÆ Filio

In angusto corpore Augusto, & adhuc paruulo Heroi

ELOGIVM.

Probatum Aquilæ Partum
Multiformis virtutis Apiarium
Virtutis Patriæ Hæredem
Serenissimum Principem RINALDVM
Vt olim Apes in Vrbe, admiretur stupidus Orbis
Galli Iouis Armigera
Volatura indeficiens ad Astra;
Nè videretur Occasu defecisse,
Dum prælio cæsa lucrum putabat pro suo Ioue mori,
Vltimam dedit in parua prole manum;
Vltimum fecit in hoc Heroe conatum.
Virtutum omnium exemplar,
Suorum operum Coronidem;
Digniorem sui capitis coronam
Nobile pignus suæ virtutis dedit.
Virum dedit, non puerum,
Quia nunquam pueri, semper Alcides in virtute Heroes;
Puer non est, qui viriliter se gerit.
Viri censentur magna virtute præditi;

In

In ipſo lucis aſpectu
Induit virum, qui naſcitur Armatus;
Vir non Lacænæ, ſed Romanæ Partus
Natus ad Sceptrum, quia familiaris Purpuræ.
FRANCISCI Patris induſtriam,
LVCRETIÆ Matris æmulans ſolertiam,
RINALDI nomen virtute lucraturus,
Non niſi magna adhuc paruulus molitur.
Fortes Aquilæ non generant Columbas:
Deſides pellunt, & otioſas Apes:
Agere, & pati fortia Romanum.
Hunc Puerum caueant Aquilæ degeneres
Nàm etiam Pueri ſunt cauendi Cæſares.
Tenellus Puer angues contriuit Hercules.
Verè Aquila lucis probata radio:
Quia in lucis gremio nutrita,
Lucinæ obſequio protecta,
LVCRETIAM habens pro Matre,
Lucem habet pro ſphæra.
Sederunt Apes in Aquila,
Sedebit Aquila in Apibus
Vigebunt Apes in Lilijs
Mutabunt Aquilę Caſtra
Firma erit ESTENSIVM fortuna
Huius Aquilæ occurſu
Protectus & prouocatus ad volandum,
Vt olim Alba Pythagoras
Apes in Aquila, & Aquilam habens in Clypeo
Fortunam ſibi ſpondet amicam.
F. Franciſcus Pontelongus de Fauentia
Ord. Min. Con. Sac. Theol. Doctor.

SERENISSIMO PRINCIPI
RINALDO ESTENSI
Præclarissimæ Indolis Infanti

Auctor felicitatem.



AEcutiunt, qui ante Solis iubar lumen acuere arbitrantur. Non omnibus datur Aquilarum ausus, Icarius verò plerisq; datur sed procul timor. Candido alite iter licet arduum tutò ingredior Estensem ante Solem in ortu meridianos nitores pandentem, Duce Alba Estensium Aue, venerabundus procumbo. Hac adiuuante, Tuam, Maximè Puer, admiror serenitatem, qua nullum expauescit Occasum, & nunquam Eclipsim passura lucis exerit vbique crepundia. Te miror vel in molli ætate philosophari, quando Sapientiorum cursus ignea mentis celeritate prauertis. Tibi igitur tàm prosperè philosophanti, Philosophicus debebatur cursus; Tuoque graui licet imbellis maiestatis supercilio, grauia quoque Lycæi erant nuncupanda certamina. Nec vereor, Serenissime Infans. Te ex amænis tuæ florescentis ætatis præstigijs in amæna sophiæ sinticeta ægrè pedem esse illaturum, cum pubescentes Alexandri Stagirais æquo animo aures præstent præceptis. Non in etorto lumine hæc auguror esse excepturum, cum philosophandum Regibus esse non ignores. Non Te erudíturus, qui satis adhuc Puer Orbem erudis; sed vt obseruantiæ symbolum, vt seruitutis tesseram Tibi exhibeam, has philosophicas Tibi deuoueo assertiones; inter tuarum crescentem in dies magis litterarum supellectilem, has quoque recondé; Et quamuis gigantæis gressibus maiorum Tuorum vestigia premens, ad ipsam euoles perennitatem

nitatem

nitatem, non dedignare in his perlegendis paulisper immorari. Non erubuit Inuictissimus Genitor Tuus FRANCISCVS inter castrorum fremitus, atque bellorum turbines, exhantlatis diuturnis laboribus, grauiora Sophorum opera interdum pertractare; Et sæpè in aculeatis Sophiæ acuminibus, acumina, quibus Hostem transuerberaret, inuenit. De Auis, Atauisque Tuis in Aula, Lyceoque clarissimis plurima dicerem, ni tot Annalium loquerentur monumenta, & Heroica illorum gesta imitari, quam audire malles. Esto igitur Tutelare huius operis veluti Numen, & egenam Philosophicam Tuo tandem insigni Syrmate obtege. Deusque optimus maximus iuxta commune totius Europæ votum Te sospitet, vt Estensis Domus luctum per bina Serenissimorum Ducum funera contractum minuere valeat, mærorisque squallorem detergat, in RAYNALDO Heroicam FRANCISCI Maiestatem spectans rediuiuam.

Pat. Kal. Nou. 1662.

AD LECTOREM.

ACcipe, Lector humanissime, hanc meam secundam partem Philosophię, quæ ab hinc annis iam quinque in lucem prodijsset, nisi tenebrę eam abhorruissent; non enim desuerunt, qui hanc meam doctrinam parùm candidè alijs tribuere, & retardare concupierunt: responsiones silentio inuoluuntur, quia victmâ longè melior obedientia. Pergam tamen verum Scotum toto animo capessere, non liuore, sed veritate, & charitate ductus, Scoticas veritates declarare, falsa, quæ ei imputantur repellere, vt principia Scotica, quę obliuionis caligine teguntur, in lucem redeant. Disputandum est acrius contra Scotistas, qui aliũ Scotum inuenere, ne Doctores alterius scholæ credant Scotum impugnare, dum sententias, Scotizantium operibus insitas, oppugnant; nam opus est legere, & perlegere Doctores, quos impugnamus, vel profite-

fitemur; non autem in fide aliorum impugnare, & profiteri, quodque peius est sequaces Magistri dogmata contemnunt; horum enim plerique dum se malle sequi rationem, quàm Aristotelem, & Scotum affirmant, irrationabilem doctrinam faciunt, quam se tenere arbitrantur: quin multi, & ferè omnes in hoc sæculo Aristotelem, Tho: Sco: Henricum, & proprios Doctores Clasicos reliquerunt, vt possint aerem verberare, & totum vitę cursum contemnere in controuertendis principijs, quæ debent supponere, vt nunquam possint concludere, & scire. Indifferenti igitur animo hanc meam secundam partem, qui legis, iudica, tertiam, & quartam, Dei beneficio, iam elucubratas, & pręlo propediem subijciendas iudicaturus. Vale.

INDEX DISPVTATIONVM, & Conclusionum in hoc Opere Contentarum.

Disputatio Prima de Continuo.

Disputatio Secunda De Infinito

Disputatio Tertia De Loco

Disputatio Quarta de Vacuo.

Disputatio quinta de Duratione in communi.

Dispu-

Disputatio Sexta De Tempore.

Disputatio Septima De Inceptiore, & Desitione creatuarum

Disputatio Octaua De motu.

5 Con-

VT secunda pars disputationum Authore adm. R. P. Magistro Francisco Pontelongo Ord. Min. Con. in Via Scoti imprimi possit, cum nihil in ea sit repertum, quod fidei Catholicæ, & Sacris Canonibus repugnet, facultatem concedimus. Datum Paduæ ex Aedibus Sanctæ Inquisitionis die prima Ianuarij. 1660.

Fr. Io: de Angelis Inquisitor Generalis Paduæ.

NOI REFORMATORI DELLO STVDIO DI PADOA.

HAuendo osseruato per fede del P. Inquisitore non esserui nel Libro intitolato Secunda Parte Disputationum Philosophicarum in via Scoti Auctore Fr. Francisco Pontelongo de car. 263. cosa contro la Santa Fede, e parimente per attestato del Segretario Nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi concedemo licenza, che possi esser stampato, osseruandosi gl' Ordini, e douendo esserne presentate due copie per le Publiche Librarie di Padoa, e di questa Città

Dat. in Mag. Nostro li 3. Gen. 1660.

(GIO: DONATO Reff.
(ANDREA PISANI Proc. Reff.
(

Alem Ang. Donini Seg.

Disputatio Prima de Continuo.

MIserabilis intellectus humani præsens conditio est, vt sine distinctione ad acquirendas scientias percurrat, impura intelligat, implicatas facultates, confusas doctrinas respiciat; videmus in logica metaphysicam, in physica Theologiam, & omnes scientias à Philosophis distinctas, permixtas esse. Nolui in logica Prædicamenta tradere, ne vt quamplurimi faciunt idem millies repeterem; sed quia aliquando contingit cum alijs errare, hic de continuo pertractare conabor, cuius tamen exacta consideratio ad metaphysicum spectat. Supponenda etiam esset aliqualis cognitio continui, quæ minima ad alia, quæ inde pertractanda sunt, sufficeret; sed nunc errare volo, ne verus modus tradendi philosophiam maximus error appareat errantibus.

CONCLVSIO PRIMA.

Continuum permanens est illud, quod habet partes in toto ordinatas ad vnum terminum copu[illegible]

Est Aristotelis cap. de quantitate, & Sco. 4. d. 49. q. 16. D. §. Præterea ad diffinitionem dimensiuæ quantitatis & 4. d. x. q. 1. M.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

MEld. & Cat. disp. 9. phys. q. 1. art. 1. sustinent essentiam quantitatis continuæ consistere in immediata exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad eundem locum; ita quòd ex ipsis loco cit. num. 9. quantitas non est aliud, quàm forma quædam accidentalis absoluta, quæ superueniens substantiæ, quæ de se erat capax extensionis lo- *Opinio Meld. & Cat.*

A calis

calis sine repugnantia ad penetrationem, eam reddit capacem, immò naturaliter exigitiuam extensionis impenetrabilis; Vnde, dicunt ipsi, non differt quantitas à substantia, vel qualitate corporea per habere plures partes extra partes etiam in loco, sed per habere tales partes, quæ suapte natura sunt incompossibiles in eodem loco, quales non sunt neque partes substantiæ, neque partes qualitatis, quia licet sint capaces extensionis localis, & iuxta naturalem earum extensionem quodammodò petant vnam esse extra aliam, etiam in loco; non tamen est talis exigentia, & necessitas, vt oppositum, etiam sine miraculo, contingere nequeat, sicut est de partibus quantitatis.

Quare isti Scriptores asserentes essentiam quantitatis consistere in extreitate partium impenetrabilium in eodem loco, declarant huiusmodi extreitatem partium non esse simpliciter essentiam quantitatis, sed circumscribere talem quantitatis essentiam, & melius, quàm per alias quantitatis passiones, cum impenetrabilitas sit prima passio quantitatis: Vndè reijciunt alios modos circumscribentes essentiam quantitatis.

Sed primo videamus, quàm sint friuoli, inconstantes, [redacted] in confutationibus suis, ne studiosi Scotistæ decipiantur, & postea eorum assertionem tanquàm minus probabilem ostendam.

Meld. & Cat. confutant quantitatem nõ consistere essentialiter in ratione mẽsuræ, & diuisibilitatis.

Primus modus constituit essentiam quantitatis in ratione mensuræ, & diuisibilitatis.

Hunc modum confutant tali pacto. Primo: Passio mensuræ, & diuisibilitatis sunt passiones quantitatis; ergo in eis non potest consistere essentia quantitatis.

Retorquetur eorum argum.

Retorqueo argumentum; Impenetrabilitas in eodem loco est passio, vel effectus primarius quantitatis, etiam secundum istos Scriptores; ergo essentia quantitatis non potest consistere in impenetrabilitate, ergo confutando alios, contra seipsos arguunt.

Præ-

Præterea arguo contra ipsos ad hominem. Quando à priori ratio formalis rei dignosci non poteſt, tunc inueſtigari debet à poſteriori, recurrendo ad aliquem effectum, ita proprium illius rei, vt non ab alia re oriatur. Hæc maior eſt ipſorum in hoc articulo num. 9. ſed ratio formalis quantitatis à priori dignoſci non poteſt, vt patet ex ipſis loco cit. ergo recurrendum eſt ad aliquem effectum, & paſſionem propriam, quæ ab alia re non oriatur; ſed ratio menſuræ, & diuiſibilitas ſunt paſſiones quantitatis, vt patet in eorum argumento, & loquuntur de paſſione propria quarto modo, & per conſequens ab alia re non oriuntur, ergo ad inueſtigandam rationem formalem quantitatis à poſteriori poſſumus recurrere ad rationem menſuræ, & ad diuiſibilitatem, ſi ſunt quantitatis paſſiones; ergo vel ipſi malè probant eorum concluſionem, vel eorum confutatio omninò eſt vana. *Argumentum ad hominem.*

Secundò confutant prædictum modum tali pacto. Ideò quantitas eſt diuiſibilis inſtrumento corporeo, quia habet plures partes ad inuicem incompoſſibiles in eodem ſpatio; ergo tàm ratio menſuræ, quàm diuiſibilitatis non poteſt eſſe in quantitate prima omninò ratio, quia quantitatem habere partes, eſt prius, quàm eſſe menſuratiuam, & diuiſibilem. Ad ſummum igitur poterit à poſteriori per huiusmodi affectiones eſſentia quantitatis circumſcribi, & ita facit Philoſophus in 5. met. cap. 13 dū deſcripſit quantitatem per diuiſibilitatem dicens: quantum eſſe diuiſibile in ea, quæ inſunt, vt notat Antonius Andreas. Hæc illi. *2. Meld. et Cat. confutant.*

Retorqueo argumentum. Deſcribentes eſſentiam quantitatis per impenetrabilitatem in eodem loco ad ſummum circumſcribunt eſſentiam quantitatis à poſteriori, quia impenetrabilitas eſt paſſio ſecundum ipſos, vel effectus primarius quantitatis; ergo ſi debent confutari, & malè faciunt deſcribentes eſſentiam quantitatis à poſteriori per paſſiones eius: iſti Scriptores malè faciunt, & confu- *Retorquetur confutatio.*

tandi sunt describentes essentiam quantitatis per impenetrabilitatem à posteriori, vt Aduersarij faciunt.

Retorquetur 2. Præterea secundò retorqueo argumentum. Prius est quantitatem habere partes, quàm illas partes esse impenetrabiles, quia passio est posterior natura ipso subiecto: & impenetrabilitas in partibus quantitatis consequitur essentiam partium; ergo impenetrabilitas in ordine ad locum non est prima ratio in quantitate.

Confutatio Meld. & Cat. vana. Præterea confutatio eorum est omninò vana, quia passiones immediatè pullulant ab essentia rei, & vna passio non potest demonstrari per aliam, sed tantum per essentiam, à qua pullulant, & emanant; sed ratio mensuræ, & diuisibilitatis, & impenetrabilitas per Aduersarios sunt quantitatis passiones; ergo immediatè pullulant ab essentia quantitatis; ergo vna non potest esse ratio alterius, sed tantùm essentia quantitatis; ergo quantitas non erit diuisibilis, nec habebit rationem mensuræ, quia impenetrabilis: Homo enim non est disciplinæ capax, quia risibilis, sed quia animal rationale. Et si aliquandò contingat rationem formalem subiecti esse ignotam, æqualiter vna passio poterit esse medium ad demonstrandum aliam passionem de subiecto; Vnde potest dici, ignorata essentia quantitatis, quòd quantitas est diuisibilis, quia impenetrabilis, & impenetrabilis, quia diuisibilis, si impenetrabilitas esset passio quantitatis, quod non videtur.

2. modus confutatur à Meld. & Cat. sed confutatio vana. Secundus modus asserit essentiam quantitatis consistere in habere partem extra partem.

Hunc modum confutant Meld. & Cat. loco cit. num. 4. eo quia etiam substantia habet huiusmodi partes: sed quòd hoc sit falsum, videbimus in conclusione propria de substantia sine quantitate.

3. modus coincidit cum sententia Aucto- Tertius modus asserit essentiam quantitatis consistere in extreitate partium dicentium ordinem ad totum, qui ordo dici ur situs de genere quantitatis; sed quia iste modus

coin-

coincidit cum mea conclusione ex Sco. loco superius cit. Ad rationes Aduersariorum Scotizantium contra Scotum arguentium, respondebo.

Quartus modus asserit essentiam quantitatis consistere in actuali extensione locali. Hic modus est falsus, & solùm rectè reiicitur per hoc, quòd quantitas potest esse sine actuali extensione locali, vt patet de corpore Christi in Sacramento Altaris. *4. modus est falsus. sed malè à Meld. & Cat confutatur.*

Sed à Meld. & Cat. diuersis rationibus malè confutatur. Dicunt enim num. 7. in fine, quòd iste modus est falsus, quia licet quantitas ponatur ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptiuè, non tamen ponitur ratio formalis, & actualis.

Contra. Si quantitas non esset ratio essendi actualiter in loco circumscriptiuè; ergo aliquid posset esse hoc modo actualiter in loco sine quantitate; ergo substantia, quæ secundum ipsos extenditur in loco, erit in loco actualiter circumscriptiuè, quod est falsum, quia aliquid est in loco actuali circumscriptiuè, quia habet quantitatem, etiam secundum Aduersarios. *Auctor arguit contra Meld. & Cat.*

Vltimò confutant hunc modum, quia quantitas est accidens absolutum; ergo malè statuitur eius essentia in actuali ordine ad locum.

Retorqueo argumentum. Quantitas est accidens absolutum; ergo malè statuitur eius essentia, quòd consistat in exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad locum, quæ non est ens absolutum, vt dicunt isti Scriptores, qui arguentes alios, arguunt se ipsos. *Retorquetur confutatio Mel. & Cat.*

Quintus modus asserit essentiam quantitatis consistere in hoc, quòd sit quædam forma accidentalis, quæ dicat in substantia aptitudinalem extensionem, quę reddat substantiam diuisibilem in loco, qui modus ab Auersa sustinetur, & optimè. *5. modus.*

Hunc modum confutant Meld. & Cat. quia substantia

sine

Confutatio Meld. & Cat. sed vana.

sine quantitate habet præsentiam extensam, & diuisibilem in loco.

Contra. Diuisibilitas secundum ipsos in hoc art.num.3. in fine est passio quantitatis; ergo substantiæ non potest conuenire.

Prætereà non possunt negare; quod quantitas reddat substantiam diuisibilem quantitatiuè, & extensam quantitatiuè in loco; ergo in aptitudinali extensione, & diuisibilitate quantitatiua poterit constitui saltem à posteriori essentia quantitatis; latente enim vltima differentia, vtimur proprio.

In quo decipiuntur Meld. & Cat.

Sed illud, quod istos Scotistas decipit, est, quia malè sustinent in doctrina Scoti, substantiam materialem conuenire in diuisibilitate, extensione, & in omnibus cum quantitate præter hoc, quòd quantitas est naturaliter impenetrabilis in ordine ad locum, non sic substantia; sed sibi contradicunt, quia ibi num.8.asserunt substantiam naturaliter petere, vt vna pars eius sit extra aliam; ergo naturaliter petit, vt non penetretur, & sic faciunt substantiam esse quantitatem, latam, longam, profundam, & naturaliter impenetrabilem, quia sibi contradicentes, dicunt, quòd habere partem extra partem in loco extensiuè, & diuisibiliter est modus connaturalis substantiæ materialis; ergo vna substantia materialis naturaliter non poterit aliam substantiam penetrare, aliter partes substantiæ materialis per eandem rationem possunt se simul penetrare, quod est falsum, stante ista doctrina: quia tunc substantia materialis esset naturaliter sine suo modo connaturali, quod est falsissimum, aliter ille modus non esset connaturalis.

Modus Meld. & Cat. ostenditur minus probabilis.

Visis inualidis eorum confutationibus, ostendam modum Meld.& Cat. quo constituunt essentiam continui, esse minus probabilem; dicunt enim, quod essentia continui consistit in extreitate partium naturaliter impenetrabi-

bilium, ita quod tota differentia continui in impenetrabilitate consistit, quia falsò asserunt substantiam esse continuam, extensam, diuisibilem, sed non naturaliter impenetrabilem, sicuti est quantitas.

Sed hic eorum modus remanet ex iam dictis confutatus, nam reprehendunt eos, qui essentiam continui inuestigarunt, per eius proprietates, & à posteriori; & tamen isti Scriptores declarant eandem essentiam continui per impenetrabilitatem naturalem, quæ est effectus quantitatis, vt ipsi dicunt, & per consequens quantitate posterior; ergo non possunt declarare essentiam continui per impenetrabilitatem naturalem, nisi à posteriori.

Arguo tamen primò. Modum istorum esse minus probabilem. Melius explicatur essentia continui per aliquod, quod sibi competit simpliciter, quàm per illud quod competit sibi secundum quid; sed passiones continui, vt diuisibilitas, & mensuratiuitas, vel mensurabilitas competunt continuo simpliciter, quia à continuo sunt inseparabiles, impenetrabilitas verò competit ei secundum quid; ergo melius explicatur essentia quantitatis per rationem diuisibilitatis, & mensuræ, quàm per impenetrabilitatem naturalem; minor probatur. Ad simpliciter impossibile non est aliqua potentia actiua ex Sco. 4. d.49. q. 16.f. Sed Deus potest facere, quòd corpus penetretur; ergo corpus non est simpliciter impenetrabile, sicut est simpliciter diuisibile, & mensuratiuum, seu mensurabile; ergo melius explicatur essentia continui per rationem diuisibilitatis, & mensuræ, supponendo, vt ipsi supponunt, has rationes esse continui passiones, quàm per impenetrabilitatem naturalem. *1. Improbatur.*

Secundò, Melius est, vt positiuum explicetur per positiuum, quàm per negatiuum, sed quantitas est ens positiuum, & omnes modi à Meld. & Cat. confutati explicant quantitatem per positiuum: Meld. verò, & Cat. per negatiuum; *2. comprobatur.*

uum; ergo modi ab istis confutati melius explicant essentiam quantitatis, quàm modus Meld. & Cat. Maior clara est: Minor probatur. Omnes illi modi explicant essentiam quantitatis per passiones quantitatis, vel per alias relationes, vt videre est, quæ omnia sunt entia positiua; sed Meld. & Cat. explicant essentiam quantitatis per impenetrabilitatem naturalem, quæ est negatio, qua corpus naturaliter non potest coexistere alteri corpori in eodem loco, sicut penetrabilitas nihil aliud est, quàm possibilitas ad coexistendum alteri corpori in eodem loco; ergo modus explicandi essentiam quantitatis Meld. & Cat. est minus probabilis.

3. comprobatur. Tertiò arguitur ab alijs contra Meld. & Cat. Prior est in quantitate ratio replendi locum, quàm ratio expellendi aliam quantitatem, ideò enim expellit, quia occupat, & replet locum: ergo melius explicatur quantitas per virtutem occupatiuam, quàm expulsiuam; quæ est impenetrabilitas, vel radix illius.

Respōsio Meld. & Cat. Respondent num. 17 Rationem replendi, & occupandi in quantitate esse priorem ratione expellendi, seu impenetrabilitate prioritate vniuersalitatis; quia ceteris rebus corporeis etiam conuenit, sicut animal in homine dicitur prius rationalitate, non tamen prioritate causalitatis, non enim absolutè verum est vnam quantitatem expellere aliã, quia locum replet, sed cum addito, quia locum replet impenetrabiliter; vnde impenetrabilitas se habet veluti ratio specifica contrahens rationem replendi locum rebus omnibus corporei conuenientem, & ideò distinctius per ipsam explicatur ratio quantitatis specifica.

Cõfutatur ab Auct. Sed hæc responsio est contra Sco. 4. d. 49. q. 16. B. quia isti Doctores habent falsum fundamentum, sustinent enim omnes res corporeas, & materiales, seclusa quantitate, replere locum, quo posito, inferunt hoc falsum in via Sco. impenetrabilitatem. s. esse rationem specificam contrahen-

tem

sem rationem replendi locum; Et ego probo in sua ipsorum, & Scoti impenetrabilitatem nihil addere rationi replendi locum. Sic formo ratione m efficacissimam.

Impenetrabilitas nihil aliud est, quam repugnantia duorum corporum coexistendi in eodem loco ex ipsis in hoc art.num.13. sed vnum corpus non repugnat alteri in eodem loco, nisi quia est repletiuum loci naturaliter quantum natus est repleri ex Scot.4. d 49. q.16. B. quem locum ipsi citant, sed non intelligunt; ergo impenetrabilitas nihil aliud est, quam ratio replendi locum; ergo falsum est, quod impenetrabilitas sit ratio contrahens rationem replendi locum, sic enim vna quantitas non repugnaret tantum virtualiter, & ratione effectus, vt dicit Sco. loc. cit. vbi habet hæc verba. *Sed in proposito inter dimensionem, & dimensionem non est repugnantia formalis, quia talis non est, nisi quo ad idem subiectum, non autem sunt in eodem subiecto, nec formaliter etiam, quia quanta non repugnant formaliter; Si ergo sunt repugnantia hoc non est, nisi respectu loci ex eo scilicet, quod locus est spatium capax corporis, sed vnum corpus replet locum vnum quantum natus est repleri; ergo aliud corpus quò ad hoc opponitur sibi, quia non potest habere effectum illum in illo loco, quia vt est probatum, est repletiuum eius quantum natus est repleri, patet ergo quod non est oppositio, vel repugnantia formalis, quia non in eodem subiecto, nihil enim vnum informatur ab eis; Est ergo tantum oppositio virtualis in quantum effectus vnius causæ, qui est repletio loci eo modo quo quantitas habet efficaciam, vel efficientiam respectu effectus, qui est esse in loco repletiuè, opponitur alteri causæ naturali; ergo non repugnat corpori esse cum alio corpore, nisi quia est repletiuum loci naturaliter quantum aptus natus est impleri, sed quia iam repletum est, non potest ibi esse.* Hæc Sco: quomodo igitur isti Doctores possunt asserere essentiam quantitatis completiuè in impenetrabilitate consistere, si nesciunt quid sit impenetrabilitas?

Posita hac doctrina Sco: nullus Scotista potest rectè ponere extensionem in loco, & repletionem in rebus, seclusa quantitate, & ponentes repletionem loci sine quantitate, tenentur ponere impenetrabilitatem sine quantitate.

Sententia Auctoris. Caput Secundum:

Continuum permanens est illud, quod habet partes in toto ordinatas ad vnum terminum copulatas.

Est Aristotelis cap. de quantitate, & Sco. 4. d. 49. q. 16. D. §. Præterea ad deffinitionem dimensiuæ quantitatis & 4. d. x. q. 1. M.

quotuplex & quid sit quantitas. PRo cuius declaratione notatur primo, quod quantitas continua ex Arist. cap. de quantitate est duplex. Permanens, & successiua; quantitas permanens est cuius partes sunt simul, successiua verò cuius partes non sunt simul, sed vna alteri succedit; partes enim lineæ, superficiei, & corporis sunt simul, sed partes temporis, & motus non, sed vna aduenit, altera recedente; sed an quantitas successiua sit per se quantitas, vel non, dicetur in Metaphysica, & cum sit in hoc diuersitas dicendi, & omnes concedant quantitatem permanentem continuam esse per se quantitatem, de hoc continuo tantum permanenti erit sermo in præsenti; quòd Continuum ideò dicitur continuum, quia habet partes continuatas, & per aliquem terminum copulatas, quæ partes dicunt necessariò ordinem ad totum, qui ordo dicitur situs de prædicamento quantitatis circumscribens differentiam essentialem continui permanentis, per quam à successiuo essentialiter differt, vt patet ex Arist. in prædicamento de quantitate, & ex Sco. 4. loco superius citato. Ad quem situm requiritur permanentia, continuatio. & ordo partium; Et licet hic situs de genere quantitatis sit relatio, & quantitas quid absolutum, attamen ponitur differentia quantita-

tis.

tis, quia illam circumscribit, sicuti mugibilitas, quæ est relatio aptitudinalis stat pro differentia Bouis, & quælibet passio, latente vltima differentia.

quotuplex situs, & quid sit.

Secundo notatur, quod situs est duplex scilicet de prædicamento quantitatis, & de prædicamento situs; Situs de prædicamento quantitatis est ordo partium per aliquem terminum continuatarum, & simul existentium ad suum totum; vnde licet partes temporis, & motus continuerentur; tamen quia non simul sunt, ordo istarum partium, per quem vna dicitur prior altera non potest esse situs de prædicamento quantitatis; Situs verò de prædicamento situs est ordo partium totius ad partes loci, & iste situs accidit corpori quanto, quia corpus quantum potest extra locum constitui, non tamen potest esse sine situ de prædicamento quantitatis, quia non potest dari quantum permanens, nisi partes eius habeant ordinem ad ipsum.

Tertiò notatur essentiam cuiuscunque posse explicari per eius passiones, vel per aliquem effectum sibi connaturaliter; vnde circumscribentes essentiam quantitatis per passiones eius, vel per impenetrabilitatem naturalem, cum nos lateat propriam quantitatis essentiam, rectè circumscribunt, & nulla est ibi difficultas, licet Doctores suis apparentibus rationibus hoc reddant difficile; Et qui per impenetrabilitatem naturalem circumscribunt quantitatis essentiam, & coufutant alios, qui per passiones quantitatis circumscribunt essentiam eius, in vanum laborant, & minus rectè loquuntur, vt dixi in cap. positiuum enim melius circumscribitur per positiuum proprium, quando hoc fieri potest, quam per negatiuum. sicut est impenetrabilitas.

quid sit impenetrabilitas.

Quartò notatur ex Sco. 4. d. 49. q. 16. B. quod impenetrabilitas nihil aliud est, quam negatio posse coexistere alteri quanto in eodem loco; Nam inter dissensionem, & dimensionem non est repugnantia formalis, quæ est illorum, quæ secundum se, & suos effectus opponuntur; vt album, & ni-

grum, quanta autem non hoc modo formaliter opponuntur, ſed tantum virtualiter, ſcilicet reſpectu loci in quantum effectus vnius cauſæ, qui eſt repletio loci eo modo, quo quantitas habet efficaciam, vel efficientiam reſpectu effectus, qui eſt eſse in loco repletiuè, opponitur alteri cauſæ naturali, ſeu alteri quantitati, quæ non poteſt replere locum, quia locus repletus eſt ab alia quantitate quantum natus eſt repleri, hoc autem non impedit, quin per potentiam diuinam poſſit eſse ibi, quia Deus poteſt facere cauſam naturalem ſine ſuo effectu naturali, ſicut poteſt facere calorem ſine calefactione, vt patet de tribus pueris, & Daniele; Vnde impenetrabilitas non erit aliquod poſitiuum, ſed negatio coexiſtendi cum alio corpore in eodem loco, ſicut penetrabilitas, vel poſſibilitas coexiſtendi alteri corpori in eodem loco, quæ eſt Dos ſubtilitatis non eſt aliqua qualitas, & iſta poſſibilitas non habet ſuſceptiuum intrinſecum in corpore glorioſo, ſed habet cauſam intrinſecam, quæ eſt voluntas Beati, & extrinſecam, quæ eſt voluntas, & potentia diuina, quæ determinauit facere præſens corpus glorioſum huic loco repleto, vbi voluerit Beatus. His not.

Probatur concluſio primo auctoritate Scoti 4.d.49 q.16. D. vbi habet, quod ad diffinitionem dimenſiuæ quantitatis pertinet ſitus, quia quantitas permanens per hoc diſtinguitur a ſucceſſiua, quia habet partes in toto ad vnum terminū comunem copulatas: & 4.d.x.q 1.M. vbi habet, quòd poſitio eſt differentia quantitatis, quæ neceſsariò ineſt quanto continuo permanenti, & Ariſt. cap. de quantitate deffiniuit continuum permanens per habere partes copulatas, quæ ordinem ad totum, & poſitionem dicunt.

Reſponſio Meld. & Cat. Reſpondent Meld.& Cat.diſp 9.q.1.art.1.nu.2.§.ad tertium quod quando Philoſophus explicuit eſsentiam quantitatis per poſitionem partium in toto, certè poſitionem non ſumpſit pro coordinatione illa partium præcisè in toto, quia hæc etiam in ſubſtantia ſine quantitate reperiretur; Sed vt

vltra

vltra hunc ordinem addit etiam extreitatem in loco impenetrabilem in actu primo, quia actualis extreitas in actu secundo est positio de genere situs, non ergo insinuauit Philosophus essentiam quantitatis præscindendo ab omni ordine ad locum, sed tantum præscindendo ab actuali extensione locali, & in actu exercito quod etiam Scotus notauit 4.d.49.q.16.§.Alii dicunt, vbi ait dimensionem non fuisse à Philosopho diffinitam, nec diffiniri posse sine aliquo ordine ad situm, & colligitur ex ipso Arist. contextu in prædicamento quantitatis, vbi ait substantiam ratione talis positionis de genere quantitatis habere partes in toto, ita quod vna in ordine ad aliam sit dextera, alia sinistra, vna sursum, altera deorsum, quæ planè sunt differentiæ loci & in hoc sensu etiam locutus est Scotus Philosophum imitatus, & reuera ibi Doctor contendit tantum excludere ab essentia quantitatis positionem de genere situs, quæ importat actualem ordinem ad locum, quæ illi accidit; Vnde concludunt infra isti Scriptores Scotum vocare extensionem impenetrabilem, quæ est de essentia quantitatis, ordinem partium ad totum, qui ordo non est sine ordine aptitudinali ad locum.

Sed isti Doctores falsum imponunt Scoto, & Arist. nunquam inueniet aliquis in Arist. loco ab ipsis citato verba; quæ referunt, vtique dicit Arist partes continui permanentis dicere ordinem ad totum, & quod istæ partes sunt in loco, & nunquam Aristot & Scotus dixerunt essentiam quantitatis consistere in extensione impenetrabili, nec istam extensionem impenetrabilem vocauerunt ordinem partium ad totum cum aptitudinali ordine ad locum: Sed isti Doctores transcripserunt opinionem Suarez, & faciunt Scotum suarizzare, qui à Suarez in hoc omninò est contrarius. *Meld. & Cat. falsum impo unt Scoto, & Arist.*

Prætereà videamus quàm sint falsi in adducenda Scoti doctrina, nam Scotus loco ab ipsis citato vtique dicit quantitatem non deffiniri sine situ, sed non loquitur de situ de genere situs, sed de situ de prædicamento quantitatis. Videte *Ostenditur quã infideliter adducant doctrinam Scoti.*

dete

dete Scotistæ vestrum Doctorem, qui in loco citato habet hæc verba. *Præterea ad definitionem dimensiua quantitatis pertinet situs, quia quantitas permanens per hoc distinguitur à successiua, quia habet partes in toto ad vnum terminum commnem copulatas, sed deffinitio non potest separari à deffinito.* Hæc Scotus.

Tunc sic arguo. Situs, per quem quantitas permanens distinguitur à successiua, non est situs de genere situs, sed de genere quantitatis; ergo Scotus loquitur de situ de genere quantitatis, non de genere situs, vt ipsi falsò dicunt.

Præterea si Scotus loqueretur de situ de genere situs, tunc falsum esset, quod quantitas non posset definiri sine situ, quia Scotus 4. d. x. q. 1. M. dicit quantitatem permanentem posse habere partes ordinatas ad totum sine ordine actuali ad locum, vt etiam ipsi dicunt, & sic Scotus sibi contradiceret, sicut isti, transcribendo, semper contradicentes sunt; Et si essentia quantitatis consistit in ordine partium ad totum cum ordine aptitudinali ad locum, & potest esse sine ordine actuali ad locum; Ergo quantitas potest definiri sine situ de genere situs, quia talis tantùm consistit in ordine actuali ad locum, & non in ordine aptitudinali; Respondeant igitur ad argumentum primum; sed non possunt & verificabitur, quod trahunt Scotum ad opiniones recentiorum; Nunquam vsque adhuc vidi istos Doctores à trita Scotistarum via ambulare, nisi contrà Scotum aliquid declarauerint, & à recentioribus transcripserint. Eliciant à doctrina Scoti non tritam opinionem, & non transcribant doctrinam Scoto omninò contrariam.

Secundò probatur conclusio. Illa definitio est recta, quæ facit differre deffinitum à quocunque quod non est ipsum; sed prædicta definitio est huiusmodi, quia per habere partes extrà partes differt à substantia, & à quocunque alio accidente, quia nec substantia, nec aliud accidens est essentialiter extensum, vel aptum ad extendi, sed tantum potens

extendi

extendi accidentaliter per quantitatem; Per habere partes continuatas differt à quantitate discreta. Per habere ordinem ad totum differt à quantitate continua successiua; ergo est recta definitio.

Contra primò arguunt Meld.& Cat. sustinentes essentiam quantitatis solum consistere in extensione impenetrabili, sed confundunt formam, & rationem, à qua impenetrabilitas secundum ipsos pullulat cum ipsa impenetrabilitate; Certum enim est, quod illud, à quo pullulant passiones quantitatis est eius essentia, quam isti Doctores explicant per impenetrabilitatem; Conficio igitur argumentum magis clarum non dissidendo ab eorum dictis.

Essentia rei illa iudicatur, à qua emanant proprietates; sed ab impenetrabilitate emanant proprietates quantitatis: ergo essentia quantitatis in impenetrabilitate consistit: Maior pat. min. probatur ab ipsis ex eo enim quia quantitas habet partes extensas impenetrabiles, potest vna applicari alteri, & eam mensurare, vel mensurari: ergo passiones quantitatis ab impenetrabilitate pullulant: ergo impenetrabilitas erit essentia quantitatis.

Respondeo negando minorem; Ad probationem dico, quod quantitas potest mensurare, vel mensurari eò quia habet partes extensas tantum, & has rationes, sicut & omnes alias passiones immediatè ab essentia quantitatis pullulare, & non ab impenetrabilitate; Est enim quantitas mensuratiua, vel mensurabilis, & diuisibilis, quia extensibilis, & est extensibilis, quia habet rationem mensuræ, & diuisibilitatis, & magis propriè, & immediatè quantitas habet istas rationes, quia quantitas est, quantitas enim vt tale ens, habet partes extrà partes extensibiles, vel secundum longitudinem tantum, vt linea, vel secundum longitudinem, & latitudinem, tantum, vt superficies, vel secundum longitudinem, & latitudinem, & profunditatem, vt corpus, Vnde si etiam quantitas posset naturaliter penetrari, adhuc

habe-

haberet illas dimensiones, secundum quas posset mensurare, vel mensurari; mensurat enim res, vel mensuratur secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem tantum, abstracta quacunque penetrabilitate, vel impenetrabilitate, respectus enim ad coexistendum alteri in eodem loco, sicut est penetrabilitas, vel negatio talis respectus, sicut est impenetrabilitas, non potest esse ratio mensuræ per applicationem; applicatur enim vna quantitas alteri quantitati per longitudinem, latitudinem, vel profunditatem, & non per respectum, vel per negationem respectus: Eorum enim fundamentum, vt videbitur de substantia sine quantitate destruit omninò doctrinam Scoti[redacted].

Secundò. Sunt aliqui probantes essentiam quantitatis consistere in actuali extensione locali. Quantitas est forma dans suum effectum formalem in actu in quo consistit essentia formæ; ergo cum effectus eius formalis sit extendere eam in ordine ad locum, vtique extendet actualiter subiectum, in quo reperitur.

Respondeo concedendo, quod quantitas dat actualem extensionem localem, & actualis extensio localis est effectus eius formalis; sed negatur quod in effectu formali consistat essentia formæ, quia forma potest esse sine suo effectu naturali, non autem sine sua essentia, vel sine eo, quod essentiam consequitur: Vnde effectus naturalis formæ merè accidit ipsi formæ; vtique effectus naturalis, & formalis formæ non potest esse sine sua forma, vt albefactio sine albedine; tamen potest esse albedo sine albefactione, si sit separata à subiecto per potentiam Dei, & calor potest esse sine calefactione, vt patet de tribus pueris in fornace ardenti.

Tertiò, Species quantitatis non designantur, nisi per longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ergo esse quantum aliud non est, quam esse extensum, latum, & profundum, quod certè non est præcisè in ordine ad se, sed maximè

mè

mè in ordine ad locum, & ſpatium, in quo ponuntur partes extrà partes.

Reſpondeo, quod eſſe extenſum poteſt accipi dupliciter; Vno modo actualiter, & hoc eſt accidens quantitatis à quantitate ſeparabile; Alio modo aptitudinaliter, & hoc eſt paſſio quantitatis, per quam eſſentia eius poteſt circumſcribi, quia vt dictum eſt, poteſt eſſe quantitas ſine actuali extenſione, & maximè in ordine ad locum, quia poteſt ſtatui quantitas extra locum, quæ tamen verè, & eſſentialiter eſſet quantitas, & tamen non haberet extenſionem actualem ad locum, ſed tantum extenſibilitatem ſecundum longitudinem, vel latitudinem, & profunditatem. ***Duplex extenſio.***

Quartò, quando dicimus in Sacramento Altaris remanere quantitatem cum cœteris accidentibus, aliud non intelligimus, quam remanere extenſionem illam, per quam occupatur locus; ergo quantitas eſt eſſentialiter actualis extenſio localis.

Reſpondeo negando antecedens, quia tunc dicimus quantitatem eſſe cum ſuo effectu naturali, ſine quo poteſt remanere quantitas eſſentialiter, vt patet de Corpore Chriſti quanto in Sacramento Altaris, quod non habet extenſionem in ordine ad locum, ſed tantum extenſibilitatem.

Quintò, non poteſt quantitas eſſe ſine figura recta, vel curua, quæ figura non eſt ſine actuali extenſione; ergo quantitas non poteſt eſſe ſine actuali extenſione; ergo per actualem extenſionem poteſt explicari eſſentia quantitatis.

Reſpondet Meld. & Cat. ibi num. 15. quòd duplex eſt figura: Vna intrinſeca, & quantitatiua, quæ fundatur in poſitione de genere quantitatis; Altera extrinſeca, & ſitualis, quæ fundatur in poſitione de genere ſitus, & de hac verum eſt concipi non poſſe ſine actuali extenſione locali.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia cum argumen- *Reſponſio Mel. et Cat. confutatur.*

 tum

tum procedat de figura recta, & curua, necessariò deberent dicere, quòd figura recta, & curua alia est intrinseca, alia est extrinseca; sed quæro ab ipsis, quæ nam est ista figura recta, & curua intrinseca? certè nulla est, neque assignabunt figuram rectam, vel curuam sine actuali extensione; Et si concedunt quantitatem non posse separari à tali figura intrinseca, necessariò concedere debent quantitatem non posse esse sine actuali extensione, quod est falsum etiam secundum ipsos.

Responsio Auctoris. Respondeo igitur negando antecedens, quia quantitas modo indiuisibili existens, vt Corpus Christi in Sacramento Altaris, nullam habet figuram rectam, vel curuam intrinsecam, vel extrinsecam; Si verò extendatur quantitas, & sit cum suo modo quantitatiuo, tunc habebit figuram rectam, vel curuam; Quare negatur consequentia.

Sextò arguit Occham. Positio de genere quantitatis non solum facit, vt vna pars sit distans, quatenus omnes partes non sunt inter se immediatè vnitæ, sed mediante quantitate, vt est distantia quædam, & talis distantia non potest esse sine ordine partium in loco, cui quantitas comensuratur; ergo in extensione actuali locali consistit quantitas.

Respondeo, quod positio de genere quantitatis, & ipsa quantitas cum suo modo naturali facit distare actualiter, & extendit in ordine ad locum, tamen hoc non est de essentia quantitatis, vel consequens eius essentiam, est enim solum de ratione quantitatis esse extensibilem, & reddere subiectum eius aptum ad actualem extensionem localem, & sic negatur consequentia, quia licet partes quantitatis, & substantiæ per quantitatem non sint immediatè simul vnitæ, sed cum suo ordine, tamen existens sine suo modo quantitatiuo nullam habet extensionem, sed modo indiuisibili existit.

Septimò. Si essentia quantitatis non consistit in actuali extensione, & extrinseca, sed in aptitudinali tantum, & intrin-

intrinseca ad actum primum pertinente, extensio quantitatiua non erit distincta ab extensione entitatiua substantiæ, & aliorum accidentium, quia tàm substantia, quàm accidentia materialia sunt extensibilia.

Respondeo negando consequentiam, & ad probationem dico, quod vtique tàm substantia, quàm accidentia materialia sunt extensibilia, sicuti quantitas est extensibilis, sed non eodem modo, quia quantitas est extensibilis per se, substantia verò, & accidentia materialia sunt extensibilia per accidens scilicet ratione quantitatis, quatenus possunt recipere quantitatem, vel in quantitate recipi, quæ reddit substantiam, & accidentia materialia extensa, licet per se sint inextensibilia; Vnde substantia, & accidens materiale, differt à substantia, & accidente spirituali per hoc solum, quia substantia, & accidens spirituale non possunt recipere quantitatem, vel in quantitate recipi, & per consequens nullo modo est extensibilis: differt verò à quantitate, quia hæc est per se extensibilis; substantia verò, & accidens materiale est extensibile per accidens, quia vel recipit, vel potest recipi in quantitate, vt dicetur in conclusione de substantia siue quantitate.

CONCLVSIO SECVNDA.

Quantitas realiter distinguitur à substantia corporea, & ab omni re quanta.

Est Sco. 2. d. 12. q. vnica in fine, & 4. d. 12. q. 2. §. ad quęstionem

Opinio Aliorum. Caput Primum.

MEld. & Cat. disp. 9. q. p. A 2. eandem sustinent conclusionem, sed in principiis eorum nullo modo sustineri potest, immò stante eorum doctrina quantitas est omnino eadem formaliter cum substantia. *Meld. & Cat. improbatur quoad modum.*


Probo sic. Quæ habent omninò eandem rationem formalem sunt omninò idem formaliter, sicut è contra, quæ habent diuersas rationes formales, & deffinitiones distinguuntur formaliter, hoc euidentissimum est in doctrina Scoti. Sed quantitas continua, & substantia habent omninò eandem rationem formalem; primò quantitas continua, & substantia sunt omninò idem formaliter; minor in qua stat difficultas, probatur; quia quantitas continua est illa, quæ habet partes extrà partes naturaliter impenetrabiles secundum istos Doctores in hac quæstione articulo primo; sed substantia est huiusmodi; ergo substantia, & quantitas continua habent eandem rationem formalem; Probo minorem ex doctrina ipsorum, quia substantia habet partes extrà partes naturaliter impenetrabiles, probatur consequentia; Impenetrabilitas, vt dixi in fine primi capitis præcedentis conclusionis, nihil aliud est, quàm repugnantia duorum corporum coexistendi in eodem loco ex ipsis in hac disp. 9. q. 1. art. 1. num. 13. ac etiam secundum Scotum, sed vnum corpus non repugnat alteri in eodem loco, nisi quia est repletiuum loci naturaliter, quantùm natus est repleri ex Scoto 4. d. 49. q. 16. B. ergo impenetrabilitas nihil aliud est, quàm ratio replendi locum; sed substantia secundum ipsos replet locum; ergo substantia erit impenetrabilis; falsa est ergo differentia quantitatis continuæ à substantia per solam impenetrabilitatem naturalem ab ipsis transcriptam, & falsò imaginatam; sustinentes enim cum Scoto (sed contrà Scotum) substantiam replere naturaliter locum secundum se velint nolint, dicunt substantiam esse naturaliter impenetrabilem; quia secundum Scotum loco citato; impenetrabilitas non est nisi ratio replendi locum, ideò enim vnum corpus secundum Scotum est impenetrabile naturaliter, quia repugnat esse cum alio corpore naturaliter, & ideò repugnat sic esse cum alio corpore; quia replet locum; ergo quod est repletiuum loci est impenetrabile na-

turaliter ab alio; ergo ratio replendi locum est ratio impenetrabilitatis naturalis; substantia secundum ipsos replet locum; ergo est impenetrabilis.

Aliam rationem nolo afferre, quia ista sola est immediata, & efficacissima in schola subtilissimi Doctoris.

Quantitas realiter distinguitur à substantia corporea, & ab omni re quanta.

Est Scoti 2. d.12. q.vnica in fine, & 4.d.12.q.2. §. ad quæstionem.



Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Quid sit distinctio realis.

PRo cuius declaratione Primò notatur, quòd distinctio realis, quæ est inter rem,& rem necessariò est inter ea, quæ separari possunt, dummodò non sit essentialis dependentia, vt totum in via Scoti realiter distinguitur à partibus, & tamen ab illis non potest separari, quia ab illis essentialiter dependet, sic est de relatione respectu extremorum, vel quia habent inter se necessariam conexionem, vt corpus organizatum,& quantitas, non enim corpus potest organizare sine quantitate, nec anima informare corpus organizatum nisi in quantitate, & tamen quantitas realiter distiguitur à substantia corporis organizati: Quarè male speculantur dicentes, quòd si à corpore separetur quantitas, adhuc caput esset distans à pede; Supponunt enim posse dari corpus organizatum, caput, pedes, manus &c. sine quantitate, figurantur enim omnes istæ partes, & figura non est sine quantitate.

Corpus nõ potest organizari sine quantitate.

Secundò notatur, quòd sustinentes, vt faciunt Meld. & Cat.substantiam esse diuisibilem, extensibilem in ordine ad locum, & nullo modo differre à quantitate, nisi per impenetrabilitatem, & concedere substantiam habere ex sui natura extreitatem partium in ordine ad locum, vt habent in

hac

hac disputatione num. 8. necessariò tenentur dicere substantiam esse realiter, & formaliter quantitatem, quia impenetrabilitas realis, vt dictum est in prima conclusione non est nisi naturaliter posse replere locum quantum natus, & aptus est repleri, quo stante, alia substantia non poterit eundem locum replere; Quare si substantia erit extensibilis in ordine ad locum, & ex sui natura petit partem esse extra partem in loco, habebit extreitatem partium impenetrabilium, in quo secundum istos Doctores essentia quantitatis consistit; sed hoc magis patebit in sequenti conclusione His notatis

Probatur Conclusio. Omne, quod potest saltem per potentiam Dei absolutam ab alio separari, realiter ab alio distinguitur; sed quantitas est huiusmodi, ergo realiter à re quanta distinguitur; Minor probatur, quia de facto videmus Deum in Eucharistia separare quantitatem à substantia panis.

Contrà arguitur Primò. Idem corpus inuariatum potest esse magis, & minus quantum ergo quantitas non realiter distinguitur à corpore, & à substantia corporea; antecedens probatur, quia idem corpus per se nullo alio addito, rarefit, & condensatur; consequentia probatur, quia si quantitas realiter distingueretur à corpore, non posset corpus secundum suam substantiam rarefieri, & condensari, sed per aliquod additum, per quod corpus variaretur.

Respondeo negando antecedens cum sua probatione, quia potest pro nunc dici, quod rarefactio, & condensatio fit per aquisitionem, vel deperditionem quantitatis, & ideò corpus inuariatum non potest rarefieri, vel condensari; quare consequentia est falsa.

Secundò. Substantia circumscripto quocunque accidente realiter distincto, habet omnes effectus, qui dicuntur à quantitate formaliter prouenire; est enim per se diuisibilis,

per

per se extensibilis, & naturaliter impenetrabilis, ergo substantia, & quantitas omninò idem sunt.

Respondeo negando antecedens; quia substantia nec est per se diuisibilis, nec per se extensibilis in loco, nec per se impenetrabilis, vt dicetur in sequenti conclusione; sed tantùm per accidens, scilicet ratione quantitatis, qua ablata, substantia indiuisibiliter se habet, & sic negatur consequentia.

Tertiò, si quantitas est realiter distincta à substantia, tunc Deus poterit substantiam in instanti à quantitate separare; Tunc quæro, aut manebit substantia illa extensa per totum spatium, vbi prius erat, vel in punctum confluet illius spatii; Non primum, quia vel ita intelligitur, vt sit tota in toto, & pars in parte, & sic substantia adhuc erit quanta, quia sic esse in loco est esse circumscriptiuè solum quantitati competens: Vel ità intelligitur vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte, & hoc non, quia solùm hoc Angelis, & substantiis spiritualibus competit; Non secundum quia talis fluxus in puncto fieret per motum localem, & sic in tempore; ergo cum quantitas auferatur in instanti, toto illo tempore sequenti, quo duraret fluxus partium substantiæ ad indiuisibile loci, partes illæ existerent diuisibiliter in spatio.

Respondent Meld. & Cat. ibi num. 27. quòd tunc substantia remaneret in toto spatio, in quo erat sub quantitate, & diuisibiliter, idest tota in toto, & pars in parte, nec tamen esset circumscriptiuè, & quantitatiuè in loco, quia non esset in loco impenetrabiliter. *Responsio Meld. & Cat.*

Hanc responsionem confutat multis argumentis Auersa. Ego tamen vnico argumento probo esse contra doctrinam Scoti. Esse in loco circumscriptiuè nihil aliud est, quàm esse in loco quantitatiuè, scilicet tanquam coextensum, & comensuratum ex Scoto quolib: ij. I. vbi habet hæc verba: *quia circumscriptio illa non videtur aliquid ponere vltra hoc,* *Confutatio*

quod

quod est corpus esse præsens huic loco modo quantitatiuo scilicet tanquam coextensum, & commensuratum. Hæc Scotus. Ergo si substantia sine quantitate esset extensiuè, & diuisibiliter in loco, & comensuratiuè, esset in loco circumscriptiuè, & modo quantitatiuo.

Respondetur tacite obiectioni. Nec valet dicere, quòd Scotus intelligit de extensione; & comensuratione impenetrabili, hoc enim gratis addunt, & nunquàm inuenient in Scoto, quod impenetrabilitas requiratur ad circumscriptionem, impenetrabilitas enim nec mensurat, nec est ratio mensuræ, quia si etiam corpus esset penetrabile, adhuc si extenderetu, secundum illam extensionem præcisè mensuraretur, & non per impenetrabilitatem, quæ est pura negatio, quærunt per istam impenetrabilitatem ab aliis transcriptam difficultates aufugere, & confusionem pariunt.

Responsio Auctoris. Respondeo igitur ego ad argumentum principale, quòd si Deus in instanti separaret quantitatem à substantia, tunc substantia non remaneret extensa, sed inextensa, & partes eius in instanti confluerent in puncto spatij: Et cum probatur, quod non, quia non posset iste fluxus fieri nisi per motum localem, qui est in tempore, dico quod fieret per mutationem localem, quæ mutatio haberet aliquid de motu, & aliquid de mutatione. Haberet aliquid de motu, quia esset accidentalis, scilicet ad præsentialitatem localem, & aliquid de mutatione, quia fieret in instanti, sicut motus animæ ad gratiam in instanti, habet aliquid de motu, quia est ad formam accidentalem, & aliquid de mutatione, quia est in instanti, & iste motus, vel mutatio localis esset effectiuè à Deo auferente quantitatem in instanti, formaliter verò à negatione quantitatis, quia sicut substantia fit præcisè extensa per quantitatem, ita ablata quantitate fit inextensa, & per consequens partes in instanti confluunt in puncto, sicut conflueret in tempore, si quantitatẽ in tempore auferret Deus, sicut subiectum fieret album in tempore, vel

in

in instanti, si albedo introduceretur in tempore, vel in instanti, & fieret non album in tempore, vel in instanti, si in tempore, vel in instanti auferretur albedo.

Contra consimilem Responsionem arguunt Meld: & Cat: ibi num. 25. Nam ablatio quantitatis est actio negatiua, fluxus partium in puncto spatii est actio positiua; ergo iste fluxus non potest esse formaliter ex ablatione quantitatis.

Respondeo negando consequentiam, quia actio positiua potest sequi necessariò ex actione negatiua, vt fluxus partium vasis fit ex simplici ablatione medii, vt etiam isti Doctores fatentur, sed exemplum non est omninò simile, quia quod latera vasis distent non est præcisè formaliter à medio, quia dato vacuo per potentiam Dei, latera vasis distarent, & tamen ibi nullum esset medium, sed quod substantia materialis sit extensa est præcisè formaliter à qantitate, qua ablata, Deus non posset facere substantiam materialem extensam, quia Deus non potest suplere causalitatem causæ formalis; Non enim Deus potest albefacere sine albedine, effectus enim formalis formæ non potest esse sine forma, & ideò substantia materialis, ablata quantitate, necessariò fit inextensa, non potest autem fieri inextensa, nisi partes confluant in punctum, & sic à primo ad vltimum ex ablatione quantitatis fit fluxus partium in puncto spatii, sicuti enim affirmatio est causa affirmationis in causis præcisis, ità negatio est causa negationis, & ideò affirmatio quantitatis in substantia est causa affirmationis extensionis in substantia, ità negatio quantitatis à substantia est causa negationis extensionis in substantia.

Sed tota difficultas stat in hoc, quomodò istæ partes confluerent in puncto spatii in instanti, si naturale in instanti non potest moueri? Respondeo sicuti prius, quòd substantia materialis ex se non faceret se præsentem secundũ omnes partes fluentes in puncto spatii in instanti, sed iste motus esset effectiuè à Deo auferente quantitatem in instanti.

Si dicas, quòd ſupponitur ſubſtantia relictà in ſuo eſſe naturali, & quod Deus ſolum haberet actionem in ablatione quantitatis, non autem in fluxu partium, & in illo motu.

Reſpondeo, quod ſupponis vnum falſum, nempe ſubſtantiam materialem eſſe in ſuo naturali eſſe extenſam, ſit enim præcisè extenſa per quantitatem, & eadem eſt per ſe, & naturaliter inextenſa; Vnde Deus auferendo quantitatem à ſubſtantia materiali, aufert modum quantitatiuum, & extenſum, & ideò Deus non poteſt per ablationem quantitatis relinquere ſubſtantiam materialem niſi inextenſam, & ideò non poteſt Deus habere actionem circa ablationem quantitatis, niſi habeat actionem in fluxum partium, & in negationem extenſionis, quæ negatio extenſionis non poteſt eſſe, niſi partes iam extenſæ fiant inextenſæ, non poſſunt autem fieri inextenſæ, niſi illæ partes ammittant priores præſentialitates, & confluant in puncto ſpatij.

Quartò. Eædem ſunt ſpecies quantitatis, ſubſtantiæ, & qualitatis in quantum ſunt res corporeæ, & diuiſibiles, in his enim omnibus reperitur linea, ſuperficies, & corpus; ergò quantitas non eſt in ſubſtantia, & qualitas quatenus extenſæ, & diuiſibiles.

Reſponſio Meld. & Cat. Reſpondent Meld. & Cat. ibi num. 22. concedendo ſubſtantiam, & qualitatem habere lineam, ſuperficiem, & corpus, ſed iſtæ dimenſiones non faciunt molem, quia faciunt ſubſtantiam, & qualitatem penetrabilem, quantitas verò habet prædicta modo peculiari, quia faciunt molem, quia ponunt vnam partem extra aliam impenetrabiliter.

Confutatur Sed iſta reſponſio eſt contra Ariſtotelem in prædicamentis, nàm ſecundum ipſum corpus de genere ſubſtantiæ in hoc differt à corpore de genere quantitatis, quia hoc dicit tantum trinam dimenſionem, illud verò non.

Præterea moles eſt entitas poſitiua abſoluta, quia moles eſt quantitas, ſed impenetrabilitas non eſt entitas poſitiua abſoluta, ergo non eſt molis, nec facit molem, quia ne-

gati-

gatiuum faceret positiuum.

Ideò respondeo negando antecedens cum sua probatione, quia in substantia, & qualitate non reperiuntur nec linea, nec superficies, nec corpus, cum non sit dimensionata, nisi per accidens, scilicet ratione quantitatis, quam recipit substantia, vel in qua recipitur qualitas; Nam esse dimensiuum est esse quantum, & esse naturaliter impenetrabile, & aliquod ideò est naturaliter impenetrabile, quia est quantum quantitatiue molis,& non è conuerso; secundum enim Aduersarios Scotistas, & rectè, impenetrabilitas sequitur quantitatem, & non quantitas impenetrabilitatem, passio enim sequitur suum subiectum; Non igitur aliquod est dimensum, & extensum, nisi repleat,vel possit replere locum, & per consequens impenetrabile. *Responsio Auctoris.*

CONCLVSIO TERTIA.

Substantia sine quantitate non habet ex natura sua præsentiam diuisibilem, & extensam in loco.

Elicitur ex Scoto 2. d.12. q.2 D.quol.ij.I. & 4.dist.10. q.p.M.P.

Opinio Aliorum. Capus Primum.

MEld.& Cat.disp.9.q.p.A.p.n.3.& præsertim num. 8.in fine sustinent substantiam materialem sine quantitate ex natura rei habere præsentiam diuisibilem, & extensam in loco; & probant de materia cum Scoto 2. dist. 12. q.2.D. de forma materiali ex Scoto in 4. dist.44.q.p. idem probant de qualitate corporea ex Scoto 4.dist. 12.q. 2.B. & sustinent substantiam quantum ad hoc differre tantùm à quantitate, quia substantia habet partes extensas, & diuisibiles naturaliter penetrabiles, quantitas verò naturaliter impenetrabiles. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed videamus quantum laborent ad trahendum Scotum

Cõfutatio Aduersariorũ, qui falsò citãt Scotum.

in opinionem Recentiorum, citant Scotum ad comprobandum eorum conclusionem, sed nullus in locis citatis, nec alibi in doctrina Scoti inueniet eorum conclusionem.

Nam in 2.d.12.q.2,D. dicunt Scotum asserere materiam sine quantitate habere præsentiam diuisibilem,& extensam in loco; sed legant Scotistæ subtilissimum Doctorem, & inuenient quidem, quòd materia sine quantitate habet partes substantiales; sed non dicit, quod habeat illas extensas in loco, & præsentiam diuisibilem; immò dicit quòd materia tunc esset in loco diffinitiuè, non circumscriptiuè, sicut Angelus; & sic potiùs elicitur contrarium, & quantitatem esse rationem diuisibilitatis,& essendi in loco circumscriptiuè,& esse in loco circumscriptiue est esse modo extenso, & diuisibili ex Scoto quol.ii.I. & melius 4.dist.10.q.p.M.P.

Responsio Meld. & Cat.

Respondent in hac disp.9.q.p.A.p.num.16. quòd Scotus in secundo loco citato negat materiam esse sine quantitate esse in loco circumscriptiuè impenetrabiliter; Et ideò cum dicitur solam quantitatem esse rationem essendi in loco diuisibiliter, & circumscriptiuè, intelligit Scotus de diuisione, & circumscriptione impenetrabili, non autem penetrabili.

Confutatio efficacissima.

Sed isti Scriptores, vt trahant Scotum ad doctrinam illorum, addunt illam impenetrabilitatem sæpiùs impugnatam in prima conclusione; Et si Scotus dicit simpliciter materiam sine quantitate esse in loco definitiuè,non circumscriptiuè, & solam quantitatem esse rationem extensionis, diuisibilitatis, & circumscriptionis, quare adducunt illum locum Scoti ad probandum cum Scoto materiam sine quantitate esse diuisibilem, extensam, & circumscriptiuè in loco, si dicit materiam sine quantitate, non esse diuisibilem, extensam, & circumscriptiuè in loco? debent adducere loca Scoti, quæ confirment eorum opinionem, non quæ negent.

Nunc videamus, si eorum glosa ad auctoritates Scoti est con-

conformis Scoto. Nam Subtilissimus Doctor quol.ii.I. & 4.d.10.q.p.M. per per esse in loco modo quantitatiuo, se explicat nihil aliud intelligere, nisi coexistentiam, & respectum partium totius ad partes loci; ergo falsò additur illa impenetratio, quæ includitur necessariò in quocunque extenso: Affero verba Scoti, quæ sunt clarissima in quol. ii.I. vbi habet. *De primo clarum videtur, quòd talis præsentia non potest esse sine vbi, sicut non potest poni sine circumscriptione passiua corporis à loco, quia circumscriptio illa (notate) non videtur aliquid ponere vltra hoc, quod est corpus esse præsens huic loco modo quantitatiuo scilicet tanquam coextensum & comensuratum.* Et 4. loco citato postquam Sco. posuerit & declarauerit primò positionem de genere quantitatis, & secundo positionem de genere situs, quæ dicit ordinem, & respectum partium totius ad partes loci, habet. *Per modum autem quantitatiuum, siue dimensiuum quocunque modo nominetur, non intelligo nisi positionem dictam secundo modo, hanc autem habitudinem possibile est Deum separare*; Ergo si Scotus per esse in loco circumscriptiuè modo quātitatiuo, quod est esse in loco extensiuè, & circumscriptiuè impenetrabiliter se declarat non intelligere, nisi illam coextensionem, & illum ordinem partium corporis ad partes loci, & nihil aliud dicere, voluntariè additur à Scotistis illa impenetratio, quæ vt probaui in prima conclusione cum Scoto, non est, nisi coextensio, & repletio loci.

Tunc formo argumentum. Materia sine quantitate ex Scoto ab ipsis loco citato, non potest esse in loco modo quantitatiuo, & concedunt Aduersarii: ergò materia sine quantitate non potest esse extensa, diuisibilis, & circumscriptiuè in loco, seu habere ordinem ad locum, & partes loci, & positionem de genere situs, probo, quia habere talem ordinem solum sine addito, non est, nisi esse in loco circumscriptiuè, & modo quantitatiuo ex Scoto locis à me cit. Vtique secundum Scotum, quòd est coextensum est impene-

trabile

trabile naturaliter, & quod est impenetrabile naturaliter est coextensum, & habet modum quantitatiuum, & ideò Scotus nunquam addit ly *impenetrabiliter* quasi quod sit differentia vnius extensionis ab alia, quia ad extensionem sequitur secundum Scotum necessariò impenetrabilitas naturalis.

Secundum dictū Mel. & Cat.

Secundò. Dicunt formam materialem sine quantitate esse in loco extensam, & citant Scotum 4. d.44. q.p.

Sed si vidissent Scotum loco citato, non adduxissent, cum sit contrà eorum conclusionem, quia ibi loco citato B. & D. vocat formam materialem extensam per accidens: ergò forma materialis secundum Scotum loco citato non est per se extensa sine quantitate; Esse enim extensum per se, & per accidens repugnant in eodem; sicut esse album per se, & per accidens, quia idem esset album, & extensum per se, & non per se, quæ contradicunt.

3. dictum Meld. & Cat.

Tertiò. Dicunt qualitatem corpoream sine quantitate esse extensam, & diuisibilem, & citant Scotum 4. dist. 12. q. 2. B.

Responsio Meld. & Cat.

Sed Scotus loco citato contrarium dicit, habet enim, quod qualitas corporea non est diuisibilis, nisi per quantitatē, & sine quantitate non est diuisibilis nisi potentia remota, ad quid igitur adducere hunc locū pro eorū conclusione?

Respondent, quòd Scotus dicit albedinem sine quantitate non esse diuisibilem ab agente naturali, quod diuidere nequit, nisi instrumento corporeo.

Cōfutatur. Scotus ab Aduersarijs falsò citatur.

Sed falsum [redacted]: videamus verba Doctoris; habet enim *Sicut nec esset si argueres de diuisibili, & indiuisibili, illa enim albedo esset diuisibilis potentia remota, quia posset esse in quanto, & tunc esset in potentia propinqua, sed non esset diuisibilis potentia propinqua, quamdiu esset sine quantitate*, hæc Scotus, qui non dicit, vt falsò imponūt, quod non esset diuisibilis ab agente naturali instrumento corporeo, sed dicit simpliciter, quod esset indiuisibilis, sicuti est inextensibilis sine quantitate, quia nullam habet diuisibilitatem, & extensionem intrinsecam, & secundum se, sed

solum

solùm ratione quantitatis. Legite Scotistæ vestrum Doctorem loco cit. I. vbi habet. *Qui enim dicunt quantitatem esse aliam essentiam absolutam ab essentia substantiæ corporeæ, & qualitatis, sicut dicit comunis opinio, dicerent quantitatem esse sine subiecto, sed non qualitatem, immò quod qualitas est in quantitate, & per hoc est ista probabilitas, quia qualitas hæc est extensa, patet ad sensum, non est autem extensa essentialiter, siue extensione, quæ sit intrinseca qualitati secundum istam opinionem; sed tantum per accidens; sed omne extensum per accidens, vel recipit extensionem in se, qua extenditur per accidens, vel recipitur in extensione, vel extenso; qualitas autem non recipit in se extensionem secundum istam opinionem; ergo est tantum extensa per accidens quia recipitur in extenso, & hoc concordat cum illo dicto in prædicamentis capite de quantitate: quanta est superficies, tanta est albedo.* Hæc Scotus, quid clarius? **Scotistæ, legite Scotum.**

Tunc sic formo argumentum. Qualitas materialis non habet diuisibilitatem, nec extensionem intrinsecam, & essentialem, seu secundum se, sed tantum per accidens ex Scoto loco cit. ratione quantitatis; ergò falsò imponitur Scoto, quod dicat materiam, formam, & qualitates materiales esse per se, & secundum se extensibiles sine quantitate. Bone Deus, si negat Scotus apertè loco citato, qualitatem nullam habere in se extensionem, sed tantùm illam habere à quantitate, eo quia in quantitate recipitur, quomodo possunt adducere hunc locum ad probandam extensionem intrinsecam in qualitate?

Si velint proteruiare dicendo, quòd Scotus ibi negat extensionem intrinsecam in qualitate impenetrabilem, sicut etiam negat in substantia, saltim inualidè adducuntur ista loca ad probandam substantiam, & qualitatem esse entia extensa secundum se, si simpliciter, vt intuenti patet, negat in substantia, & qualitate extensionem secundum se.

Præterea probo, quod sic proteruiantes, non respondent

dent conformiter doctrinæ Scoti; Nam ibi Scotus probat qualitatem in Eucharistia non esse sine subiecto, sed esse in quantitate; eò quia, vt patet sensui, est extensa, non est extensa per se, inquit Scotus; ergò per accidens scilicet ratione quantitatis in qua est; Tunc sic. Si secundum Scotum qualitas esset extensa penetrabiliter, inualidum esset suum argumentum; quia possent contrarii respondere etiam ad mentem Scoti, quòd qualitas esset extensa penetrabiliter, secundum se, ac propterea ex illa extensione non necessariò infertur, quòd sit in re extensa, scilicet in quantitate; ergò Scotus omninò negat extensionem in qualitate secundum se, vt inferat illam in Sacramento Altaris esse in quantitate vt in subiecto; quia ibi est extensa.

Tacita ratio confutatur. Nec valet dicere, quòd Scotus intelligit de extensione impenetrabili; ex qua posteà infertur, quòd qualitas sit in quantitate, quia qualitas non potest sic extendi, nisi sit in quantitate, quæ reddit eam impenetrabilem; Non valet inquam, quia Scotus loquitur de extensione simpliciter, & quæ percipitur à sensu; habet enim hæc verba. *Qualitas est extensa, patet ad sensum:* sed penetrabilitas, vel impenetrabilitas non percipitur à sensu, cum aptitudo, & negatio eius sint insensibiles, sed tantùm extensio simpliciter qualitatis materialis est huiusmodi: ergò Scotus tantùm loquitur de extensione simpliciter, vt abstrahit ab omni penetrabilitate, vel impenetrabilitate.

Hæc argumenta valent contra Pseudo Scotistas sustinentes dari extensionem penetrabilem, & impenetrabilem, quia secundum Scotum non datur extensio nisi quantitatiua, & naturaliter impenetrabilis, ac propterea negat in substantia, & qualitate simpliciter per se extensionem, sed tantùm hæc esse extensa per accidens, ratione scilicet quantitatis.

2. confutatur. Præterea esse extensum, quantum, & commensuratiuum idem sunt ex Scoto quol. ii.I. ergò si substantia sine quantitate

tate

tate essent extensa,& haberent dimensiones secundum quas esset comensuratiua, illa esset quanta sine quantitate, quod est ridiculum dicere.

Nec valet dicere, quòd vtique extensum impenetrabile est quantum, non autem extensum penetrabile, quia extensum simpliciter replet locum, & replens locum est impenetrabile ab alio, quia repugnat esse cũ alio in eodem loco, vt sępe dixi cum Scoto in pręcedentibus conclusionibus. *Tacita responsio confutatur*

Præterea si substantia corporea sine quantitate esset extensa, & circumscriptiuè in loco, & repleret locum, tunc faceret latera loci continentis distare; sed substantia corporea, & corpus naturale non potest facere latera continentis distare vt corpus naturale, sed vt quantum præcisè ex Scoto 2.dist.2.q.6.C.ergo substantia sine quantitate non est extensa, nec est in loco circumscriptiuè, nec replet locum.

Nec valet dicere, quòd corpus naturale, vt naturale est, non facit latera continentis distare impenetrabiliter, sed bene penetrabiliter, quia latera loci non distant penetrabiliter, nec impenetrabiliter, penetrabilitas enim, & impenetrabilitas est corporis in ordine ad locum, quem replet, non autem loci in ordine ad corpus penetrabile, vel impenetrabile, si enim corpus esset in loco, siue penetrabiliter, siue impenetrabiliter, semper eadem latera continentis distarent, dumodò corpus esset extensum, quia locus nec est penetrabilis, nec impenetrabilis, nàm sibi non conuenit replere locum, aliter locus, vt locus esset in loco, & à loco circumscriberetur, quod est falsum, quia locus solum vt circumscribit est locus. *Tacita responsio confutatur*

Præterea isti Doctores in hac disp.num.65. in fine ostendentes Angelum habere extensionem virtualem in loco, dicunt, quod quicquid corpori conuenit per quantitatem molis, id totum conuenit Angelo per quantitatem virtutis, & num.66.idem afferunt, & ostendentes punctum nullam posse habere extensionem, probant per hoc, quia rebus corpo- *Confutatur 3.*

reis dedit Deus esse in loco solùm per quantitatem molis; quæ cum in puncto non reperiatur, non poterit punctus loco extesidi; Hæc sunt verba Aduersariorum.

Tunc sic arguo; ergò substantia sine quantitate non est extensa, nec potest esse in loco extensiuè, quia rebus corporeis, vt ipsi dicunt, dedit Deus esse in loco solùm per quantitatem.

Tacita responsio confutatur Nec valet dicere, quòd loquuntur de extensione impenetrabili, quia falsa esset eorum doctrina; Nam falsum esset, quod id totum, quòd facit quantitas molis in corporibus, id faceret quantitas virtutis in Angelo, quia tunc quantitas virtutis faceret in Angelo extensionem impenetrabilem, quòd est falsum etiam secundum ipsos, qui volunt, & rectè impenetrabilitatem nulli conuenire nisi per quantitatem molis, quæ in Angelo non reperitur; debent igitur loqui de extensione simpliciter, & sic substantia sine quantitate non esset extensa contra ipsos.

Item si loquerentur de extensione impenetrabili, solùm probarent punctum non esse extensum impenetrabiliter, & possent Aduersarii respondere, quòd vtique eorum ratio probat punctum non habere extensionem impenetrabilem, quia non haberet quantitatem, haberet tamen extensionem penetrabilem, quòd non est inconueniens in doctrina Meld. & Cat. quia secundum ipsos substantia corporea sine quantitate esset extensa, licet non impenetrabiliter; A diuersis diuersimodè opinantibus diuersa transcribunt, ideò impossibilia, & contradictoria docent.

Cõfutatur 4. Præterea. Si substantia sine quantitate moueretur, ille motus esset successiuus ex parte mobilis, quia illa substantia, quæ secundum istos esset sine quantitate extensa prius fieret præsens loco secundum vnam partem, quam secundum aliam, hoc autem est contra Scotum 2. d. 2. q. 9. B. vbi vult quòd ratio successionis motus ex parte mobilis sit quantitas; ergò substantia sine quantitate non est diuisibilis in

partes

partes extensas, nec poterit successiuè moueri, accipiendo successionem à mobili.

Prætereà probo, quòd substantia in via Scoti sine quantitate non sit per se diuisibilis in partes integrales eiusdem rationis auctoritate ipsius Scoti 2.d.2.q.9.C.vbi habet. *Immò ibi sicut totum diuiditur in partes homogeneas, ita materia per accidens, & forma per accidens diuiditur in partes suas homogeneas.*

Potest responderi pro ipsis, concedendo, quòd substantia per accidens est diuisibilis, scilicet ratione quantitatis, quia cum diuisibilitas competat etiam quantitati, & quantitas subiectetur in substantia, hæc potest dici diuisibilis per accidens cum hæc diuisibilitas quantitatis accidat substantiæ, non tamen sequitur per hoc quod substantia non sit per se diuibilis sine quantitate.

Contra. Quòd conuenit alicui præcisè per quantitatem, non potest ei conuenire per se sine quantitate; sed esse diuisibile in partes integrales eiusdem rationis extensas præcisè conuenit substantiæ per quantitatem ex Scoto loco citato D. ergo non potest conuenire diuisibilitas talis sine quantitate.

Confirmatur minor à Scoto loco citatoE.vbi habet,quòd naturale, in quantum naturale non est diuisibile in partes, sed solùm in quantum quantum.

Respondebunt forsan, quod Scotus loquatur de diuisibilitate in partes impenetrabiles? malè respondebunt, quia diuisibilitas in partes abstrahit ab omni penetrabilitate, & impenetrabilitate.

Prætereà respondebunt contra Scotum, qui locis citatis, & infrà, probat non posse dari minimum in substantiis homogeneis, eo quia tales substantiæ sunt diuisibiles per quantitatem; Si ergò Scotus intelligeret de diuisibilitate in partes impenetrabiles solùm probaret Scotus, quòd non potest dari minimum in substantiis homogeneis, quia illæ

E 2 sunt

sunt diuisibiles per quantitatem in partes impenetrabiles; ergò,quòd esset indiuisibile in partes impenetrabiles, habere posset minimam partem naturaliter, & ita indiuisibilem, & sic daretur minima caro, si illa esset sine quantitate; quia sic non esset diuisibilis in partes impenetrabiles. Sed tunc quæro. Illa minima caro est diuisibilis in alias partes, vel non? si non; ergò illa caro sine quantitate erit indiuisibilis, quòd est contra ipsos; si sic; ergò dabitur minor caro, quàm sit minima, quia pars est minor toto; ergò minus minimo,& sic minima caro non esset minima. quæ omnia sunt absurda, quæ aufugi non possunt, p osita diuisibilitate in substantia sine quantitate.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Substantia sine quantitate non habet ex natura sua præsentiam diuisibilem, & extensam in loco.

Est Scoti 2.d.12.q.2.D.quol.ii.I. & 4.d.x.q.p.M.P.

Differentia substantiæ corporeæ, & incorporeæ quò ad diuisibilitatem, & extensionem.

PRo cuius declaratione.Notatur primò ex Scoto 4.d.12. q.2.B. quòd differentia est inter substantiam corpoream, & incorpoream, cuiusmodi est Angelus quo ad diuisibilitatem, & extensionem, quia Angelus,& quælibet substantia incoporea est omninò indiuisibilis, & inextensa, substantia verò corporea est indiuisibilis, & inextensa solùm per se, per accidens verò diuisibilis, & extensa ratione quantitatis, quia potest recipere quantitatem, quam non potest reripere Angelus, & substantia incorporea; Vnde secundum Scotum loco citato datur duplex potentia ad diuisionem, & extensionem; Vna est potentia remota secundum quam vnum potest remotè diuidi, & extendi, & sic substantia corporea, si esset sine quantitate esset in potentia remota ad diuisionem, & extensionem, quia posset recipere quantitatem; Alia est potentia proxima, secundum quam

potest

potest proximè diuidi, & extendi, vt substantia, quæ actualiter est sub quantitate potest proximè diuidi, & extendi; Angelus autem nec est diuisibilis, & extensibilis potentia remota, nec potentia proxima; quia non potest recipere quantitatem; Vnde à primo ad vltimum differunt substantia corporea, & Angelus; quia substantia corporea est indiuisibilis per se, diuisibilis verò per accidens, Angelus autem nec per se, nec per accidens est diuisibilis, quia, vt dixi cum Scoto, non potest recipere quantitatem, sed quare Angelus, non potest recipere quantitatem? dicendum erit sicut Scotus dicit loco cit. B.C. de Angelo, & albedine, quod duplex est ratio istius repugnantiæ. Prima est essentialis, & est quia Angelus est Angelus, & quantitas est quantitas. Secunda ratio est accidentalis, & est; quia quantitas est forma extensa, Angelus verò omninò inextensus; sed quare hoc? primæ rationis non est ratio, quia hoc est hoc, & illud est illud.

Esse extensum, & diuisibile per accidẽs potest accipi dupliciter.

Secundò notatur aliquod dici extensum, & diuisibile per accidens dupliciter ex Scoto 4.d.12.q.2. I. vel, quia recipit extensionem in se, qua extenditur per accidens, vt substantia materialis, & corporea, quæ cum sit indiuisibilis, & inextensa per se, fit diuisibilis, & extensa per accidens, quia recipit quantitatem, quæ est per se extensa. Vel quia recipitur in extensione, vel extenso, & sic qualitas materialis, vt albedo, quæ de sui natura est indiuisibilis, & inextensa, dicitur diuisibilis, & extensa, quia recipitur in quantitate, quæ per se est diuisibilis, & extensa. Inextensum autem, & indiuisibile per se non repugnat esse extensum, & diuisibile per accidens, vel quia potest recipere extensionem, vel inextenso recipi, sicut homini, qui non est per se, & ex sui natura albus, non repugnat esse album per accidens, eo quia potest recipere albedinem, & licet substantia, & qualitas materialis ex sui natura sit indiuisibilis, & inextensa, non est autem sic simpliciter, sed tantùm potentia proxima, quia potentia remota ex sui natura est diuisibilis, & extensa, quia

potest

sunt diuisibiles per quantitatem in partes impenetrabiles; ergò,quòd esset indiuisibile in partes impenetrabiles, habere posset minimam partem naturaliter, & ita indiuisibilem, & sic daretur minima caro, si illa esset sine quantitate; quia sic non esset diuisibilis in partes impenetrabiles. Sed tunc quæro. Illa minima caro est diuisibilis in alias partes, vel non? si non; ergò illa caro sine quantitate erit indiuisibilis, quòd est contra ipsos; si sic; ergò dabitur minor caro, quàm sit minima, quia pars est minor toto; ergò minus minimo,& sic minima caro non esset minima. quæ omnia sunt absurda, quæ aufugi non possunt, p osita diuisibilitate in substantia sine quantitate.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Substantia sine quantitate non habet ex natura sua præsentiam diuisibilem, & extensam in loco.

Est Scoti 2.d.12.q.2.D.quol.ii.I. & 4.d.x.q.p.M.P.

Differentia substantiæ corporeæ, & incorporeæ quò ad diuisibilitatem, & extensionem.

PRo cuius declaratione.Notatur primò ex Scoto 4.d.12. q.2.B. quòd differentia est inter substantiam corpoream, & incorpoream, cuiusmodi est Angelus quo ad diuisibilitatem, & extensionem, quia Angelus,& quælibet substantia incoporea est omninò indiuisibilis, & inextensa, substantia verò corporea est indiuisibilis, & inextensa solùm per se, per accidens verò diuisibilis, & extensa ratione quantitatis, quia potest recipere quantitatem, quam non potest reripere Angelus, & substantia incorporea; Vnde secundum Scotum loco citato datur duplex potentia ad diuisionem, & extensionem; Vna est potentia remota secundum quam vnum potest remotè diuidi, & extendi, & sic substantia corporea, si esset sine quantitate esset in potentia remota ad diuisionem, & extensionem, quia posset recipere quantitatem; Alia est potentia proxima, secundum quam

potest

potest proximè diuidi, & extendi, vt substantia, quæ actualiter est sub quantitate potest proximè diuidi, & extendi; Angelus autem nec est diuisibilis, & extensibilis potentia remota, nec potentia proxima; quia non potest recipere quantitatem; Vnde à primo ad vltimum differunt substantia corporea, & Angelus; quia substantia corporea est indiuisibilis per se, diuisibilis verò per accidens, Angelus autem nec per se, nec per accidens est diuisibilis, quia, vt dixi cum Scoto, non potest recipere quantitatem, sed quare Angelus, non potest recipere quantitatem? dicendum erit sicut Scotus dicit loco cit. B.C.de Angelo, & albedine, quod duplex est ratio istius repugnantiæ. Prima est essentialis, & est quia Angelus est Angelus,& quantitas est quantitas. Secunda ratio est accidentalis,& est; quia quantitas est forma extensa, Angelus verò omninò inextensus; sed quare hoc? primæ rationis non est ratio, quia hoc est hoc, & illud est illud.

Secundò notatur aliquod dici extensum, & diuisibile per accidens dupliciter ex Scoto 4.d.12.q.2.I. vel, quia recipit extensionem in se, qua extenditur per accidens, vt substantia materialis, & corporea, quæ cum sit indiuisibilis, & inextensa per se, fit diuisibilis, & extensa per accidens, quia recipit quantitatem, quæ est per se extensa. Vel quia recipitur in extensione, vel extenso, & sic qualitas materialis, vt albedo, quæ de sui natura est indiuisibilis, & inextensa, dicitur diuisibilis, & extensa, quia recipitur in quantitate, quæ per se est diuisibilis, & extensa. Inextensum autem, & indiuisibile per se non repugnat esse extensum, & diuisibile per accidens, vel quia potest recipere extensionem, vel inextenso recipi, sicut homini, qui non est per se, & ex sui natura albus, non repugnat esse album per accidens, eo quia potest recipere albedinem, & licet substantia, & qualitas materialis ex sui natura sit indiuisibilis, & inextensa, non est autem sic simpliciter, sed tantùm potentia proxima, quia potentia remota ex sui natura est diuisibilis,& extensa, quia *Esse extensum, & diuisibile per accidēs potest accipi dupliciter.*

potest recipere extensionem, & quantitatem, vel quia potest recipi in extenso, & quantitate, vt qualitas materialis, sicuti est albedo, & quilibet color; Angelus autem, & omnis substantia incorporea est ex sui natura omninò indiuisibilis, & potentia proxima, & potentia remota, quia vt dixi in prin. not. non potest recipere quantitatem, aut recipi in quantitate; quia est substantia, cui competit non esse in subiecto.

Nulla datur extensio, nisi quantitatiua, & impenetrabilis naturaliter.

Tetiò notatur, quòd cùm quantitas sit ratio extensionis, vt dictum est ex Scoto in 2. not. & alibi sæpè, nulla potest dari extensio, nisi quantitatiua, & naturaliter impenetrabilis; Vnde ponentes cum Scoto extensionem penetrabilem in substantia, & qualitate materiali tenentur asserere in substantia, & qualitate materiali esse lineam, superficiem, & corpus, vt Aduersarii confitentur, & sic dabitur linea, superficies, & corpus de genere substantiæ, quantitatis, & qualitatis quis vnquàm talia audiuit ab Arist.& Scoto? Sunt enim tales Pseudoperipatetici, & pseudo Scotistæ; nullus enim legat, & perlegat Aristot.& Scotum, inueniet dimensiones in substantia, & qualitate; sed solùm in quantitate per se, per accidens verò solùm in substantia materiali, quatenus est subiectum quantitatis, & in qualitate, quatenus in quantitate recipitur; nec inueniet extensionem naturaliter penetrabilem, quia repugnat extendi, & naturaliter penetrari; Ex hoc enim aduersariorum falso fundamento, fictè deducto ex doctrina Scoti, falsas deducunt conclusiones, quas nunquam Scotus somniauit: His notatis

Probatur conclusio. Quòd non habet rationem formalem proximam fundandi respectum ad locum circumscribentem, non potest esse extensum, replere locum, & esse circumscriptiuè in loco; sed substantia secundum se sine quantitate non habet rationem formalem proximam fundandi respectum ad locum circumscribentem; ergo substantia secundum se sine quantitatn non est extensa, nec replet

plet

plet locum, nec est circumscriptiuè in loco: Probo minorem, quia talis ratio formalis proxima fundandi respectum ad locum circumscribentem est quantitas ex Sco. 4. d. 10. q. 3. C. ergo substantia sine quantitate non haberet rationem formalem proximam fundandi talem respectum ad locum circumscribentem.

Nec valet dicere, quòd Scotus intelligit de ratione formali proxima fundandi respectum ad locum impenetrabiliter, quia dicere respectum ad talem locum abstrahit ab omni penetrabilitate, & impenetrabilitate, est enim priùs esse in loco circumscriptiuè, quàm esse penetrabiliter, vel impenetrabiliter; cùm sit aliquod commune, sustinendo, sed contrà Scotum, dari extensionem naturaliter penetrabilem, sicut animal abstrahit à rationali, & irrationali, & est prius natura animal, quàm sit rationale, vel irrationale: Tunc quæro, quænam sit ista ratio formalis proxima in communi fundandi relationem ad locum circumscribentem, vt abstrahit à præsentia locali circumscriptiua penetrabili, vel impenetrabili? Vel talis ratio erit quantitas, & sic substantia sine quantitate non posset esse in loco circumscriptiuè; quia non posset dicere respectum ad locum circumscribentem: quia non haberet rationem formalem proximam fundandi talem respectum; Vel est substantia, vel aliquid aliud à quantitate, & sic quantum, vt sic, non posset esse in loco circumscriptiuè per eandem rationem; Vel esset aliquod commune ad substantiam, & accidens, & hoc non posset esse, nisi ratio entis finiti in comuni. & sic Angelus, & omnia accidentia, etiam relationes possent esse in loco circumscriptiuè; quia haberent rationem formalem proximam fundandi relationem ad locum circumscribentem, quod est falsissimum.

Tacita responsio cõfutatur.

Si dicerent, quòd talis ratio formalis proxima in comuni fundandi relationem ad locum circumscribentem sit extensio in comuni ad extensionem penetrabilem, vel impenetrabilem,

Tacita responsio cõfutatur.

bilem,

bilem; quæro ſicut prius, vel iſta extenſio in comuni eſt ſubſtantia, vel quantitas, vel aliud accidens, vel aliquid comune ad ſubſtantiam, & accidens; ſi eſt ſubſtantia ergo quantum, vt quantum, non poteſt eſſe in loco circumſcriptiuè; ſi eſt quantitas, ergò ſubſtantia ſecundum ſe non poſſet eſſe in loco circumſcriptiuè, quod eſt contra Aduerſarios; ſi eſt aliquod comune ad ſubſtantiam, & accidens; ergo quælibet ſubſtantia, & accidens poſſet eſſe in loco circumſcriptiuè, etiam relatio, quod eſt falſiſſimum apud omnes Philoſophos: ergo à primo ad vltimum ratio formalis proxima fundandi reſpectum ad locum circumſcribentem erit ſola quantitas, & non dabitur extenſio in loco, niſi quæ ſit naturaliter impenetrabilis.

Contra arguunt primò Meld. & Cat. diſp. 9. q. 1. A. p. Quãdo quantitas ſuperuenit ſubſtantiæ, non reperit eam prorsùs indiuiſibilem; ſic enim non foret ſubiectum capax quantitatis, ita docet Scotus de materia 2. d. 12. q. 2. de forma materiali 4. d. 44. q. p. & de qualitate corporali 4. d. 12. q 2. B. ergo ſubſtantia ſine quantitate erit diuiſibilis, & extenſa in via Scoti, licet non impenetrabiliter, antecedens probatur, quia cum quantitas in ſubſtantia recipitur, vel tota quantitas recipitur in tota ſubſtantia, & pars in parte, vel tota in tota ſubſtantia indiuiſibiliter, ita vt omnes partes ipſius quantitatis applicentur eidem entitati indiuiſibili ſubſtantiæ: Si primum, ergo pluralitas partium ſubſtantialium in ſubſtantia præcedit quantitatem; ſi ſecundum, ergo accidens diuiſibile recipitur in ſubiecto indiuiſibili, quòd repugnat.

Reſponſio ad argumentum Meld. & Cat. cum Sco. & doctrina ipſorum.

Reſpondeo ad antecedens, quòd quantitas, ſuperueniens ſubſtantiæ, non reperit eam prorsùs indiuiſibilem; quia licet ſubſtantia ex ſui natura ſit per ſe indiuiſibilis, & inextenſa, eſt tamen diuiſibilis, & extenſa potentia remota, & per accidens, quatenus ſcilicet poteſt recipere quantitatem, ità ex Sco. 4. d. 12, q. 2. B. & ideò, cùm quantitas ſuperuenit ſubſtantiæ,

stantiæ, tota recipitur in tota substantia, & pars in parte; Et cùm infertur, ergò pluralitas partium substantialium in substantia præcedit quantitatem, concedo; sed illæ partes non præcedunt extensæ, fiunt verò extensæ per quantitatem ex Sco.loc.cit.I. quia extensio est effectus formalis quãtitatis ex Sco. loc.cit. & 4.d.10.q.3. C. Vnde quantitas non præsupponit partes substantiales extensas, quod etiam cernimus in aliis accidentibus, partes enim albedinis reddunt partes parietis albas, nec eas præsuponit tales, partes caloris reddunt partes manus calidas, quas non præsupponebant tales, & sic de singulis; Ad hoc enim sunt institutæ formæ, inquiunt etiam Meld. & Car. in hac disputatione nu. 21.in fine, vt per earum communicationem tribuant subiectis effectus formales, quos de se non habebant; quid igitur tribueret quantitas substantiæ? non extensionem, quia præsupponunt extensam; ergo tantum impenetrabilitatem, quæ est negatio penetrabilitatis, & sic effectus formalis formæ positiuæ esset tantum negatio, quod est ridiculum.

Secundò arguunt num.4. Substantia corporea sine quantitate essentialiter distinguitur ab incorporea, sed non potest distingui, nisi per extreitatem, & extensionem partium; ergo substantia sine quantitate erit diuisibilis, & extensa in loco.

Ad argumentũ pro opinione Mel. et Car. Respondet Scotus.

Ad hoc argumentum, quòd existimant efficax in via Scoti respondet ipsemet Scotus 4. d.12. q.2. B. quòd substantia incorporea, & corporea differunt, quia incorporea omninò est indiuisibilis, & inextensa, quia non potest recipere quantitatem, secundum quam extendatur: Corporea verò licet indiuisibilis, & inextensa per se, est tamen diuisibilis, & extensa per accidens, quia est subiectum capax quantitatis, vt difusè dictum est cum Scoto in primo not. quare negatur consequentia.

Differentia inter substantiã corporeã sine quãtitate, & incorpoream.

Tertiò. Quantitas adueniens substantiæ & si possit illi tribuere partes extensionis accidentales, non autem potest

tribuere ei partes substantiales, quia accidens non causat suum subiectum, sed potius è contra; ergo substantia sine quantitate habet partes extra partes, & extensas.

Respondetur negando consequentiam, quia licet quantitas non tribuat partes substantiales, causat tamen huiusmodi partes extensas potentia proxima, quæ extensio illis partibus substantialibus accidit. i. non dat quantitas esse substantiale, sed dat esse extensum, quòd est accidentale. Hoc argumentum probat substantiam sine quantitate habere plures partes substantiales, sed non probat illas esse sine quantitate extensas, immò probat oppositum, & contra ipsos, quia non est essentiale substantiæ habere partes extensas, sed tantum accidentale à quantitate proueniens.

Qnartò. Non solùm in capite est distincta pars quantitatis, sed etiam distincta pars substantiæ ab illa, quæ est in pede, alioquin eadem substantia indiuisibilis secundum entitatem esset in pede, & in capite, immò & in toto corpore; ergo substantia secundum se sine quantitate habet partes extensas.

Respondeo concedendo antecedens, sed hoc ideo est, quia homo habet quantitatem, quam si non haberet, non haberet partem extra partem in ordine ad locum, & non extenderetur, immò homo non remaneret in suo esse, sed destrueretur, quia corpus organizzari non potest sine quantitate, qua ablata non esset pes, nec manus, nec caput, & per consequens corpus organizatum destrueretur; loquendo verò de corpore non organizato, ablata quantitate omnes partes eius iam per quantitatem extensæ, confluerent in punctum, vt patet in responsione ad tertium in secunda conclusione huius disputationis; quare negatur consequentia.

Ablata quantitate, partes substantiæ confluerēt in punctū.

Quintò. Si consecraretur hostia secundum vnam medietatem, & non secundum aliam; tunc pars substantialis consecrata desineret esse, alia remanente, quæ à Deo expoliari

poliari posset sua quantitate; ergo ista quantitas in parta substantiæ remanente, etiam antequam fieret consecratio subiectabatur, & non in alia, quæ desinit; ergo substantia secundum se habet partes integrales, & extensas, & non à quantitate.

Respondeo concedendo, quòd pars hostiæ non consecrata remaneret, & posset expoliari à Deo sua quantitate, sed tunc expoliata non remaneret extensa; & concedo, quòd quantitas in parte substantiæ remanente subiectabatur ante consecrationem; sed non rectè ex hoc infertur, quòd substantia habeat partes integrales, & extensas, & non à quantitate, sed solùm qnod habeat partes, quas tamen solùm habet extensas à quantitate.

Nulla istarum rationum præter primam habet euidentiam.

CONCLVSIO QVARTA.

Continuum constat ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia.

Est Scoti 2.d. 2.q.9. B.C.D.E.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

MEld.& Cat.disp.9.Phys.q.2. per totum hanc eandem conclusionem sustinent, sed nu.29. se declarant nomine continui intelligere non solùm quantitatem, sed etiam substantiam corpoream, eiusque omnia accidentia materialia, cùm hæc omnia habeant suas entitatiuas partes, vnam extrà aliam, seclusa quantitate, & propriam compositionem integralem, & per consequens sunt continua. Per diuisibilia verò intelligunt partes, quæ rursus in minores, & minores diuidi possunt. Per indiuisibilia verò intelligunt indiuisibilia Mathematica, qualia sunt puncta, linea, *Opinio Meld. & Cat.*

& superficies, quæ prorsus nullas habent partes ex eo capite, quo indiuisibilia sunt; Et in fine huius num. 29. habent, quòd continuum constat ex diuisibilibus, vt ex partibus componentibus, & integrantibus molem corpoream; quam sententiam dicunt esse germanam peripateticam, quam sequitur Sco. 2. d. 2. q. 9. T.

Malè intelligunt, & explicant suam opinionem, & confutan. T.

Sed hæc conclusio hoc modo intellecta nullo modo à Scotistis sustentari potest, quia vt fusius probatum est conclus. 3. præcedenti, substantia, & qualitas, seclusa quantitate, non sunt continua, nec partes habent integrales diuisibiles per se, sed tantum per accidens, scilicet ratione quantitatis; Hoc patet ex Sco. loco ab ipsis cit. C. vbi habet: *Sicut continuum vnum est per se in actu, & plura in potentia, in qua per se est diuisibile, ita qualitas sensibilis, vt existens in continuo est vna in actu, & plures in potentia, licet per accidens:* Hæc Sco. qui vocat qualitatem materialem, & sensibilem continuam, non per se, sed per accidens; ergò nomine continui per se non potest intelligi qualitas materialis. Et litt. D. Scotus asserit diuisibilitatem in partes integrales eiusdem rationis extensas nulli competere, nisi per quantitatem, & quod diuisibilitas in tales partes vel essentialiter consequitur quantitatem, vel est de per se ratione eius: ergò sub nomine continui non continetur substantia materialis, & eius qualitas, sed solùm intelligitur quantitas in doctrina Scoti.

Tacita responsio confutatur

Si respondeant, quod Scotus ibi intelligit de diuisibilitate in partes extensas impenetrabiles, inueniant mihi quando vnquam Sco. posuit aliquam extensionem, & continuitatem naturaliter penetrabilem, sicut semper ipsi inuenient in Sco. quòd sola continuitas, extensio, diuisibilitas, & huiusmodi per se tantum competit quantitati, substantiam verò, & qualitatem materialem non esse per se continuam, extensam, & diuisibilem, sed tantum per accidens, ratione quantitatis. Dicant mihi vbi inueniunt in Sco. extensionem na-

naturaliter penetrabilem, mihi sufficeret vnus locus: Ad quid igitur aufugere ad extensionem penetrabilem, & impenetrabilem naturaliter, & quod Sco. concesserit illam duplicem extensionem, diuisibilitatem, & continuitatem, si ex dictis eius nunquam possunt hoc elicere, sed potius contrarium? quomodo possunt dicere eorum conclusionem esse Scoti illis in locis, in quibus totum oppositum dicit?

Præterea sibi ipsis contradicunt, more solito, quia dicunt in hac quæstione in fine num. 29. quod hoc continuum, sub quo continetur substantia, & qualitas materialis constat ex diuisibilibus, vt ex partibus componentibus, & integrantibus molem: At in hac disput. q. p. n. 22. §. ad secundum dicunt, quòd sola quantitas molem facit, non substantia, nec qualitas; habent enim hæc verba: *Ad secundum concedimus, absolutè loquendo, assumptum, cum enim tàm substantia, quàm qualitas corporea, seclusa quantitate habeant suas partes integrales vnitas, & continuas, etiam & indiuisibilia continuatiua debent habere, appropriatè tamen, & peculiari quodam modo admitti debent in quantitate, quia hæc sola (nota diligenter) est, quæ molem facit, & corpora magnificat per longum, latum, & profundum. Hæc illi*, qui manifestè contradicentes sunt; Nam in primo loco cit. dicunt substantiam, & qualitatem materialem contineri sub continuo, quod constat ex diuisibilibus, quæ molem faciunt: ergò substantia, & qualitas materialis constabit ex diuisibilibus, quæ molem faciunt, aliter non continerentur sub nomine continui; Hoc autem contradicit asserto in secundo loco cit. vbi habent substantiam, & qualitatem materialem non constare ex diuisibilibus, & partibus, quæ faciunt molem, quia sola quantitas facit molem; Quid clarius? Ex his formo efficacissimum argumentum contra ipsos.

Contradictio Meld. & Cat.

Quod non constat ex partibus, quæ faciunt molem, non potest sub nomine continui contineri, ex ipsis n. 30. sed substantia, & qualitas materialis non constant ex partibus, quæ faciunt

Argumentū efficax cōtra Mel. & Cat.

faciunt molem ex ipsis n. 22. ergo substantia, & qualitas materialis sub hoc nomine continui non continentur.

Prætereà si sola quantitas facit longum, latum, & profundum secundum istos Doctores, & rectè secundum Sco. ergò substantia, & qualitas materialis sine quantitate non erit lata longa, & profunda; ergò non erit extensa, quia non datur extensio nisi secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ergo sub nomine continui non poterit contineri.

Arguitur 2. ad hominem.

3. ad hominem.

Prætereà si secundum istos Doctores, vt prius dictum est, substantia, & qualitas materialis habet lineam, superficiem, & corporeitatem dimensiuam sine quantitate: ergo substantia, & qualitas materialis habet molem, & partes impenetrabiles naturaliter, quod est contra ipsos, quia nihil habet molem, nisi sit naturaliter impenetrabile etiam secundum ipsos n. 22. probo consequentiam, quia non potest dari linea sine longitudine, nec superficies sine latitudine, nec corporeitas dimensiua sine profunditate; quod enim constituitur ex partibus copulatis per puncta est longum, copulatis per lineam est latum, & per superficiem est profundum: ergo secundum istos Doctores substantia, & qualitas materialis erit extensa, & inextensa, quod est manifesta contradictio, soluant si possunt.

Item secundò principaliter. Isti Doctores per indiuisibilia, ex quibus partes continui continuantur intelligunt, & rectè indiuisibilia mathematica, quæ sunt punctus, linea, superficies: Tunc sic, sed substantia, & qualitas materialis sine quantitate non possunt constare ex indiuisibilibus mathematicis: ergo substantia, & qualitas materialis non potest contineri sub nomine continui: Probo minorem, quia mathematicum, & quantum idem sunt ex Sco. 2. d. 2. q. 6. C. ergo si substantia, & qualitas materialis sine quantitate constant ex indiuisibilibus mathematicis, constarent ex terminis quantitatiuis, & essent quantitates, vel quanta;

ergo

ergo substantia, & qualitas materialis sine quantitate haberent quantitatem, & essent quanta, quod est omninò impossibile: ergo substantia, & qualitas materialis non constant ex indiuisibilibus mathematicis: ergo à primo ad vltimum non erit continua secundum se, & sine quantitate, quod est contra ipsos.

Item tertiò principaliter. Dicunt hanc eorum sententiam esse Sco.2.d.2.q.9. hoc autem est falsum, quia ibi Sco. vtique dicit continuum non constare ex solis indiuisibilibus: sed ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia; sed sub nomine continui non comprehendit substantiam, & qualitatem materialem secundum se, & sine quantitate, vt ipsi dicunt, immò, vt iam probatum est, dicit solam quantitatem esse per se continuam, substantiam verò, & qualitatem materialem esse continuam solùm per accidens, & esse diuisibilem solùm ratione quantitatis, & diuisibilitatem nulli competere, nisi per quantitatem. *Falsò citant Scotum.*

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Continuum constat ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia.

Est Sco 2. d.2. q.9. B.C.D.E.

PRo cuius declaratione Notatur primò ex Arist.in prædicamentis cap. de quantitate, quòd continuum est cuius partes copulantur ad aliquem terminum comunem: Cuius species sunt Continuum permanens, cuius partes sunt simul: Successiuum, cuius partes non sunt simul, vt fusius dictum est in primo Not. primæ conclusionis, sed vna alteri succedit; In proposito sub hoc nomine continui non potest contineri nisi sola quantitas in via Arist. & Sco:non autem, vt dicunt Aduersarii, substantia, & qualitas materialis; hæc enim licet habeant partes diuersas, & *Sub nomine cõtinui non continetur nisi sola quantitas.*

plures

plures, attamen illæ partes non sunt per se extensæ, & per consequens non constant ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia, sed solum substantia, & qualitas materialis, vt dictum est in primo cap. & in præcedentibus conclusionibus sunt extensæ, & diuisibiles in partes extensas eiusdem rationis per accidens tantùm scilicet ratione quantitatis, quatenus scilicet substantia materialis potest recipere quantitatem, & qualitatem in quantitate recipi.

Diuisibile, & indiuisibile duplex, & quid.

Secundò Not. quod aliquod potest dici diuisibile, & indiuisibile dupliciter. Vno modo simpliciter: Alio modo secundum quid. Diuisibile simpliciter in proposito est illud, qnod potest diuidi in partes eiusdem rationis extensas secundum omnes dimensiones, & illud non potest esse terminus copulans partes alterius: vt corpus de genere quantitatis est diuisibile simpliciter, quia est diuisibile in partes eiusdem rationis extensas secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & hoc corpus nunquam potest esse terminus copulans partes alterius quantitatis. Ita per oppositum indiuisibile simpliciter est quod solum est terminus continuans partes alterius quantitatis, & nullo modo est diuisibile in partes eiusdem rationis extensas, vt punctus. Diuisibile verò secundum quid est quod potest diuidi in partes eiusdem rationis extensas, tamen potest esse terminus copulans partes alterius quantitatis, vt linea, & superficies sunt diuisibiles in partes eiusdem rationis extensas, quia pars lineæ est linea, & pars superficiei est superficies, tamen linea potest esse terminus copulans partes superficiei, & superficies terminus copulans partes corporis, & secundum quod sunt termini sunt indiuisibiles ea diuisibilitate, qua illa quantitas, cuius sunt termini, est diuisibilis, linea enim est indiuisibilis ea diuisibilitate, qua diuiditur superficies, non enim linea est diuisibilis secundum latitudinem, & superficies est indiuisibilis diuisi-

bili-

bilitate corporis, cuius est terminus; quia non est diuisibilis secundum profunditatem: Vnde indiuisibile secundum quid est illa quantitas, quæ secundum se est diuisibilis, sed indiuisibilis ea diuisione, qua quantitas, cuius est terminus, diuiditur. Et sic diuisibile, & indiuisibile secundum quid in eodem coincidunt, vt linea, & superficies, quæ sunt quantitates diuisibiles secundum aliquam dimensionem, & non secundum omnes; Diuisibile verò, & indiuisibile simpliciter in eodem coincidere non possunt, quia diuisibile simpliciter est solùm corpus, indiuisibile verò simpliciter est solum punctus.

Indiuisibile simpliciter est positiuum, nō priuatiuū.

Tertiò Not. quod simpliciter indiuisibile, vt punctus in linea, instans in tempore, & mutatum esse in motu est aliquid positiuum, non priuatiuum, vt aliqui putarunt, annuente Scoto 2.d.2.q.9.L. quam opinionem amplexati sunt Nominales, nam, vt inquit Sco. loco cit. sequeretur, quod generatio, & mutationes subitæ, vt illuminatio, nullam haberent mensuram positiuam, si instans, quod est mensura talis mutationis non esset quid positiuum, sed priuatiuum, præterquam quod indiuisibile definitionem continui ingreditur essentialem, quod non posset esse, nisi esset quid positiuum, cum priuatiuum non possit definire positiuum. Et hoc indiuisibile non realiter identificatur cum partibus continui, quia in diuisione, quæ cadit super punctum ipsum destruitur, remanentibus partibus continui; Vtique partes continui non possunt esse sine punctis continuantibus; De ratione enim continui, vt continuum est quod habeat partes continuatas per indiuisibilia, tamen potest esse sine tali, vel tali puncto continuante, vt patet per diuisionem continui punctus destruitur, & alia puncta generantur, vel ab agente naturali per illam incisionem, vel naturaliter consequuntur illas partes diuisas, vel ab agente supernaturali producuntur, ne res naturaliter terminatæ remaneant incompossibiliter sine suis terminis. Idem dicen-

plures, attamen illæ partes non sunt per se extensæ, & per consequens non constant ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia, sed solum substantia, & qualitas materialis, vt dictum est in primo cap. & in præcedentibus conclusionibus sunt extensæ, & diuisibiles in partes extensas eiusdem rationis per accidens tantùm scilicet ratione quantitatis, quatenus scilicet substantia materialis potest recipere quantitatem, & qualitatem in quantitate recipi.

Diuisibile, & indiuisibile duplex, & quid.

Secundò Not. quod aliquod potest dici diuisibile, & indiuisibile dupliciter. Vno modo simpliciter: Alio modo secundum quid. Diuisibile simpliciter in proposito est illud, quod potest diuidi in partes eiusdem rationis extensas secundum omnes dimensiones, & illud non potest esse terminus copulans partes alterius: vt corpus de genere quantitatis est diuisibile simpliciter, quia est diuisibile in partes eiusdem rationis extensas secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & hoc corpus nunquam potest esse terminus copulans partes alterius quantitatis. Ita per oppositum indiuisibile simpliciter est quod solum est terminus continuans partes alterius quantitatis, & nullo modo est diuisibile in partes eiusdem rationis extensas, vt punctus. Diuisibile verò secundum quid est quod potest diuidi in partes eiusdem rationis extensas, tamen potest esse terminus copulans partes alterius quantitatis, vt linea, & superficies sunt diuisibiles in partes eiusdem rationis extensas, quia pars lineæ est linea, & pars superficiei est superficies, tamen linea potest esse terminus copulans partes superficiei, & superficies terminus copulans partes corporis, & secundum quod sunt termini sunt indiuisibiles ea diuisibilitate, qua illa quantitas, cuius sunt termini, est diuisibilis, linea enim est indiuisibilis ea diuisibilitate, qua diuiditur superficies, non enim linea est diuisibilis secundum latitudinem, & superficies est indiuisibilis diuisi-

bili-

bilitate corporis, cuius est terminus; quia non est diuisibilis secundum profunditatem: Vnde indiuisibile secundum quid est illa quantitas, quæ secundum se est diuisibilis, sed indiuisibilis ea diuisione, qua quantitas, cuius est terminus, diuiditur. Et sic diuisibile, & indiuisibile secundum quid in eodem coincidunt, vt linea, & superficies, quæ sunt quantitates diuisibiles secundum aliquam dimensionem, & non secundum omnes; Diuisibile verò, & indiuisibile simpliciter in eodem coincidere non possunt, quia diuisibile simpliciter est solùm corpus, indiuisibile verò simpliciter est solum punctus.

Indiuisibile simpliciter est positiuum, nõ priuatiuũ.

Tertiò Not. quod simpliciter indiuisibile, vt punctus in linea, instans in tempore, & mutatum esse in motu est aliquid positiuum, non priuatiuum, vt aliqui putarunt, annuente Scoto 2.d.2.q.9.L. quam opinionem amplexati sunt Nominales, nam, vt inquit Sco. loco cit. sequeretur, quod generatio, & mutationes subitæ, vt illuminatio, nullam haberent mensuram positiuam, si instans, quod est mensura talis mutationis non esset quid positiuum, sed priuatiuum, præterquam quod indiuisibile definitionem continui ingreditur essentialem, quod non posset esse, nisi esset quid positiuum, cum priuatiuum non possit definire positiuum. Et hoc indiuisibile non realiter identificatur cum partibus continui, quia in diuisione, quæ cadit super punctum ipsum destruitur, remanentibus partibus continui; Vtique partes continui non possunt esse sine punctis continuantibus; De ratione enim continui, vt continuum est quod habeat partes continuatas per indiuisibilia, tamen potest esse sine tali, vel tali puncto continuante, vt patet per diuisionem continui punctus destruitur, & alia puncta generantur, vel ab agente naturali per illam incisionem, vel naturaliter consequuntur illas partes diuisas, vel ab agente supernaturali producuntur, ne res naturaliter terminatæ remaneant incompossibiliter sine suis terminis. Idem dicen-

dum est de indiuisibili secundum quid, sicut linea, & superficies, linea enim, & superficies terminans, & continuans per incisionem destruitur, remanentibus partibus continui, terminatis tamen per alias lineas, & superficies de nouo productas à causa naturali, vel à Deo, vel sic naturaliter consequentes, sicut terminus naturaliter sequitur id, cuius est terminus; His notatis

Probatur Conclusio multis rationibus à Sco. & primo de Continuo successiuo ratione phylosophica desumpta ex Arist. 6. phys. tex. 25 & 29.

Si motus esset compositus ex indiuisibilibus; ergò indiuisibile necessariò esset diuisibile, quod repugnat; Consequentia probatur, quia ponatur Franciscus V.G. quod transeat spatium vnius palmi tribus instantibus, & quod Antonius velocius moueatur in duplo, quia dato quocunq; motu, velocior dari potest ex Arist. loc. cit. ergo ille motus velocior in duplo mensurabitur minori tempore in duplo; ergo sicut primus motus mensurabitur tribus instantibus; secundus motus mensurabitur vno instanti, & dimidio alterius instantis, & sic instans indiuisibile erit diuisibile, quod est impossibile.

Secundò probatur à Scoto ratione etiam desumpta ex Arist. 6. phys. tex. 4. & inde. Continuum permanens non componitur ex indiuisibilibus; ergo nec successiuum: Consequentia probatur ex Arist. loco cit. quia eiusdem rationis est motum, & magnitudinem, & tempus componi ex indiuisibilibus; Nam successio in motu; quæ est secundum prius, & posterius accipitur à successione in magnitudine secundum prius, & posterius in ipsa, & successio in tempore accipitur à successione motus secundum prius, & posterius in ipso; Antecedens probatur ex Arist. loco cit. & primo de generatione tex. 8. & 3. Met. tex. 16. quia indiuisibile additũ indiuisibili non facit maius; & per consequens extensum, quia talia indiuisibilia aut se tangerent secundum se tota, &

hoc

hoc non, quia vnum non distingueretur ab alio secundum situm, & sic non facerent continuum extensum; Aut se tangerent secundum partes, & hoc non, quia indiuisibile non habet partes, idest aut se tangerent secundum aliquod sui, & secundum aliquod non, vt linea, quæ tangit aliam lineam secundum aliquod sui, idest secundum punctum, & non secundum omnes partes eius, & superficies tangit superficiem secundum lineam, idest vnitur alteri superficiei secundum lineam, & nō secundum omnes sui partes, & corpus vnitur alteri corpori secundum superficiem, & non secundum omnes sui partes; modò cum indiuisibile non habeat terminans, & copulans partes, non poterit tangere secundum aliquod sui, & secundum aliquod eius non tangere, quia sic haberet partes, & per consequens cum alio indiuisibili non potest facere maius.

His rationibus Respondent multi negantes fundamentum Arist. & principia; contra ipsos disputare nolo, quia contra negantes principia non est disputandum.

Tertiò probat Sco. Continuum permanens non constare ex indiuisibilibus ratione mathematica, quæ est conuincens. Si continuum permanens constaret ex indiuisibilibus, & punctis: ergo circulus minus haberet tot puncta, & partes; quot haberet circulus maior, & Costa, seù latus quadrati haberet tot partes, & puncta, quot haberet Diameter, quod est falsum, quia Diameter, qui est linea tracta ab vno Angulo quadrati, ad alium Angulum per medium quadrati est maior quocunque latere quadrati: Prob. consequentia hoc supposito fundamento mathematico, scilicet, quòd circa quodlibet centrum possunt describi plures circuli, quorum vnus sit maior, alter necessario minor, & quod à centro possit protrahi linea ad circumferentiam circuli, & ad quamlibet partem circumferentiæ; Trahantur igitur duæ lineæ à centro ad duo puncta immediata circuli maioris (supposito secundum Aduersarios circulum constitui ex

indiuisibilibus, & punctis) tunc illæ duæ lineæ transeundo per circulum minorem, vel secabunt circumferentiam circuli minoris in eodem puncto, vel in alio, si in alio: ergo tot puncta, & indiuisibilia erunt in minori circulo, sicut in maiori, quod est falsum, quia impossibile est duo inæqualia componi ex partibus æqualibus in magnitudinæ, & multitudine, punctus enim non excedit punctum in magnitudine, & puncta in circumferentia minoris circuli sunt tot, quot in circumferentia maioris circuli: ergò minor circumferentia est æqualis maiori, & sic pars æqualis toti, quod est falsum. Non in eodem puncto, quia illæ lineæ essent paralellæ, quæ non concurrunt.

Præterea trahantur duæ lineę paralellæ à centro ad quem libet circulum, quæ ducantur ad duo puncta immediata circuli, tunc illæ lineæ non concurrerent, & tamen intrà illum circulum posset describi minor circulus, & illæ lineæ non seccabunt in eodem puncto; ergo tot erunt puncta in illo circulo minori, sicut in maiori.

Confirmatur etiam nostra conclusio Auctoritate Concilii Constantiensis, quod condamnando errores Io: Hus sess. 12. condemnauit continuum componi ex indiuisibilibus, verba Concilii. *Linea autem mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis simpliciter finitis, vel tempus est, vel fuit, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint aliter componantur, & statim subdit: Prima pars est error in Philosophia, sed vltima errat circa diuinam potentiam*. Ex quibus patet, quod si continuum non componitur ex indiuisibilibus, consequens erit dicere, quod componitur ex diuisibilibus partibus, quæ facient molem, & extensionem, quæ cum sint continuæ, & copulatæ, per aliud copulantur, & continuantur, quod non potest esse, nisi indiuisibile, quia diuisibile non continuat, sed continuatur, aliter eiusdem rationis esset res, & terminus rei, quod est falsum.

Con-

Contrà primò arguunt Zenonistæ Continuum componi ex solis indiuisibilibus; Si Corpus perfectè sphæricum moueretur super perfectè planum non tangeret, nisi in puncto ex Arist. 1. de anima tex. 13. & describeret in plano lineã; ergo totum planum erit ex punctis compositum, & similiter illa linea esset ex punctis composita; Consequentia probatur, quia dato opposito, Sphæricum illud non semper tangeret in puncto, sed immediatè post instans temporis tangeret in tempore sequenti planum in aliquo diuisibili, & sic non semper tangeret in puncto, quod est contra suppositum Aristotelis.

Respondent multi vel negantes, vel malè glosantes dictum Arist. sed confutantur à Scoto 2. d. 2. q. 9. T.

Respondent tamen Meld. & Cat. ibi nu. 63 quod si sphæra volutetur, argumentum non habet difficultatem, quia non tangit lineam in puncto, sed secundum lineam circularem: Si autem sphæra trahatur super planum: Respondent ipsum in instanti tangere planum in puncto, sed immediatè post in tempore tangit in linea, vt docet Sco. 2. d. 2. q. 9. ad tertium principale. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed isti Doctores putantes hoc argumentum esse facilis solutionis, faciliter respondent, sed contrà Sco. & non soluunt argumentum. Nam falsum est, quod si sphæricum volutetur super planum tangat secundum lineam circulariter; Hoc enim impugnatur à Sco. loco ab ipsis citato, immò dicit esse hoc impossibile, & probat, quia quod tangit circulare est circulare; ergo si sphæricum secundum lineam circularem tangeret planum, linea recta in plano tangeret lineam circularem sphærici, & sic linea recta esset circularis, quod est impossibile, quia linea recta inquit Scot. in qualibet parte est recta, sicut linea circularis in qualibet parte est circularis. *confutatur* *Circulare non potest tãgere nisi circulare.*

Nec valet dicere quod contactus lineæ circularis non potest esse à linea recta simul, tamen linea recta potest tan-

gere

faciunt molem ex ipsis n.22.ergo substantia, & qualitas materialis sub hoc nomine continui non continentur.

Arguitur 2. ad hominem. Præterea si sola quantitas facit longum, latum, & profundum secundum istos Doctores, & rectè secundum Sco. ergò substantia, & qualitas materialis sine quantitate non erit lata longa, & profunda; ergò non erit extensa, quia non datur extensio nisi secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ergo sub nomine continui non poterit contineri.

3. ad hominem. Præterea si secundum istos Doctores, vt prius dictum est, substantia, & qualitas materialis habet lineam, superficiem, & corporeitatem dimensiuam sine quantitate: ergo substantia, & qualitas materialis habet molem, & partes impenetrabiles naturaliter, quod est contra ipsos, quia nihil habet molem, nisi sit naturaliter impenetrabile etiam secundum ipsos n. 22. probo consequentiam, quia non potest dari linea sine longitudine, nec superficies sine latitudine, nec corporeitas dimensiua sine profunditate; quod enim constituitur ex partibus copulatis per puncta est longum, copulatis per lineam est latum, & per superficiem est profundum: ergo secundum istos Doctores substantia, & qualitas materialis erit extensa, & inextensa, quod est manifesta contradictio, soluant si possunt.

Item secundò principaliter. Isti Doctores per indiuisibilia, ex quibus partes continui continuantur intelligunt, & rectè indiuisibilia mathematica, quæ sunt punctus, linea, superficies: Tunc sic, sed substantia, & qualitas materialis sine quantitate non possunt constare ex indiuisibilibus mathematicis: ergo substantia, & qualitas materialis non potest contineri sub nomine continui: Probo minorem, quia mathematicum, & quantum idem sunt ex Sco.2.d.2.q.6.C. ergo si substantia, & qualitas materialis sine quantitate constant ex indiuisibilibus mathematicis, constarent ex terminis quantitatiuis, & essent quantitates, vel quanta;

ergo

ergo substantia, & qualitas materialis sine quantitate haberent quantitatem, & essent quanta, quod est omninò impossibile: ergo substantia, & qualitas materialis non constant ex indiuisibilibus mathematicis: ergo à primo ad vltimum non erit continua secundum se, & sine quantitate, quod est contra ipsos.

Item tertiò principaliter. Dicunt hanc eorum sententiam esse Sco.2.d.2.q.9. hoc autem est falsum, quia ibi Sco. vtique dicit continuum non constare ex solis indiuisibilibus: sed ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia; sed sub nomine continui non comprehendit substantiam, & qualitatem materialem secundum se, & sine quantitate, vt ipsi dicunt, immò, vt iam probatum est, dicit solam quantitatem esse per se continuam, substantiam verò, & qualitatem materialem esse continuam solùm per accidens, & esse diuisibilem solùm ratione quantitatis, & diuisibilitatem nulli competere, nisi per quantitatem.

Falsò citant Scotum.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Continuum constat ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia.

Est Sco 2. d.2. q.9. B.C.D.E.

PRo cuius declaratione Notatur primò ex Arist.in prædicamentis cap. de quantitate, quòd continuum est cuius partes copulantur ad aliquem terminum comunem: Cuius species sunt Continuum permanens, cuius partes sunt simul: Successiuum, cuius partes non sunt simul, vt fusius dictum est in primo Not. primæ conclusionis, sed vna alteri succedit; In proposito sub hoc nomine continui non potest contineri nisi sola quantitas in via Arist. & Sco: non autem, vt dicunt Aduersarii, substantia, & qualitas materialis; hæc enim licet habeant partes diuersas, & plures

Sub nomine cõtinui non continetur nisi sola quantitas.

plures, attamen illæ partes non sunt per se extensæ, & per consequens non constant ex partibus diuisibilibus continuatis per indiuisibilia, sed solum substantia, & qualitas materialis, vt dictum est in primo cap. & in præcedentibus conclusionibus sunt extensæ, & diuisibiles in partes extensas eiusdem rationis per accidens tantùm scilicet ratione quantitatis, quatenus scilicet substantia materialis potest recipere quantitatem, & qualitatem in quantitate recipi.

Diuisibile, & indiuisibile duplex, & quid.

Secundò Not. quod aliquod potest dici diuisibile, & indiuisibile dupliciter. Vno modo simpliciter: Alio modo secundum quid. Diuisibile simpliciter in proposito est illud, quod potest diuidi in partes eiusdem rationis extensas secundum omnes dimensiones, & illud non potest esse terminus copulans partes alterius: vt corpus de genere quantitatis est diuisibile simpliciter, quia est diuisibile in partes eiusdem rationis extensas secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & hoc corpus nunquam potest esse terminus copulans partes alterius quantitatis. Ita per oppositum indiuisibile simpliciter est quod solum est terminus continuans partes alterius quantitatis, & nullo modo est diuisibile in partes eiusdem rationis extensas, vt punctus. Diuisibile verò secundum quid est quod potest diuidi in partes eiusdem rationis extensas, tamen potest esse terminus copulans partes alterius quantitatis, vt linea, & superficies sunt diuisibiles in partes eiusdem rationis extensas, quia pars lineæ est linea, & pars superficiei est superficies, tamen linea potest esse terminus copulans partes superficiei, & superficies terminus copulans partes corporis, & secundum quod sunt termini sunt indiuisibiles ea diuisibilitate, qua illa quantitas, cuius sunt termini, est diuisibilis, linea enim est indiuisibilis ea diuisibilitate, qua diuiditur superficies, non enim linea est diuisibilis secundum latitudinem, & superficies est indiuisibilis diuisi-

bili-

bilitate corporis, cuius est terminus; quia non est diuisibilis secundum profunditatem: Vnde indiuisibile secundum quid est illa quantitas, quæ secundum se est diuisibilis, sed indiuisibilis ea diuisione, qua quantitas, cuius est terminus, diuiditur. Et sic diuisibile, & indiuisibile secundum quid in eodem coincidunt, vt linea, & superficies, quæ sunt quantitates diuisibiles secundum aliquam dimensionem, & non secundum omnes; Diuisibile verò, & indiuisibile simpliciter in eodem coincidere non possunt, quia diuisibile simpliciter est solùm corpus, indiuisibile verò simpliciter est solum punctus.

Indiuisibile simpliciter est positiuum, nō priuatiuū.

Tertiò Not. quod simpliciter indiuisibile, vt punctus in linea, instans in tempore, & mutatum esse in motu est aliquid positiuum, non priuatiuum, vt aliqui putarunt, annuente Scoto 2.d.2.q.9.L. quam opinionem amplexati sunt Nominales, nam, vt inquit Sco. loco cit. sequeretur, quod generatio, & mutationes subitæ, vt illuminatio, nullam haberent mensuram positiuam, si instans, quod est mensura talis mutationis non esset quid positiuum, sed priuatiuum, præterquam quod indiuisibile definitionem continui ingreditur essentialem, quod non posset esse, nisi esset quid positiuum, cum priuatiuum non possit definire positiuum. Et hoc indiuisibile non realiter identificatur cum partibus continui, quia in diuisione, quæ cadit super punctum ipsum destruitur, remanentibus partibus continui; Vtique partes continui non possunt esse sine punctis continuantibus; De ratione enim continui, vt continuum est quod habeat partes continuatas per indiuisibilia, tamen potest esse sine tali, vel tali puncto continuante, vt patet per diuisionem continui punctus destruitur, & alia puncta generantur, vel ab agente naturali per illam incisionem, vel naturaliter consequuntur illas partes diuisas, vel ab agente supernaturali producuntur, ne res naturaliter terminatæ remaneant incompossibiliter sine suis terminis. Idem dicen-

dum est de indiuisibili secundum quid, sicut linea, & superficies, linea enim, & superficies terminans, & continuans per incisionem destruitur, remanentibus partibus continui, terminatis tamen per alias lineas, & superficies de nouo productas à causa naturali, vel à Deo, vel sic naturaliter consequentes, sicut terminus naturaliter sequitur id, cuius est terminus; His notatis.

Probatur Conclusio multis rationibus à Sco.& primo de Continuo successiuo ratione phylosophica desumpta ex Arist.6.phys.tex.25 & 29.

Si motus esset compositus ex indiuisibilibus; ergò indiuisibile necessariò esset diuisibile, quod repugnat; Consequentia probatur, quia ponatur Franciscus V.G. quod transeat spatium vnius palmi tribus instantibus, & quod Antonius velocius moueatur in duplo, quia dato quocunq; motu, velocior dari potest ex Arist.loc.cit.ergo ille motus velocior in duplo mensurabitur minori tempore in duplo; ergo sicut primus motus mensurabitur tribus instantibus; secundus motus mensurabitur vno instanti, & dimidio alterius instantis, & sic instans indiuisibile erit diuisibile, quòd est impossibile.

Secundò probatur à Scoto ratione etiam desumpta ex Arist.6.phys.tex.4. & inde. Continuum permanens non componitur ex indiuisibilibus; ergo nec successiuum: Consequentia probatur ex Arist. loco cit. quia eiusdem rationis est motum, & magnitudinem, & tempus componi ex indiuisibilibus; Nam successio in motu, quæ est secundum prius, & posterius accipitur à successione in magnitudine secundum prius, & posterius in ipsa, & successio in tempore accipitur à successione motus secundum prius, & posterius in ipso; Antecedens probatur ex Arist.loco cit.& primo de generatione tex.8.& 3.Met. tex.16. quia indiuisibile additũ indiuisibili non facit maius, & per consequens extensum, quia talia indiuisibilia aut se tangerent secundum se tota,&

hoc

hoc non, quia vnum non distingueretur ab alio secundum situm, & sic non facerent continuum extensum; Aut se tangerent secundum partes, & hoc non, quia indiuisibile non habet partes, idest aut se tangerent secundum aliquod sui, & secundum aliquod non, vt linea, quæ tangit aliam lineam secundum aliquod sui, idest secundum punctum, & non secundum omnes partes eius, & superficies tangit superficiem secundum lineam, idest vnitur alteri superficiei secundum lineam, & nõ secundum omnes sui partes,&corpus vnitur alteri corpori secundum superficiem, & non secundum omnes sui partes; modò cum indiuisibile non habeat terminans, & copulans partes, non poterit tangere secundum aliquod sui, & secundum aliquod eius non tangere, quia sic haberet partes,& per consequens cum alio indiuisibili non potest facere maius.

His rationibus Respondent multi negantes fundamentum Arist. & principia; contra ipsos disputare nolo, quia contra negantes principia non est disputandum.

Tertiò probat Sco. Continuum permanens non constare ex indiuisibilibus ratione mathematica, quæ est conuincens. Si continuum permanens constaret ex indiuisibilibus, & punctis: ergo circulus minus haberet tot puncta, & partes; quot haberet circulus maior,& Costa, seù latus quadrati haberet tot partes, & puncta, quot haberet Diameter, quod est falsum, quia Diameter, qui est linea tracta ab vno Angulo quadrati, ad alium Angulum per medium quadrati est maior quocunque latere quadrati: Prob. consequentia hoc supposito fundamento mathematico, scilicet, quòd circa quodlibet centrum possunt describi plures circuli, quorum vnus sit maior, alter necessario minor, & quod à centro possit protrahi linea ad circumferentiam circuli, & ad quamlibet partem circumferentiæ; Trahantur igitur duæ lineæ à centro ad duo puncta immediata circuli maioris (supposito secundum Aduersarios circulum constitui ex

indiuisibilibus, & punctis) tunc illæ duæ lineæ transeundo per circulum minorem, vel secabunt circumferentiam circuli minoris in eodem puncto, vel in alio, si in alio: ergo tot puncta, & indiuisibilia erunt in minori circulo, sicut in maiori, quod est falsum, quia impossibile est duo inæqualia componi ex partibus æqualibus in magnitudinæ, & multitudine, punctus enim non excedit punctum in magnitudine, & puncta in circumferentia minoris circuli sunt tot, quot in circumferentia maioris circuli: ergò minor circumferentia est æqualis maiori, & sic pars æqualis toti, quod est falsum. Non in eodem puncto, quia illæ lineæ essent parallellæ, quæ non concurrunt.

Præterea trahantur duæ lineę paralellæ à centro ad quem libet circulum, quæ ducantur ad duo puncta immediata circuli, tunc illæ lineæ non concurrerent, & tamen intrà illum circulum posset describi minor circulus, & illæ lineæ non seccabunt in eodem puncto; ergo tot erunt puncta in illo circulo minori, sicut in maiori.

Confirmatur etiam nostra conclusio Auctoritate Concilii Constantiensis, quod condamnando errores Io: Hus sess. 12. condemnauit continuum componi ex indiuisibilibus, verba Concilii. *Linea autem mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis simpliciter finitis, vel tempus est, vel fuit, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint aliter componantur, & statim subdit: Prima pars est error in Philosophia, sed vltima errat circa diuinam potentiam*. Ex quibus patet, quod si continuum non componitur ex indiuisibilibus, consequens erit dicere, quod componitur ex diuisibilibus partibus, quæ facient molem, & extensionem, quæ cum sint continuæ, & copulatæ, per aliud copulantur, & continuantur, quod non potest esse, nisi indiuisibile, quia diuisibile non continuat, sed continuatur, aliter eiusdem rationis esset res, & terminus rei, quod est falsum.

Con-

Contrà primò arguunt Zenonistæ Continuum componi ex solis indiuisibilibus; Si Corpus perfectè sphæricum moueretur super perfectè planum non tangeret, nisi in puncto ex Arist. 1. de anima tex. 13. & describeret in plano lineã; ergo totum planum erit ex punctis compositum, & similiter illa linea esset ex punctis composita; Consequentia probatur, quia dato opposito, Sphæricum illud non semper tangeret in puncto, sed immediatè post instans temporis tangeret in tempore sequenti planum in aliquo diuisibili, & sic non semper tangeret in puncto, quod est contra suppositum Aristotelis.

Respondent multi vel negantes, vel malè glosantes dictum Arist. sed confutantur à Scoto 2. d. 2. q. 9. T.

Respondent tamen Meld. & Cat. ibi nu. 63 quod si sphæra volutetur, argumentum non habet difficultatem, quia non tangit lineam in puncto, sed secundum lineam circularem: Si autem sphæra trahatur super planum: Respondent ipsum in instanti tangere planum in puncto, sed immediatè post in tempore tangit in linea, vt docet Sco. 2. d. 2. q. 9. ad tertium principale. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed isti Doctores putantes hoc argumentum esse facilis solutionis, faciliter respondent, sed contrà Sco. & non soluunt argumentum. Nam falsum est, quod si sphæricum volutetur super planum tangat secundum lineam circulariter; Hoc enim impugnatur à Sco. loco ab ipsis citato, immò dicit esse hoc impossibile, & probat, quia quod tangit circulare est circulare; ergo si sphæricum secundum lineam circularem tangeret planum, linea recta in plano tangeret lineam circularem sphærici, & sic linea recta esset circularis, quod est impossibile, quia linea recta inquit Scot. in qualibet parte est recta, sicut linea circularis in qualibet parte est circularis. *confutatur* *Circulare non potest tãgere nisi circulare.*

Nec valet dicere quod contactus lineæ circularis non potest esse à linea recta simul, tamen linea recta potest tan-

gere

gere circularem successiuè; Nam siuè ſphæricum tangatur à recto ſucceſſiuè, ſiuè ſimul ſecundum lineam circularem, ſemper verum eſt dicere, quòd linea circularis ſecundum ſuas partes circulares tangitur; ergo illud, quod tangit lineam circularem, ſiuè ſimul, ſiuè ſucceſſiuè, erit circulare, quia, vt dicit Sco. loc. cit. quod tangit circulare eſt circulare.

Præterea dicunt iſti Scotiſtæ, quod ſphæricum ſi traheretur, tangeret in inſtanti planum in puncto, in tempore verò ſequenti tangeret in linea.

Contradictio Meld. & Cat. Sed hoc dictum, licet ſit verum, contradicit ipſis ibi num. 44. qui probando illam propoſitionem de corpore ſphærico, dicunt, quòd ſi tale ſphæricum perfectum tangeret in aliquo diuiſibili, ſequeretur, quod eſſet in corpore ſphærico aliquod planum, quod eſt falſum.

Tunc ſic arguo. Corpus ſphæricum in tempore ſequenti poſt inſtans non tangit in puncto, ſed in linea; ergo tangit in aliquo diuiſibili, quia linea eſt diuiſibilis: ergo in tali ſphærico eſſet aliquod planum, quod eſt falſum; Si hoc argumentum non valet, nec eorum probatio valebit.

Reſponſio Auctoris. Reſpondeo itaque ad argumentum, quòd ſi corpus perfectè ſphæricum moueretur in perfecto plano, ſemper tangeret in puncto, & deſcriberet lineam rectam, ideſt ſecundum punctum eius, ſi traheretur, vel ſecundum diuerſa puncta ſi volutaretur, ſemper tangeret perfectè planum, ſed non tangeret ſemper punctum plani, ſed punctum ſphærici tangeret in inſtanti punctum plani, & in tempore ſequenti tangeret lineam plani, & ſic ſucceſſiuè tangeret punctum, & lineam ſecundum continuitatem plani, ſed ſemper punctum ſphærici tangeret, & nunquam linea, vel pars lineæ circularis ipſius ſphærici, quia, vt dictum eſt cum Scoto, linea recta, vel pars lineæ rectæ plani tangens lineam, vel partem lineæ circularis corporis ſphærici eſſet circularis, quod eſt impoſſibile. quia tunc rectum eſſet circulare, cum

nihil

nihil possit tangere circulare nisi sit circulare: Et punctus sphærici describeret lineam in plano, quia pertransiret plures partes spatii diuisibilis, & plures partes lineæ plani, sicut motus factus in tempore ab indiuisibili est diuisibilis secundum partes continuatas per indiuisibilia, quæ sunt mutata esse; Non tamen sequitur ergò planum, & linea à corpore sphærico sic tangente erunt composita ex punctis, & indiuisibilibus; Et cum probatur, dico, quod sphæricum semper tangeret in puncto, idest secundum punctum eius, sed non semper tangeret punctum plani, quia sequeretur, quod tunc puncta essent immediata in plano, quod est falsum, & argumentum haberet intentum.

Contra. Punctus dum moueretur esset semper in spatio sibi æquali, & sic pertranseundo totum planum commensurabit totam lineam plani, & sic tota linea plani esset composita ex punctis.

Respondeo ex Scoto 2.d.2.q.9.Y.quod tunc punctus esset in spatio sibi æquali semper, idest in quolibet indiuisibili, & instanti, quia sic solùm tangeret punctum plani, sed non esset in spatio sibi æquali, idest in qualibet parte temporis, quia in parte temporis tangeret lineam plani, & esset in loco sibi inadæquato, & sic non comensurabit totam lineam plani, quia indiuisibile non potest mensurare diuisibile, ex quo sequitur, quod illa linea plani ex diuisibilibus constabit continuatis per indiuisibilia, & puncta.

Si dicas, punctus saltem per diuinam potentiam simul replicatus potest in tota linea permanere, sicut vnum corpus potest in omnibus locis simul permanere; ergo in tali casu comensurabit totam lineam, & sic in linea punctus erit immediatus puncto.

Respondent Meld. & Cat. ibi num. 64. quod punctus non posset à Deo sic replicari in tota linea & punctis lineæ, sicut non potest vnum punctum esse alteri immediatum, sed tantum potest punctum replicare in singulis punctis lineę super *Responsio Meld. & Cat.*

quam

quam moueretur, & ideò punctum permanenter existens in linea, & à Deo pluries replicatum per totam lineam erit distans à seipso prout est in vno, & alio puncto eiusdem lineæ; Vnde referunt in fine, quod licet punctum possit immediatè tangere lineam, & punctum successiuè, non tamen potest permanenter, & per consequens Deus non potest replicare punctum in puncto existens, & immediatè in parte lineæ.

Cõfutatio Contrà eadem est impossibilitas, quod indiuisibile sit immediatum indiuisibili in successiuis, sicut in permanentibus: ergò si Deus non potest replicare punctum, vt tangat punctum lineæ, & immediatè lineam permanenter, quia vnum punctum non est immediatum alteri in permanentibus; ergo nec punctum poterit successiuè tangere punctum, & immediatè lineam, quia vnum punctum non potest alteri immediatè succedere in successiuis, sed secundum istos Doctores punctum potest successiuè tangere punctum, & immediatè lineam; ergò poterit sic permanenter tangere; ergò Deus poterit replicare punctum in puncto, & immediatè in linea.

Præterea Deus potest conseruare quodcunque mobile in omni loco, in quo potest mobile naturaliter esse successiuè, sed punctum potest esse successiuè in tota linea, & immediatè tangere lineam post punctum: ergo Deus poterit punctum replicare, & conseruare in tota linea, vt sic tangat punctum lineæ, & immediatè lineam ipsam.

Responsio Auctoris. Respondeo itaque ad argumentum principale concedendo, quod potest Deus punctum replicare in tota linea, sicut potest ipsum in tota linea successiuè moueri; sed negatur, quod tunc punctum comensuraret totam lineam, quia mensurare est per quantitatem notam aliam quantitatem ignotam cognoscere, punctus autem non est quantitas, sed terminus, & aliquid quantitatis, & quotiescunque replicatus non facit molem, sed semper est indiuisibile, indiuisibile

autem

autem non potest mensurare diuisibile; Et cum dicitur, quòd tunc punctus erit immediatus puncto, dico, quòd tunc punctus erit immediatus sibi in loco, quòd non est inconueniens, sicuti non est inconueniens, quòd duo puncta sint Immediata in loco, & immediatè moueantur; Est autem inconueniens, quòd indiuisibile sit immediatum indiuisibili in compositione continui, siuè permanentis, siuè successiui, quia sic sequeretur, quòd continuum continuaretur ex indiuisibilibus, quòd est falsum.

Secundò arguitur contra conclusionem. Indiuisibile additum indiuisibili potest facere maius; ergò continuum poterit ex indiuisibilibus componi, quia hoc solùm negatur ab Arist.eò quia indiuisibile additum indiuisibili non facit maius: antecedens probatur à simili de Angelo, & anima rationali, quæ per plures spiritales, & indiuisibiles replicationes spiritali extensione se possunt extendere ad maius spatium, quàm per pauciores. Et Christus Dominus existens modo spiritali in Eucharistia pro maiori, vel minori replicatione coextenditur speciebus continuis maioribus, vel minoribus; ergò poterit etiam indiuisibile quantitatiuè facere extensum, sicuti enim se habent indiuisibilia spiritalia ad extensionem spiritalem, vt multiplicatæ sint extra se, & sibi immediatè succedunt, vel continuè, vt in Angelo, & anima rationali, vel contiguè, vt in Eucharistia, ita se habent indiuisibilia quantitatiua ad extensionem quantitatiuam,vt immediatè sibi succedentia extra poni possint continuè,& aliquid maius facere.

Confirmatur, quia vnitas prædicamentalis, quamuis sit indiuisibilis, tamen aliis vnita facit numerum, quæ est quantitas extensa, sic etiam est instans temporis cum parte temporis longiorem facit durationem, quia Angelus durans per horam,& instans terminatiuum eius plus durat Angelo, qui per totam horam duraret, & in instanti eius terminatiuo desineret, quia in eo instanti de priori verum esset dicere,

quod est, de posteriori quod non est.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld.& Cat.ibi num.65. quòd ideò indiuisibilia spiritualia se extendunt in loco, non per replicationem, sed per sui diffusionem, quia habent quantitatem virtualem, quam quantitatem non habet punctus mathematicus, & ideò spirituale additum spirituali facit maius extensum virtualiter, non sic indiuisibile mathematicum facit maius quantitatiuè; Et confitentur ingenti gaudio hanc responsionem inuenisse in Coninchio de Sacramentis q.75. A.4. dub. 3. & se declarant, quòd sistendo in illo comuni modo explicandi extensionem virtualem spiritualis substantiæ per iteratas replicationes per singulas partes loci, quibus est præsens, argumentum est difficilimum, & fortè insolubile.

Confutatio Sed isti Doctores non soluunt argumentum, quòd credunt faciliter soluisse, & ideò non respondent ad illud de corpore Christi in Sacramento Altaris, quòd supponit argumentum habere extensionem maiorem, vel minorem per eius replicationem in loco; Nec soluunt argumentum si negant punctum per sui replicationem non posse esse in puncto, & partibus lineæ, quia Deus hoc facere potest, vt prius probatum est.

Responsio Auctoris. Respondeo itaque ad argumentum negando antecedens; Ad probationem dico, quòd non est simile de Angelo, anima, & corpore Christi, & de indiuisibili Mathematico quoad extensionem, quia vt etiam fatentur Aduersarii, habent virtualem quantitatem, quam non habent puncta,& indiuisibilia mathematica, tamen sicuti spiritualia in puncto existentia per sui replicationē possunt coexistere toti spatio,ità & indiuisibilia mathematica,sed non sequitur per hoc,quòd faciant maius, sed solùm quòd existant in maiori spatio, in quo non existerent, si non replicarentur, idem enim replicatum non est maius se ipso, sicut vnum corpus pedale non est maius se ipso, licet per replicationem occupet locum bi-

pedalem

pedalem; Et sic soluitur argumentum, sustinendo coexistentiam in maiori spatio per solam replicationem, quod sustinebant insolubile.

Ad Confirmationem concedo, quòd vnitas, quæ est indiuisibilis addita alteri vnitati facit numerum, sed nego quòd numerus sit quantitas extensa, non enim extenditur numerus, sed fit maior, vel minor numerus per plures, vel pauciores vnitates, & hæc dicitur maioritas discreta, & plu- pluralitas, concedo etiam, quòd instans temporis cum parte temporis facit longiorem durationem, vt optimè probatur in argumento, quia duratio abstrahit ab extensione cùm detur duratio instantanea, sed non facit maius tempus, & maiorem extensionem successiuam, quia sicut indiuisibile additum indiuisibili non facit maius, ita nec additum diuisibili, cùm semper remaneat indiuisibile, & inextensum.

Tertiò, Ideò continuum non componitur ex indiuisibilibus secundum Arist. eò quia nunquam mobile velox posset velocius moueri, quàm mobile tardum; sed hæc ratio non valet; ergo prob. minor, quia hæc ratio etiam militat contrà ponentes continuum componi ex diuisibilibus, quòd licet non componatur ex indiuisibilibus mathematicis, componitur tamen ex indiuisibilibus Physicis, quæ scilicet non possunt à nobis per instrumenta naturalia diuidi, & sic potest formari argumentum eodem modo de indiuisibilibus physicis, sicut facit Arist. de indiuisibilibus mathematicis. Nam mobile nunquàm posset pertransire medietatem indiuisibilis physici prius quàm pertranseat aliam medietatem, alioquin esset naturaliter diuisibile, immò de facto diuideretur per instrumenta naturalia, scilicet per motum.

Respondeo concessa maiori, negando minorem, Et cum probatur nego, quòd illa ratio militet contrà ponentes continuum componi ex diuisibilibus terminatis per indiuisibi-

lia, quia licet tale constet ex indiuisibilibus physicis, hæc tamen sunt indiuisibilia secundum quid, quia non possunt instrumento naturali diuidi, sed tamen sunt diuisibilia simpliciter, & sic mobile nunquam posset pertransire medietatem indiuisibilis physici, nisi prius pertransiret aliam, sed ex hoc non sequitur, quòd illud sit diuisibile, immò quod diuidatur per instrumentum naturale, & falsum est, quòd motus sit tale instrumentum diuidens, sed est, quo mobile pertransit tale continuum, quòd in motu remanet indiuisum.

Quartò. Linea est in triangulo, & punctum in linea, vt ex quibus substantia ipsorũ ex Arist. 1. post. cap. 4 ergò linea componitur ex indiuisibilibus tanquàm ex partibus, aliter punctum non esset de substantia lineæ, quòd est contra Arist. ibi.

Respondeo Arist. loqui famosè secundum opinionem Antiquorum, qui dicebant punctum esse de essentia lineæ, quo supposito, Arist. declarando vniuersale posterioristicũ debere esse per se, dat exemplum de puncto in linea ad declarandum illud, quòd est per se, ac propterea falsa est secunda responsio Meld. & Cat. num. 68. dicentium Aristotelem intelligere, quòd indiuisibilia sunt de ratione continui non vt partes, sed vt continuatiua partium, quia vt sic non esset de per se ratione continui, quòd affirmat Phylosophus loco cit. vt declararet perseitatem vniuersalis posterioristici, quòd enim hoc modo est per se est etiam de essentia.

Falsa responsio Meld. & Cat.

Quintò. Ità se habet punctum ad lineam, sicut vnitas ad numerum ex Arist. primo top. cap. 14. sed numerus componitur ex vnitatibus; ergò linea ex punctis.

Respondet ipse Phylosophus loco cit. in fine Capitis, quòd intelligitur sic, quòd sicut vnitas est principium numeri, ita punctum principium lineæ, ponit enim ibi multas similitudines, & dicit etiam, quòd ita se habet tranquillitas in mari, sicut serenitas in aere, & declarat esse similia in

hoc

hoc, quia ſicuti tranquillitas in mari ſignificat quietem maris, ita ſerenitas in aere ſignificat quietem aeris: Et ſic conceſſa minori, negatur conſequentia, quia in omnibus non ſunt ſimilia punctus in linea, & vnitas in numero, immò ſimilitudo neceſſariò præſupponit diuerſitatem in ſimilibus, aliter ſimilitudo eſſet identitas.

Sextò, Punctus dicitur eſſe vbique in linea ex Ariſt. 1. de gener. tex. 9. ſed ſi linea non componeretur ex punctis, tunc punctus non eſſet vbique in linea.

Reſpondeo ex ipſomet Ariſt. loco cit. quòd punctus eſt vbique in linea, ideſt in omni parte, ſed non conſequenter, inquit Ariſt. ideſt non immediatè, quia inter duo puncta intercedit linea, & ideò negatur, quòd ſi linea non componeretur ex punctis, tunc punctus non eſſet vbique quia eſſet in omni parte, ideſt continuaret omnem partem, tamen ipſe non eſt pars lineæ.

Septimò. Lignum exiſtens partim in aqua, partim in aere, neceſſariò debet habere in medio duas ſuperficies immediatas, quæ correſpondeant ſuperficiebus immediatis aquæ, & aeris, à quibus tangitur; ergò in aliquo erunt duæ ſuperficies immediatæ; ergò in linea duo puncta, quia eadem eſt ratio de ſuperficiebus in corpore, ſicut de punctis in linea; ergò continuum erit ex indiuiſibilibus compoſitum.

Reſpondeo, quòd in ligno eſt vna ſuperficies correſpondens duabus ſuperficiebus aquæ, & aeris, quia illæ duæ ſuperficies ſimul non occupant maiorem locum, quam occuparet vna tantùm, quia eſt inextenſa, & indiuiſibilis ſecundum profunditatem, & ſic negantur conſequentiæ.

Prætereà & ſi duæ ſuperficies aeris, & aquæ non ſimul eſſent, ſed vna eſſet immediatè extra aliam, dico, quòd ſuperficiei V.G. aquæ correſponderet ſuperficies ligni, & alteri ſuperficiei aeris correſponderet pars corporis ligni, quia in corpore immediatè poſt ſuperficiē eſt pars corporis.

Octauò,

Octauò. A mathematicis dicitur lineam esse fluxum puncti, superficiem esse fluxum lineæ, & corpus esse fluxum superficiei; sed hoc non posset esse verum, nisi indiuisibilia essent immediata; ergò continuum constabit ex indiuisibilibus.

Respondeo, quòd sic à Mathematicis loquitur, non quia linea causetur ex fluxu puncti, sed quia fluxus puncti describit lineam, quia punctus fluit, & transit secundum longitudinem indiuisibiliter, & superficies dicitur fluxus lineæ, quia linea describit superficiem eò quia fluit, & mouetur per latera, & secundum latitudinem non se intromittendo; Corpus etiam dicitur fluxus superficiei, quia superficies describit profunditatem, eò quia mouetur se intromittendo; Et sic negatur minor cum sua consequentia.

Nonò. Quando linea diuiditur, diuisio non cadit supra partem, quia per diuisionem non minuitur quantitas lineæ: Non super punctum, quia est indiuisibile; ergò diuisio debet cadere inter duo puncta immediata, sed si duo puncta sunt immediata: ergò linea constabit ex punctis, & indiuisibilibus.

Respondent communiter Scotistæ, & rectè, quòd diuisio cadit super punctum, non quòd punctus diuidatur, sed corumpitur, & fiunt duo puncta de nouo; sed à quo fiunt ista duo puncta? Dicerem, quòd fiunt à diuidente, vel à Deo, vel potius naturaliter consequuntur naturam lineę, quæ cùm sit de sua natura continua, requirit naturaliter puncta continuantia, & illam terminantia.

Decimò. Tempus constat ex indiuisibilibus; ergò continuum componitur ex indiuisibilibus; quia tempus est quantitas continua: Antecedens probatur, quia de tempore non habemus nisi nunc, quòd est indiuisibile; Et confirmatur, quia Deus potest spatio vnius horæ creare semper Angelos successiuè, vnum immediatè post alium: ergò

ergò erunt etiam instantia immediata, sicut & Angeli, qui petunt solùm in instanti creari.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem respondeo ex Sco.2.d.2.q.9.M. quòd de tempore non habemus, nisi nunc indiuisibiliter, sed diuisibiliter, & successiuè habemus tempus præsens, quòd est pars temporis diuisibilis, & continua.

Responsio Meld. & Cat. à Morisio transcripta.

Ad confirmationem respondent Meld. & Cat. ibi num. 7. Deum non posse immediatè vnum Angelum creare post alium in instanti creatum; sed necessariò expectat aliqua mora diuisibili, vt creet alium Angelum, & talis necessitas oritur (dicunt ipsi) ex suppositione, vt inquit moris. Supposito enim, quòd velit successiuè creare, consequenter etiam vult expectare, quia de ratione creationum sibi succedentium est, vt vna sequatur aliam, & distet ab alia.

confutatur.

Sed hæc responsio à Morisio transcripta est omninò contra Sco.3.d.3.q.p.A. vbi habet, quòd Deus potuit creare gratiam in tempore immediato post primum instans in anima Beatæ Virginis, tunc sic arguo. In illo primo instanti potuit Deus creare vnam gratiam, maximè cùm creatio fiat in instanti, potuit ex Scoto loc. cit. creare immediatè in tempore gratiam in anima Virginis; ergò potest Deus creare immediatè plures gratias, & per consequens plures Angelos, quia eadẽ est ratio de gratia, & Angelo quo ad creationẽ.

Tacita responsio cõfutatur.

Si dicerent, quòd vtique Deus potest in primo instanti, & in tempore immediato gratiam creare, sed non simul vnã gratiam in instanti, & aliam in tempore, sed vel vnam gratiam in instanti, vel vnam in tempore falsum dicerent, quia necessitas quòd vna creatio distet ab alia est, quia supponunt creationem solùm fieri in instanti; Vnde si fiunt in tempore vna necessariò potest alteri immediatè succedere.

Responsio Auctoris.

Et ideò respondeo ad confirmationem, quòd non est necesse, vt Angelus creetur in instanti, vt patet ex Scot. loco

cit. B.

cit. B. vbi habet, quòd si Deus inuoluntariè non agit in aliquo instanti, non propter hoc oportet eum expectare tempus, vt in instanti determinato illius temporis agat, sed potest agere in tempore, in cuius primo instanti non egit: Verum est igitur, inquit Scotus, quòd Deus potest agere in instanti quicquid immediatè agit, sed non est necesse ipsum agere in instanti: Vnde si Deus potest creare Angelum in tempore, poterit primùm creare in instanti, & alium in tempore sequenti, & istis creationibus non respondebunt duo instantia immediata, sed primæ creationi correspondebit instans, secundæ verò correspondebit tempus, quia crearetur Angelus in tempore.

Vndecimò. Omni parte continui est aliqua pars minor, vel non; si non; ergò hæc erit minima, & indiuisibilis; si sic, aut illa est diuisibilis, vel indiuisibilis: Non diuisibilis, quia tunc non esset minor omni parte continui; ergò indiuisibilis, & sic ex indiuisibilibus continuum erit.

Respondeo, quòd omni parte continui est aliqua minor: Et cum dicitur vel illa est diuisibilis, vel non, dico, quòd est diuisibilis: Et cum probatur quod non, quia tunc non esset minor omni parte continui: Respondeo, quòd tunc non esset minor secundum proportionem, quia quælibet pars continui est diuisibilis in infinitum, esset verò minor secundum determinatam quantitatem, quia quælibet pars, in quam alia pars diuiditur semper est minor diuisa, quia totum est maius sua parte.

Alia argumenta facit Sco. & soluit 2.d.2.q.9. vt videre est apud doctissimum fabrum meum Conciuem Teor.52.

Duodecimò. Arguunt sustinentes Continuum constare ex solis diuisibilibus, & probant auctoritatibus, & Primò auctoritate D. Augustini lib. de quant. animæ cap. 10. vbi volens ostendere animam incorpoream esse, probat ex hoc quòd ista indiuisibilia intelligit. *Nam sola longitudo, inquit, non nisi intelligi animo potest, in corpore inueniri non potest, &*

7. super

7. super Gen. cap. 15. dicit, quòd si anima esset corporea, nullo modo posset cognoscere tales lineas.

Confirmatur auctoritate Arist. 8. Met. tex. 18. faciens mentionem punctorum ait, *Vtpotè puncta si sint quidem*, & 3. Met. tex. 17. asserit superficies, lineas, & puncta solum in potentia esse in corpore sicuti Mercurius in rudi lapide; Tum quia 1. met. tex 43. docet contra Platonem magnitudinem non constare ex superficiebus, lineis, & punctis.

Respondent Meld. & Cat. ibi num. 72. non esse de mente D. Aug. negare indiuisibilia cùm ea concedat loco cit. cap. 11. & 12. & maximè 11. Confess. cap. 16. sed negat puncta, & lineas in corpore reperiri, vt à sensibus cognoscibilia. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed ego concederem illam auctoritatem Augustini non enim est contra nos, nam dicit Augustinus quod sola longitudo intellectu potest percipi non reperiri in corpore, & est verissimum, quia sola longitudo, nec sola puncta, nec sola latitudo reperitur in corpore, quia punctum non reperitur sine linea, nec linea sine superficie, nec superficies sola est in corpore, sed omnes dimensiones simul sunt in corpore cum partibus eius continuatis per superficies, quæ superficies continuatur per lineas, & lineæ per puncta; Non dicit Aug. quod longitudo non reperiatur in corpore, sed dicit, quod sola longitudo non reperitur in corpore. *Responsio Auctoris.*

Ad Auctoritatem primam Arist. 8. met. tex. 18. dico; quòd malè citatur textus, quia est tex. 14. iste enim liber octauus non habet nisi 16. tex. & dicit ibi quod si sint puncta, quia supponit puncta esse, quæ ab alijs negantur esse; semper enim concedit Arist. indiuisibilia, & dimensiones esse, vt patet 3. met. tex. 17. Vnde licet aliquando dicat hæc esse in potentia, loquitur de istis quatenus per diuisionem aquiruntur, vt se explicat in fine tex. 17. 3. met. quando enim diuiditur linea, duo puncta fiunt, quæ prius non erant, & dum diuiditur superficies duæ lineæ fiunt, & dum diuiditur cor-

pus duæ superficies fiunt, quæ prius non erant; Tamen in principio huius tex· dicit quòd puncta lineæ, & superficies posſunt eſſe ſine corpore; ſed impoſſibile eſt, quòd corpus ſit ſine ipſis.

Sed quia ibi Ariſt. ſupponit multa dicta aliorum Phyloſophorum. Reſpondeo aliter, & melius, quod ibi intendit probare puncta, lineas, & ſuperficies non eſſe entia, ſed ad hominem; Nam ait Ariſt. plures antiquiores Phyloſophos exiſtimaſſe ſubſtantiam, & ens idem eſſe, & ſolum corpus eſſe ens, & ſubſtantiam; Hoc ſuppoſito arguit Phyloſophus; ſed iſtæ dimenſiones non ſunt corpus, ſed termini corporis; ergo non ſunt entia, et ſubſtantiæ.

Contra quomodo puncta ſunt, ſi non fiunt, nec generantur, nec corumpuntur, vt patet ex Ariſt. 3. met. tex. 7. & 8. met. tex. 14.

Reſpondeo, quòd ideo Ariſt. dicit, quod puncta non generantur, neq; corumpuntur, quia ſupponit ſecundum antiquos Phyloſophos fieri, vel generari, & corumpi ſolum ſubſtantiis conuenire, & ſolum ſubſtantias nominari entia, cùm enim puncta non ſint ſubſtantiæ, arguit ad hominem quod nec ſunt entia, neq; fiunt, nec generantur, nec corumpuntur; concludit tamem, quòd ſi puncta generantur, & corumpuntur, ex aliquo fiunt, & 8. met. loquitur Ariſt. de fieri compoſiti, non de fieri ſimpliciter, dicit enim in illo textu quod nec formæ fiunt, non enim, inquit Ariſt. albedo fit, ſed lignum album. Ex quo patet quod loquitur de fieri compoſiti.

Ad Ariſt. 1. met. tex. 43. respondent ex Sco. in Com. talis tex. Ariſt. improbare Platonem ponentem diuerſa eſſe principia conſtituentia lineam à principiis conſtituentibus ſuperficiem, & iſta eſſe diuerſa à principiis conſtituentibus corpus, vnde arguit quorum principia ſunt diuerſa, & ipſa ſunt diuerſa; ergo nequit linea in ſuperficie eſſe, & hæc in corpore, quia diuerſa ſunt.

Sed

Sed hæc expoſitio non mihi videtur bona, quia licet Plato aſſignet principia dimenſionum eſſe diuerſa, non propter hoc ſequitur magnitudines non conſtare ex ſuperficiebus lineis, & punctis, quia etiam ſecundum Sco. & veros Philoſophos, & Ariſt. dimenſiones habent diuerſa principia conſtituentia, aliter dimenſiones non eſſent diuerſæ, quod eſt falſum

Et attendite Scotiſtæ. Hæc expoſitio non eſt Sco. ſed omninò contraria Sco. in expoſitione iſtius text. Non enim Ariſt. arguit contra Platonem, quia dicat dimenſiones habere diuerſa principia, ſed quia ſuſtinebat punctum eſſe principium, & eſſentialiter incluſum in linea, lineam in ſuperficie, & ſuperficiem in corpore tanquam ſuperius in ſuo inferiori; Vnde inquit Scotus cum Ariſt. ſequeretur quod corpus eſſet ſuperficies, & ſuperficies eſſet linea, quòd eſt falſum.

Ideo reſpondeo ad Argumentum Ariſt. dicere contra Platonem magnitudinem non conſtare ex ſuperficiebus, lineis, & punctis tanquam ex principiis eſſentialibus, vt dicebat Plato, non negat tamen Ariſt. corpus conſtare ex ſuperficiebus, ſuperſicies ex lineis, & linea ex punctis tanquam ex terminis, qui termini non includuntur eſſentialiter in quãtitate cuius ſunt termini, ſed omnino ſunt extrà eius quidditatem. *Reſponſio Auctoris.*

XIII. Aut præter ſingula, & omnia puncta collectiuè ſumpta, in linea eſt, & mediat aliquid vel nihil; ſi nihil ergo continuum ex indiuiſibilibus conſtaret; ſi mediat aliquid, ergo tale erit diuiſibile, & extenſum abſquè punctis, alioquin præter ſingula, & omnia puncta daretur punctus, quod eſt falſum, ergo ſi datur pars lineæ continua ſiuè punctis tota linea erit ſinè punctis.

Reſpondeo quod præter ſingula & omnia puncta dantur in continuo partes eius; Et cum dicitur, ergo illæ partes erũt diuiſibiles ſinè punctis negatur, nec præter omnia puncta eſt punctus, quia ſunt diuiſibiles, extensæ, & continuæ per

pus duæ superficies fiunt, quæ prius non erant; Tamen in principio huius tex. dicit quòd puncta lineæ, & superficies possunt esse sine corpore; sed impossibile est, quòd corpus sit sine ipsis.

Sed quia ibi Arist. supponit multa dicta aliorum Phyloso phorum. Respondeo aliter, & melius, quod ibi intendit probare puncta, lineas, & superficies non esse entia, sed ad hominem; Nam ait Arist. plures antiquiores Phylosophos existimasse substantiam, & ens idem esse, & solum corpus esse ens, & substantiam; Hoc supposito arguit Phylosophus; sed istæ dimensiones non sunt corpus, sed termini corporis; ergo non sunt entia, et substantiæ.

Contra quomodo puncta sunt, si non fiunt, nec generantur, nec corumpuntur, vt patet ex Arist. 3. met. tex. 7. & 8. met. tex. 14.

Respondeo, quòd ideo Arist. dicit, quod puncta non generantur, neq; corumpuntur, quia supponit secundum antiquos Phylosophos fieri, vel generari, & corumpi solum substantiis conuenire, & solum substantias nominari entia, cùm enim puncta non sint substantiæ, arguit ad hominem quod nec sunt entia, neq; fiunt, nec generantur, nec corrumpuntur; concludit tamen, quòd si puncta generantur, & corumpuntur, ex aliquo fiunt, & 8. met. loquitur Arist. de fieri compositi, non de fieri simpliciter, dicit enim in illo textu quod nec formæ fiunt, non enim, inquit Arist. albedo fit, sed lignum album. Ex quo patet quod loquitur de fieri compositi.

Ad Arist. 1. met. tex. 43. respondent ex Sco. in Com. talis tex. Arist. improbare Platonem ponentem diuersa esse principia constituentia lineam à principiis constituentibus superficiem, & ista esse diuersa à principiis constituentibus corpus, vnde arguit quorum principia sunt diuersa, & ipsa sunt diuersa; ergo nequit linea in superficie esse, & hæc in corpore, quia diuersa sunt.

Sed

Sed hæc expositio non mihi videtur bona, quia licet Plato assignet principia dimensionum esse diuersa, non propter hoc sequitur magnitudines non constare ex superficiebus lineis, & punctis, quia etiam secundum Sco. & veros Philosophos, & Arist. dimensiones habent diuersa principia constituentia, aliter dimensiones non essent diuersæ, quod est falsum

Et, attendite Scotistæ. Hæc expositio non est Sco. sed omninò contraria Sco. in expositione istius text Non enim Arist. arguit contra Platonem. quia dicat dimensiones habere diuersa principia, sed quia sustinebat punctum esse principium, & essentialiter inclusum in linea, lineam in superficie, & superficiem in corpore tanquam superius in suo inferiori; Vnde inquit Scotus cum Arist. sequeretur quod corpus esset superficies, & superficies esset linea, quòd est falsum.

Ideo respondeo ad Argumentum Arist. dicere contra Platonem magnitudinem non constare ex superficiebus, lineis, & punctis tanquam ex principiis essentialibus, vt dicebat Plato, non negat tamen Arist. corpus constare ex superficiebus, superficies ex lineis, & linea ex punctis tanquam ex terminis, qui termini non includuntur essentialiter in quãtitate cuius sunt termini, sed omnino sunt extrà eius quidditatem. *Responsio Auctoris.*

XIII. Aut præter singula, & omnia puncta collectiuè sumpta, in linea est, & mediat aliquid vel nihil; si nihil ergo continuum ex indiuisibilibus constaret; si mediat aliquid, ergo tale erit diuisibile, & extensum absquè punctis, alioquin præter singula, & omnia puncta daretur punctus, quod est falsum, ergo si datur pars lineæ continua siuè punctis tota linea erit sinè punctis.

Respondeo quod præter singula & omnia puncta dantur in continuo partes eius; Et cum dicitur, ergo illæ partes erũt diuisibiles sinè punctis negatur, nec præter omnia puncta est punctus, quia sunt diuisibiles, extensæ, & continuæ per

illa omnia puncta, cum illæ partes non sint sinè omnibus illis punctis, & sic falsum est omne id, quod sequitur in argumento, Nam tota vis, & apparentia huius argumenti, est quia abstrahit puncta à partibus lineæ, quæ non possunt esse sinè punctis, & determinat punctum immediate succedens parti, quod non est determinabile quia licet ad declarandam naturam lineæ, dicamus, quod primò est punctus, deindè immediatè succedit pars, & post immediate punctus, tamen quia illa pars immediatè primo puncto, quod est extremum lineæ est diuisibilis in infinitas partes, inter illa duo puncta sic assignata intercedunt infinitæ partes, & infinita puncta, ac propterea optimè respondetur ad argumentum, quod in linea præter omnia puncta mediat aliquid, quod diuiditur, extenditur, vel continuatur per omnia illa puncta distributiuè, non collectiuè, quia quælibet pars lineæ non habet omnia puncta lineæ, sed quælibet pars lineæ terminatur propriis punctis, non tamen assignabilibus, quia quęlibet pars continet infinitas partes, & puncta.

XIV. Destruat Deus omnia puncta, remanentibus partibus lineæ, vel potiùs destruat omnes partes lineæ, & cōseruet omnia puncta illius lineæ in aliquo spatio; vel inter illa puncta mediat spatium; vel non; si non; ergo illa puncta essent immediata. si sic ergo illud, quod occupabat spatium inter medium erat sine punctis.

Respondeo quod Deus non potest destruere puncta remanentibus partibus lineæ, quia essentialiter illæ partes à punctis dependent, nec potest destruere partes remanentibus punctis, non quia puncta dependeant à lineis, vt dicit Meld. & Cat. ibi num. 73. cum prius non dependeat essentialiter à posteriori, sed quia non possunt destrui partes lineæ, nisi destruantur puncta, quia quælibet pars lineæ est diuisibilis in infinitas partes continuatas per puncta, & sic suppositio est impossibilis, quia supponitur omnia puncta conseruari, & infinita puncta destrui.

Improbatur dictum Meld. & Cat.

Contra

Contrà quandòcunq;sunt aliqua duo actualiter distincta, potest Deus vnum conseruare sine alio, à quo essentialiter non dependet, sed puncta lineæ realiter distinguuntur à lineà, quia quodlibet illorum potest destrui per diuisionem, remanentibus partibus, cum diuisio cadat super punctum, quod tunc destruitur, nec essentialiter depēdet a lineà, quia prius non dependet essentialiter à posteriori. ergo Deus potest conseruare puncta sine partibus lineæ.

Responderi potest,quod maior propositio vera est de entibus, non de aliquitatibus entis, quia de ratione aliquitatis est,quod sit aliquid entis,ideò si esset aliquitas ab ente separata, non esset aliquid entis, sed per se ens, & vere ens,&sic separata esset,& non esset,esset vt supponitur, non esset,quia non esset aliquid entis, & sic esset aliquitas, & non aliquitas; Modò puctus;non est ens,quia nec substantia,nec accidens, Non est substantia, nec ralatio, nec qualitas, quia hæc non sunt continuatiua, nec quantitas vt patet; ergo aliquid quātitatis & aliquid entis, & per consequens punctus etiam distinctus à linea realiter non poterit à Deo sinè linea conseruari, quia tunc non esset aliquitas, & aliquid lineæ, sed esset quid, & ens secundum se,quia sinè linea esset, quod est falsum.

Sed contra. Primum instans, & primum mutatum esse potest raptim transire per potentiàm Dei; ergo Deus poterit creare solum primum instans, & mutatum esse sinè tempore, & motu, & tamen instans est aliquid entis, & temporis, sicut mutatum esse est aliquid motus, & punctus aliquid lineæ; ergo si potest esse instans, & mutatum esse sine tempore, & motu, poterit etiam punctus esse sinè linea.

Ideò dico, quod Deus potest creare plura indiuisibilia,& puncta sinè lineis, & ipsa conseruare, sed non potest omnia puncta lineæ conseruare sinè linea, & cum dicitur, quod Deus potest vnum realiter distinctum ab alio separare, dico quod hoc est verum,si ex alio capite non includat contradictio-

ctionem, modo includit contradictionem conseruare omnia puncta lineæ, & partes lineæ destruere, quia, vt dictum est, quælibet pars lineæ est diuisibilis in infinitas partes continuatas per puncta, & sic destrutis partibus lineæ, destruerentur infinita puncta, & sic esset conseruare omnia puncta lineæ, & infinita puncta lineæ destruere, & sic esset conseruare, & non conseruare omnia puncta lineæ quòd est impossibile.

Si dicatur supponamus hoc impossibile, quòd Deus conseruaret omnia puncta lineæ, destructa linea; Tunc si erit spatium inter puncta: ergò linea, quæ occupabat illud spatium, vel illam longitudinem spatii erat sine punctis.

Respondeo, quòd dato hoc impossibile, sequeretur aliud impossibile scilicet lineam interceptam destructã, fuisse sinè punctis, sed hoc fauet mihi, quia ponit oppositum conclusionis esse impossibile.

XV. Deus, vel alius intellectus separatus potest cognoscere omnia puncta: si nihil superest, continuum ex indiuisibilibus componeretur; si aliquid, ergò illud puncta non includeret.

Respondeo, quod Deus cognoscendo omnia puncta in linea eo modo, quo sunt cognoscibilia aliquid superest, scilicet partes lineæ, quæ non sunt puncta, nec essentialiter includunt puncta, non essent tamen sinè punctis cognitis, sicut Deus, & intellectus separatus potest cognoscere partes lineæ non esse puncta, sed non potest cognoscere esse sinè punctis.

XVI. Si indiuisibilia darentur, ista essent accidentia, ergo in aliquo deberent subiectari, quęro, vel in subiecto diuisibili, vel indiuisibili, non indiuisibili, quia non datur indiuisibile substantiale, ergò in subiecto diuisibili, quod est falsum, quia esset formaliter, vel virtualiter extensum.

Respondeo negando Antecedens, quia puncta non sunt accidentia, sed aliquitates accidentis, scilicet aliquid accidenden-

dentis, & quantitatis, quia sunt termini lineæ,& continuantia partes lineæ, ideò sunt in subiecto per accidens, & in subiecto diuisibili, in quo sunt partes eius; Et cum probatur quod non, quia tunc punctum esset formaliter, vel virtualiter extensum, nego, quia tale indiuisibile non est in subiecto per se, sed per accidens, ideò potest dici extensum per accidens, eò quia est per accidens in subiecto extenso.

Præterea si est indiuisibile mathematicum esset per se in subiecto etiam diuisibili, non propterea sequeretur ipsum esse diuisibile, & extensum, æqualitas enim, quæ est relatio, est accidens indiuisibile,& omninò inextensum, & tamen est in subiecto quanto, & extenso, & informaret totum quantum, nec tamen compenetraret omnes partes quanti; Vtiquè enim extensum non potest subiectari in subiecto inextẽso, & indiuisibili, tamen indiuisibile potest esse in subiecto extenso, & diuisibili, nec sequitur tale indiuisibile, & inextensum esse extensum saltim virtualiter, quia relatio, sicut & punctus nullam habet quantitatem molis, nec virtutis & sunt entia omninò inextensa tàm potentia proxima, quam remota, & huius ratio vera,& per se non potest esse, nisi quia sunt talia entia.

XVII. Si darentur indiuisibilia componentia continuum, sequeretur quòd perfectum sphæricum tangeret perfectum planum in puncto; sed consequens est falsum; ergò & Antecedens, falsitas consequentis probatur, quia si tale sphæricum tangeret perfectum planum vitreum frangeret illud; ergò tangeret secundum partes, & non in puncto, probatur consequentia, quia fractio prouenit ex resistentia vnius corporis respectu alterius impellentis illud: ergò, si tangeret in puncto puncta sphæræ, & plani essent simul, & vnum non impelleret aliud.

Respondeo etiam concedendo consequens, licet sphæricum solum in instanti tangat in puncto plani, in tempore verò partem plani,& cum probatur, quod est falsum, dico, quòd

si sphæ-

si sphæricum tangeret perfectum planum in puncto, idest in puncto plani, nunquàm frangeretur, & si frangeretur, hoc non esset propter maximam approximationem corporum, vt dicit Meldula, & Cat. ibi num. 77. sed quia planum vitreum cederet grauitati corporis sphærici, & sic incuruaretur; & sphæricum tangeret illud secundum partes, secundum quas esset posteà resistentia, & fractio.

Improbatur dictum Meld. & Cat.

XVIII. Si daretur indiuisibile in continuo, quæro quid tangeret immediate illud indiuisibile. Non aliud indiuisibile, quia indiuisibile nõ est immediatum indiuisibili, sic enim continuum ex indiuisibilibus componeretur, Non tangeret partem diuisibilem, quia indiuisibile nequit coexistere alicui diuisibili, ergò vanum est ponere indiuisibilia in continuo, & nihil iuuant.

Respondet Scot. 2. d. 2. q. 9. 5. quod immediatum potest accipi dupliciter vno modo inter quod secundum se totum, & aliud non est medium; Alio modo quod secundum se totum est cum altero statim, vel post alterum. Primo modo continuum est immediatum suo termino, quia inter indiuisibile terminans, & diuisibile terminatum non cadit medium. Secundo modo indiuisibili terminanti continuum nihil est immediatum, nihil enim secundum se totum statim sequitur illud indiuisibile, sed pars illius totius, quòd est immediatum totum; Vndè indiuisibile immediate tangit diuisibile secundum partem antè partem in infinitum, quia illa pars immediata non est determinata, nec determinabilis, cum sit diuisibilis in infinitas partes; Et cum probatur quod non, quia indiuisibile nequit coexistere diuisibili, negatur, quia indiuisibile, & punctus simul est cum diuisibili, sicut terminus cum suo terminato; Non enim diuersum locum occupant punctus, & linea, non enim magis se extenderet linea sine puncto, sicut nunc cum puncto, quia indiuisibile additum diuisibili non facit maius secundum molem; & sic non est vanum ponere indiuisibilia in continuo, quia po-

nuntur,

nuntur, vt continuent, & terminent partes lineæ, quæ cùm sint essentialiter continuæ, necessariò requirunt indiuisibilia continuantia.

XIX. Si darentur indiuisibilia in continuo, sequeretur, quod tot essent puncta in Cœlo, sicuti in minori circulo circà centrum, quod est falsum, quia pars aliqua Cœli erit æqualis toti minori circulo circà centrum, & per consequēns habebit æqualia puncta, ergò residuum Cœli vel non erit ex punctis, vel si ex illis componeretur, excenderet in illis minorem circulum.

Respondeo, quòd licet numerus partium & punctorum in quanto non possint assignari determinatè, potest tamen assignari confusè numerus punctorum in ordine ad numerum partium, & quia partes sunt infinitæ in potentia, quia diuisibiles in infinitū, ità infinita sunt puncta continuantia illas partes; Et sicut non est assignare primam, & secundam partem, ità non est assignare primum, & secundum punctum, quià inter duo puncta etiam in minima distantia assignata, & determinata sunt infinita puncta, quia infinitæ partes continuatæ per puncta. Et sicuti dantur finitæ partes determinatæ in continuo, ità dantur finita determinata puncta earumdem partium. Vnde sicut dantur infinitę partes in circulo maiori, & infinita pūcta, ita in circulo minori; quodlibet enim quantum est æquale alteri quanto secundū partes proportionales, non determinatas, & eiusdem quantitatis.

Respondeo itaquè ad argumentum concedendo, quod tot essent puncta in circulo minori, sicut in maiori loquendo de punctis continuantibus partes proportionales circuli minoris, quia sunt infinita puncta, sicut infinitæ partes; Et infinito seù simpliciter, seù secundum quid nullum datur maius infinitum in suo genere, vt dicetur in sequenti disp. cont. Meld. & Cat. seu negatur, quòd in circulo minori sint tot puncta determinata secundum eius determinatas partes eiusdem quantitatis, quot sunt in circulo maiori; Et licet à

K quolibet

quolibet puncto, & parte circuli maioris possint trahi lineæ non concurrentes ad puncta, & partes circuli minoris distributiuè, non tamen possunt trahi collectiuè, & simul, quia sicuti simul non possunt assignari partes, & puncta in circulo, quia sunt infinita, ità non possunt simul protrahi istæ lineæ, quia tunc darentur infinitæ lineæ actu, quæ essent determinatæ, protractæ tamen ad infinita puncta & partes omninò indeterminabiles, & inassignabiles, quòd repugnat. Idem dicendum est de minori motu, & tempore, & quocumque minori quanto in ordine ad maius quantum.

CONCLVSIO QVINTA.

Nullum Continuum inanimatum, & homogeneum habet terminum suæ paruitatis ex natura sua, licet quodcumquè tale permanens habeat terminum suæ magnitudinis, etiam in ordine ad omnipotentiam Dei.

Prima pars est Sco. 2. d. 2. q. 9. c. f. Secunda pars in 3. d. 13. q. p. C. & inde

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. 9. Phys. q. 3. num. 99. sustinent continua inanimata, & homogenea de potentia Dei absoluta nullum terminum paruitatis, & magnitudinis agnoscere, & citant Sco. 2. d. 2. q. 9. C. & N.

Confutatio differtur vsque ad disputationem de infinito.

Sed hæc opinio quo ad terminum magnitudinis sustineri non potest in doctrina Sco. & male citant Scotum litera C. quia ibi Scot. solum loquitur de termino paruitatis, non magnitudinis, vt videre est; Et confutatio huius opinionis erit in primo capite conclusionis disputatione de infinito, vbi ostendam contra ipsos non posse dari infinitum syncathegorematicum in magnitudine, & qualitate, quòd idem est ac dicere continuum, & quodcumque homogeneum per

manens

manens habere terminum suæ magnitudinis in ordine ad omnipotentiam Dei, sed quia nolo millies id repetere in proprio loco afferam argumenta.

Sententia Aucloris. Cap. Secundum.

Nullum Continuum inanimatum, & homogeneum habet terminum suæ paruitatis ex natura sua, licet quodcumque tale permanens habeat terminum suæ magnitudinis, etiam in ordine ad omnipotentiam Dei.

Prima pars est Sco. 2. d. 2. q. 9. e. f. secunda pars in 3. d. 13. q. p. C. & indè.

Quantum duplex, & quid.

PRO cuius declaratione Primo Not. hic solum primam partem conclusionis examinari cum secunda pars sit in disputatione de infinito examinanda, & in præsenti esse sermonem non de sola quantitate, & Continuo mathematico, sed de habente quantitatem. Habens autem quantitatem, vel est animatum, & hoc siue anima rationali, vt homo, siuè sensitiua, vt Bruta, siuè vegetatiua, vt Plantæ, Vel est inanimatum, & est omne illud, quòd caret anima rationali, sensitiua, & vegetatiua; quantum animatum dicitur etherogeneum, scilicet habens partes diuersæ rationis, de quibus totum non potest prędicari; pars enim hominis non est homo; & istæ partes diuersæ rationis necessariò requiruntur in animato, quia sunt instrumenta diuersarum operationum animæ; quantum verò inanimatum dicitur homogoneum, scilicet habens partes eiusdem rationis, de quibus totum prædicatur; quia pars aquæ est aqua, & pars ignis est ignis; In proposito est sermo de Continuis inanimatis, & homogeneis: Et est sensus conclusionis, quòd nullum datur Continuum homogeneum, quòd ex sui natura petat terminum suæ paruitatis, sic, quòd quodcunq; dato paruo homogeneo,

quantum animatum est etherogeneum; Inanimatū est homogeneum.

potest dari minus, idest non repugnat continuo inanimato, & homogeneo ex sui natura, quia semper quocumque paruo per se existente, possit aliquid minus eo per se existere in infinitum, licet extrinsecè possit dari terminus paruitatis, & ratio extrinseca termini paruitatis potest esse secundum Scot.2. d.2. q.9.G. contrarietas corrumpentis, quia si daretur minimum in infinitum, cùm hæc sublunaria sint ex contrariis, & contraria, tale minimum non posset per se existere, quia statim corrumperetur à suo contrario; Vnde de facto deuenitur ad minimum, vel deueniri potest, quo si daretur minus non potens resistere corrumpenti, illud minimum haberet terminum suæ paruitatis, sed extrinsecè, non autem intrinsecè, ità quod circumscripto omni corruptiuo, non repugnat dari minus in infinitum etiam in ordine ad omnipotentiam Dei; sed continuum homogeneum ex sui natura habet terminum suæ magnitudinis, sic quòd intrinsecè sibi repugnat augeri in infinitum, etiam in ordine ad omnipotentiam Dei, vt dicetur in disputatione de Infinito.

Differentia inter homogenea, & etherogenea quoad formam.

Secundò Not. quòd differentia est inter homogenea, & etherogenea in proposito nostro, quòd forma naturalis in etherogeneo impedit ne possit diuidi secundum omnem partem, in quarum vnaquæque sit ratio totius; vtiquè potest diuidi in infinitum, quia est quantum, sed partes eius non possunt habere rationem totius, non enim manus, caput, pes est homo, aliter etherogeneum, non esset etherogeneum, & sic anima impedit nè homo diuidatur secundum omnem partem, quarum vnaqueque sit homo, ac propterea homo requirit determinatam quantitatem. Tamen licet homo secundum animam, & secundum quod est corpus etherogeneum non possit diuidi in partes integrales eiusdem rationis, tamen secundum quod est Quantus, est diuisibilis in partes eiusdem rationis, corpus enim quòd afficitur quantitate est diuisibile in partes eiusdem rationis, quia

quali-

quælibet pars corporis est corpus, licet quælibet illarum non sit homo, similiter & caro in homine est diuisibilis in partes, quarum vnaquæque est caro, non tamen quælibet illarum est homo; Propter hoc tamen homo potest dici simpliciter diuisibilis in partes integrales eiusdem rationis, quia quòd competit toti per partem, competit ei simpliciter ex Sco.2.d.2.q 9.E. Videre enim licet per manus non competat homini, conuenit ei tamen in quantum habet oculos, & sic valet dicere, quòd homo simpliciter videt: A pari licet homo non sit diuisibilis in partes eiusdem rationis, quatenus habet animam, & est corpus etherogeneum, est tamen diuisibilis hoc modo, quatenus est Quantus, & ratione corporis, & carnis quantæ in ipso homine, quia omnes rationes inquit Scot. quæ absolutè procedunt de Quantitate secundum rationem quantitatis, procedunt de ea, vt est in rebus naturalibus, & de ipsis naturalibus verificatur; Nec indiuisibilitas animæ, & etherogeneitas repugnat diuisibilitati in partes eiusdem rationis, quia animatum, & etherogeneum non posset habere quantitatem, cui enim repugnat passio consequens naturaliter aliquam rem, ei repugnat, & ipsa res, & sic cui repugnat diuisibilitas in partes eiusdem rationis, quæ est passio naturaliter consequens quantitatem, ei simpliciter repugnat quantitas, ità Scot. loco cit. D.

Quid sit pars secũ. dum formam, & secundum materiam.

Tertiò Not. quòd pars alicuius continui. Alia dicitur pars secundum formam, alia secundum materiam, & hoc potest intelligi tripliciter secundum mentem aliorum est Scot. 2. d. 2. q. 9. C. vno modo pars dicitur secundum formam, idest secundum speciem, vt pars quanti naturalis, vt naturale est: Pars verò secundum materiam dicitur pars quanti naturalis, vt quantum est, quia quantitas sequitur materiam, & sic redit in quoddam dictum antiquum, quòd quanta secundum quòd quanta sunt diuisibilia in infinitum, non autem secundum quòd naturalia. Secundò modo pars secundum formam dicitur, quæ potest per se existere actu,

& pars secundum materiam, idest pars secundum potentiam, est quæ actualiter existit in toto, & tunc redit cum alio dicto antiquo: quòd est dare minimum, quod potest per se existere, non autem est minimum in toto, quo non est minus existens in eo in potentia, & sic pars actu separata à quanto dicitur pars secundum formam, & pars actualiter in toto dicitur pars secundum materiam, idest datur aliqua portio materiæ sub minori qua forma substantialis existere non potest, & dicitur minimum naturale, seù minimum secundum formam, quia dicit Ægidius, quòd forma substantialis sibi determinat quantitatem, sub qua minori non potest existere, non tamen potest dari minimum secundum materiam, quia quocunque minimo dato in toto, adhuc potest dari minus in ipso toto. Tertio modo, pars secundum formam dicitur pars formæ, vel totius in quantum habet formam, & pars secundum materiam dicitur pars materiæ, vel totius sine forma: Iste autem tertius intellectus est falsus inquit Scot. quia nunquam dari potest pars in toto sine forma: Et sic excludendo hunc tertium intellectum, siuè accipiatur minimum secundum materiam, siuè secundum formam primo, vel secundo modo non potest dari minimum in natura, cùm quodcumque quantum sit diuisibile in infinitum.

Terminus continui quotuplex & quid sit.

Quartò Not. quòd terminus continui est duplex, vt etiam optimè notauit Sghem. 1. physi. dig. 3. q. 5. Intrinsecus, & extrinsecus. Terminus intrinsecus magnitudinis est vltra quem res maior fieri non potest, vt si homo non potest attingere vltra quantitatem viginti palmorum, vigesimus palmus est terminus intrinsecus magnitudinis hominis, & dicitur maximum, quod sic; Terminus extrinsecus magnitudinis est illa quantitas, quæ non potest attingi, sed citrà eam potest attingi, vt primus palmus vltrà vigesimum, quem non potest attingere homo, dicitur terminus extrinsecus magnitudinis hominis, & dicitur minimum, quod non, quia est

mini-

minima quantitas, quæ non poteſt ab homine attingi, quia vltra vigeſimum primum palmum datur alia maior quantitas, quæ non poteſt ab homine attingi; Terminus intrinſecus paruitatis eſt minima quantitas ſub qua res eſſe poteſt, vt ſi homo non poteſt ſub minori quantitate eſſe, quàm bipalmari, quantitas bipalmaris erit terminus intrinſecus paruitatis hominis, & dicitur minimum quod ſic. Terminus verò extrinſecus paruitatis eſt illa quantitas minima, ſub qua res eſſe non poteſt, vt tota quantitas infra bipalmarem eſt terminus extrinſecus paruitatis hominis, & dicitur maximum, quod non, quia vltrà illam quantitatem, ſcilicet infra bipalmarem eſt ſemper maxima quantitas in infinitum: maximum quod ſic, & minimum quod ſic ſunt termini intrinſeci continui: maximum quod non, & minimum quod non ſunt termini extrinſeci: Sed maximum quod ſic, & minimum quod non ſe tenent ex parte magnitudinis, minimum verò quod ſic, & maximum quod non ſe tenent ex parte paruitatis; Exemplificaui de quantitate palmari tanquam de quantitate certa ad maiorem explicationem, quilibet autem poteſt ſpeculari iuxtà gradum maioris, vel minoris quantitatis.

Quintò Notand. quòd de terminis rerum, vel loquimur de facto, & certum eſt, quòd de facto datur maximum, quod eſt ſupremum Cœlum, & minimum, quo minus actualiter non inuenitur, licet nobis ignotum; Si verò loquamur de poſſibili. Vel loquimur de poſſibili ſecundum naturam, ideſt in ordine ad agens naturale, & ſic datur maximum, quia agens naturale non poteſt facere maius corpus, quàm ſit vltimum Cœlum, datur etiam minimum non ſolum in viuentibus, quæ ſecundum Ariſtotilem 2. de Anima t. 41. habent terminum ſuæ magnitudinis, & paruitatis, ſed etiam in homogeneis, quia cùm hæc ſint contraria, vel ex contrariis conſtent, non poſſent naturaliter conſeruari, & quantitas licet ſit diuiſibilis in infinitum, non tamen po- *An detur maximũ, & minimũ de facto, vel de poſſibili.*

poteſt

test agens naturale, quod diuidit instrumento corporeo, diuidere in infinitum, sed tandem deuenit ad destructionem continui in diuisione; vel loquimur de possibili simpliciter, scilicet in ordine ad quamcumque potentiam, & sic continua non habent terminum paruitatis, quia sicuti continuo non repugnat diuidi in infinitum, ità Deus potest ipsum diuidere in infinitum, aliter non posset diuidere omne diuisibile, habet verò terminum magnitudinis in ordine ad omnipotẽtiam Dei, si sit permanens, quia sibi repugnat magnitudo in infinitum, vt dicetur in disp. de infinito; modò præsens conclusio intelligitur de possibili simpliciter, sic quod Continuum homogeneum ex sui natura non habet minimum, & non repugnat dari minus quocumque dato minori homogeneo: His not.

Probatur Conclusio ex Scot. loco in principio conclusionis citato. Nullũ diuisibile in infinitas partes eiusdẽ rationis habet terminum suæ paruitatis: sed homogenea sunt diuisibilia in infinitas partes eiusdem rationis, aliter non essent homogenea: ergò non habent terminum suæ paruitatis.

Responsio Thomistarum. Respondent Thomistæ, quòd licet homogeneum sit diuisibile in infinitum ratione quantitatis, non est tamen sic diuisibile ratione formæ naturalis, quæ sibi determinat quantitatem, & impedit nè possit diuidi in partes, in quibus possit esse forma, & saluetur ratio totius.

Cõfutatur Contra ergò homogeneum non esset homogeneum, quia de ratione homogenei est, vt distinguatur ab etherogeneo, quod sit diuisibile in partes in quibus saluatur ratio totius, pars enim aquæ est aqua.

Responsio pro Thomistis, Si respondeant, quòd vtique homogeneum est diuisibile in partes eiusdem rationis, sed quando peruenitur ad minimam quantitatem, quam sibi determinat forma homogenei, tunc amplius non potest diuidi, etherogeneum autem nullo modo est sic diuisibile.

Cõfutatur Contra ponamus casum, quòd forma aquæ sibi determinet

net quantitatem palmarem, tunc diuidatur aqua; Vel illa pars aquæ diuisæ habet formam aquæ, vel non; si sic, ergò dabitur minor aqua minima determinata; si non; ergò illa pars aquæ, quæ non est annichilata, cùm annichilatio sit ipsius Dei, quòd etiam nouit Philosophus, erit actualiter sine forma aquæ; ergò materia naturaliter erit sine forma, quod est contra Thomistas, cùm sustineant materiam non habere aliud esse actuale, quàm esse formæ; Si dicant, quòd tunc adueniret alia forma, hoc est falsum, quia sic per diuisionem aliquid generaretur, quæ opinio est Anaxagoræ, quam confutat Aristoteles primo phys. tex. 38. volebat enim Anaxagoras, quòd generatio fieret per segregationem, vt si diuidebatur caro à carne, tunc aliud generabatur secundum ipsum. *Tacita responsio cōfutatur.*

Prætereà quæro de illa carne de nouo adueniente; Vel est etherogenea, vel homogenea, non etherogenea, quia ista requirit partes diuersæ rationis, quales non habent partes totius homogenei; Non homogenea, quia tunc diuidatur illa pars in alias partes, & sic vel illæ partes habebunt formam eiusdem rationis, vel non; si sic; ergò dabitur minus minimo, & homogeneum poterit esse in minori quantitate determinata; Si non; ergò illæ partes erunt sine forma, vel alia generaretur per illam diuisionem, quòd est falsum, vt prius dictum est secundum Aristotelem contrà Anaxagoram. *confutatur 2.*

Prætereà ponamus casum, quòd minimum homogeneum inter omnia homogenea sibi determinet quantitatem semipalmarem; Tunc diuidatur quantum semipalmare, quæro vel illa pars diuisa erit eiusdem rationis cum toto, vel non; si sic; ergò illud infimum homogeneum non sibi determinabit quantitatem semipalmarem, quia saluabitur forma illius in minori quantitate: si non; ergò alia forma adueniet, vel remanebit materia sine forma, hoc secundum est falsum, vt dictum est; Non primum, quia vel illa forma erit *confutatur 3.*

etherogenea, vel homogenea: Non etherogenea, quia hæc requirit partes diuersæ rationis, quas non haberet pars illa diuisa, cùm fuerit pars totius homogenei: Si homogenea, ergò minimum inter omnia homogenea non sibi determinabit quantitatem semipalmarem, quòd est contra suppositum, & sic dato quocumque minimo homogeneo, poterit dari minus in infinitum, sicut est in infinitum diuisibile.

Si respondeant homogeneum non posse diuidi in partes, quæ actualiter possint existere sine toto, licet in toto sint assignabiles, negarent sensum; Non enim isti negantes prima principia quantitatis, & continui possunt lauare manus, nisi totam aquam adhiberent, nec bibere vinum, nisi totum vinum simul biberent, & natura frustrà dentes eis dedisset, si carnem actualiter diuidere non possent; non vtor rationibus, quia prima principia probari non possunt, & contra negantes principia non est disputandum, aliter nunquam adinueniretur veritas, & scientia esset impossibilis.

Contrà conclusionem arguitur primò à Thomistis; Forma substantialis in communi requirit quantitatem; ergò forma determinata requirit determinatam quantitatem: Consequentia patet ex Aristotele 2. physicorum tex.38. & 5.Met.tex.3.vbi habet, quòd causę comparantur effectibus, & commensurantur eis: ergò erit assignare minimum determinatum in continuis homogeneis.

Responsio aliquorum Scotistarũ, quam sequuntur Meld. & Cat.

Respondent aliqui Scotistæ, quòd vtique forma determinata requirit determinatam quantitatem, sed non tantam, quin possit esse in minori cùm sit diuisibilis in infinitas partes, in quibus saluatur; Hanc responsionem sequuntur Meld.& Cat.ibi §. ad secundum dicentes, quòd substantia est determinata in perfectione intensiua, non autem extensiua, & in quantitate: sed nihil dicunt ad authoritatem Aristotelis quam etiam ipsi adducunt, & quæ probat determinationem in quantitate.

Contra

Contra hanc responsionem. probo, quòd forma substantialis determinata sibi determinet quantitatem, licet ratione quantitatis sit diuisibilis in infinitas partes, & quod non soluit argumentum. probo sic forma aquæ seù aqua bipalmaris si diuidatur in duas aquas palmares est aliud indiuiduum ab aquis palmaribus, vt elicitur ex Scoto 2.d.q.9. f. vbi habet, quòd partes continui homogenei si per se essent, indiuidua essent eiusdem speciei, cuius totum est indiuiduum; ergò forma aquæ bipalmaris non saluatur per diuisionem cum quantitate palmari, aliter aqua bipalmaris, & palmaris diuisa essent vnum indiuiduum, & non diuersa indiuidua, quòd falsissimum est maximè in doctrina Scoti loco citato. *Cõfutatur*

Præterea si forma aquæ bipalmaris non est determinata secundum extensionem, & posset esse in minori, vel minori quantitate in infinitum; ergò poterit esse in tota aqua, & in qualibet parte aquæ, & sic esset solùm extensa virtualiter, sicut anima rationalis, quod non concedunt Philosophi. *Confutatur 2.*

Præterea ad quid adducere hoc fundamentum irrefragabile, scilicet, quòd homogeneum est diuisibile in infinitas partes eiusdem rationis ad ostendendum, quòd non detur minimum determinatum in homogeneis, si hæc forma determinata homogenei est indeterminata quo ad extensionem, & potest esse in minori, & minori quantitate in infinitum? igitur absque tali diuisibilitate probabitur non posse dari minimum in homogeneis, & sic fundamentum Scoti quod est singulare, nullum esset, quia supposita etiam indiuisibilitate homogenei, adhuc saluabitur conclusio, quia forma hæc, & determinata homogenei est indeterminata in extensione. *Confut. 3.*

Ideò respondeo aliter ad argumentum cõcedendo; quòd forma hæc, & determinata requirit determinatam quantitatem, & hoc est, quod voluit intelligere Aristoteles citatus in *Responsio Auctoris.*

argumento, quòd causa commensuratur effectui sic, quòd effectui in actu correspondet causa in actu, effectui in potentia causa in potentia, effectui particulari, & determinato correspondet causa singularis, & determinata, effectui in communi causa in communi, sic se explicat Aristoteles locis citatis, statuarius est causa statuæ, hic statuarius huius statuæ; sic in proposito forma substantialis in communi requirit quantitatem in communi, forma particularis, & determinata requirit quantitatem singularem, & determinatam, ita vt non possit esse in minori, & minori in infinitum, alitèr hæc forma V.G. aquæ bipalmaris poterit esse tota in tota, & tota in qualibet parte, sicut anima rationalis, vt priùs dictum est, quòd est falsum, sed nego vltimam consequentiam, scilicet quod detur minimum determinatum in homogeneis, quia quando dicitur, quòd homogeneum non sibi determinat minimam quantitatem, intelligitur sic, quòd non potest dari indiuiduum illius speciei homogeneæ, quod sibi determinet tantam quantitatem cum minori, qua non possit esse aliud indiuiduum illius speciei in infinitum, & sic datur forma aquæ, quæ sibi determinat quantitatem bipalmarem, alia palmarem, alia semipalmarem, alia, & alia minorem in infinitum, quia est diuisibilis in infinitas partes eiusdem rationis, quæ sunt diuersa indiuidua aquæ, & forma totius aquæ non saluatur in partibus diuisis secundum esse indiuiduale; sed tantùm secundum esse specificum.

Secundò. Natura disponit corpora, quæ sunt partes Vniuersi, vt limites suos non pertranseant, non enim ignis crescit, nisi ad concauum Lunæ, aer vsque ad Sphæram ignis; ergò homogenea habent terminum suæ magnitudinis, & paruitatis.

Respondeo concedendo totum argumentum, quod procedit de facto, non autem de possibili: homogenea enim de facto habent terminum suæ paruitatis ab extrinseco, & ex ordine Vniuersi, non repugnat tamen homogeneo, quòd ali-

aliquod indiuiduum ipsius sit cum minori quantitate, quam sit illa minima, quæ ex ordine Vniuersi de facto est determinata.

Tertiò. Res indiuiduatur per quantitatem in materia signata, ergò petit determinatam magnitudinem, & paruitatem.

Respondeo negando antecedens, quia res indiuiduatur per propriam differentiam indiuidualem, quæ non est quantitas, sed vltima realitas rei, vt dicetur, Deo dante, in Metaphysica disp. de Indiuiduitatione; Ad consequentiam respondeo, quòd res determinata, & singularis petit assignatam, determinatam, & singularem quantitatem, sed nego, quòd ita determinatam quantitatem petat, vt aliud Indiuiduum rei homogeneæ in infinitum non possit esse in minori, & minori quantitate in infinitum.

Quartò Aristoteles primo phys. t. 38. docet dari minimum quo aliud minus dari non possit, vt minima caro, & minima aqua, & clariùs 2. de Anima t. 41. omnium natura constantium est terminus.

Respondeo ex Scoto 2. d. 2. q. 9. M. quòd Aristoteles arguit contra Anaxagoram, qui volebat, quòd generatio fiebat ex segregatione vnius ab altero, dicebat enim, vt imponit sibi Philosophus, quòd facta segregatione à carne cuiuscumque generabilis de carne, adhuc remaneret caro tanta, vt ex ea posset vlterius segregari, seu generari quodcumque generabile, et dicebat, quodcumque generabile requirere quantitatem determinatam illius, ex quo generatur; Tunc arguebat Philosophus, potest fieri ità continua segregatio carnis, vt non remaneat tanta caro, quantam requirit omne generabile; ergò dabitur minima caro, ex qua non potest fieri segregatio, seù generatio cuiuscumque generabilis; segregatio enim, & generatio idem est secundum Anaxagoram; Vnde secundum intentionem Philosophi, non datur minimum in naturalibus, & in carne, quia hæc est diuisibilis in infi-

infinitas partes eiusdem rationis, sed secundum Anaxagoram, probat enim Philosophus contra ipsum ex principiis eius dari minimam carnem, ex qua non potest fieri generatio cuiuscumque generabilis, cùm generatio secundum Anaxagoram non sit, nisi segregatio determinatæ quantitatis carnis.

Ad illud 2. de Anima Respondeo ex Scoto loco citat. N. quòd ibi Philosophus loquitur de terminis magnitudinis tantùm, & augumenti: Et ideò Philosophus præcisè intendit in illo loco, quòd quantitas perfecta cuiuslibet rei naturalis est determinata in maius, ex quo habet propositum suum, quòd intendit probare, scilicet, quòd ignis non est principium augumentans in aliqua generatione, quia oportet principale agens in aliqua specie esse determinatum ad quantitatem perfectam illius speciei, vt illam solam producat, & non vltra illam, ignis autem non est determinatus ad quantitatem determinatam in illa specie, quia quantum est ex se produceret maius quantum, quia crescit in infinitum, si apponantur combustibilia in infinitum: In proposito est sermo in præsenti de termino paruitatis in homogeneis, non autem de termino magnitudinis in etherogeneis, & animatis, de quibus ibi loquitur Philosophus.

Quintò. Ad generationem ignis, vel aquæ præcedunt certæ, & determinatæ dispositiones in subiecto, quarum præcipua est quantitas: ergò petunt determinatam quantitatem.

Respondeo concedendo, quòd in generatione facta ab agente naturali debent præcedere certæ, & determinatæ dispositiones, & determinata quantitas, sed nego de generatione in ordine ad Deum, qui istis dispositionibus non est alligatus: Vnde licet de facto, vel de possibili in ordine ad agens naturale detur minimum, quo minus dari non possit, non tamen datur intrinsecè, & in ordine ad potentiam Dei, respectu cuius non potest dari ità minimus ignis,

quia

quin possit dari aliter ignis minor in infinitum: Item præter nouam generationem in infinitum potest per continuam diuisionem dari minus quocumque minimo dato in infinitum.

Sextò. Homogenea ordinata sunt ad aliquod opus; ergò non tàm paucam [redacted] operari: ergò determinatam quantitatem petunt.

Respondent Meld. & Cat. ibi §. ad tertium, quòd determinata quantitas requiritur ad agendum, loquendo de rebus tantùm perfectis, vel saltem sufficit, quòd res habeat potentiam exercendi propriam operationem cum aliquo coniuncto, licet non solitariè; & citant Scot. 2. d. 2. q. 9. N. & 4. d. 44. q. p. §. quantum ergò ad istum art. *Responsio Meld. & Cat. quæ est contra Sco. loc. citatis ab eisdem.*

Sed hæc responsio est omninò contra Scot. in secundo loc. cit. quia ibi Scotus loquitur tantùm de operatione naturali sic quòd qualitas sensibilis debet habere determinatam quantitatem, vt possit immutare sensum, scilicet naturaliter, & quòd res sensibilis minima non possit immutare sensum, hoc prouenit à sensu, non à re sensibili, quia quantum est ex se res, est sensibilis virtute, non actione, inquit Scotus ibi, idest posset immutare sensum, si sensus esset sibi proportionatus. Modò sicuti potest esse per potentiam Dei minima res sensibilis in infinitum, ita potest Deus caussare sensum sibi proportionatum; Est etiam ista responsio euidentiùs contraria Scot. in quarto loco cit. Inquit enim ibi Scot. quòd pars secundum formam est, quæ potest habere operationem non tantùm totius, sed propriam, & non tantùm vt separata à toto, sed vt existens in toto, & quod ad istam operationem exercendam requiritur determinata quantitas extensiua, & quantitas intensiua virtutis; ergò Scot. non tantùm loquitur de rebus perfectis, & de quantitate secundum perfectionem, sed etiam de quantitate molis, & quod non sufficit, vt possit habere operationem cum aliquo coniuncto, quia si solitariè non posset habere pro- *confutatur*

priam

priam operationem, nec cum aliquo coniuncto; quia tunc res haberet solam operationem totius: Vnde res secundum Scotum ad hoc vt operetur, requirit determinatam quantitatem molis, & virtutis; Videte Scotum loco cit. G. & videbitis expressè, quòd Moderni fingunt alium Scotum, [redacted].

Responsio Auctoris. Ideò Respondeo ego ad argumentum, concedendo; quòd res de facto determinatam quantitatem molis, & virtutis requirunt, vt possint proprias exercere operationes, quia res in minima quantitate, & virtute potiùs vincuntur à contrarijs, quàm vincant, & sic proprias nequeunt exercere operationes, sed ablato quocumque contrario, vt alibi dicit Scot. tunc res potest in quantitate in infinitum minori conseruari, & quantum est ex se, & ex sui natura haberet propriam operationem, vt pars millii in infinitum minima, posset immutare sensum, si Deus potentiam visiuam sibi proportionatam crearet, quòd sibi non repugnat, & hoc sufficit nostræ conclusioni, quæ procedit de possibili.

Septimò, Ex Aristotele primo de Anima tex. 24. Actus actiuorum sunt in patiente disposito: sed circà homogenea potest esse actus ità tenuis, quo minor esse non possit; ergò dabitur passum susceptiuum, quo minus non est dabile.

Respondeo concesso supposito Aristotelis, negando minorem subillatam, quia non potest esse ita tenuis actus, quin possit dari alter minus tenuis in infinitum, & sic non potest dari passum ita minimum, quin possit dari aliud minus semper aptum ad recipiendas dispositiones.

Prætereà potest dici, quòd argumentum præcedit de facto, & in ordine ad agens naturale, respectu cuius minimæ sunt dispositiones ad agendum, non respectu Dei, & de possibili absolutè, quia agens naturale si naturaliter agat, per aliqua media, Deus potest auferre illa media, & sic agens naturaliter habebit effectum sine illis medijs, vt patet

de

de Virgine in conceptione humanitatis Christi, vide Sco. 3. d. 4. q. vn. C. agens enim naturale agit per eius virtutem, non per media; In proposito si agens naturale minimum non posset disponere passum (quòd est falsum) adhuc posset habere suum effectum, si Deus applicaret sibi minimum passum dispositum, vt si lignum dispositum applicaret igni, tunc ignis minimus naturaliter igniret.

Octauò. Datur minimum, & maximum in etherogeneis, ergò & in homogeneis, quia etherogeneum est ex homogeneis, scilicet carne, sanguine, & ossibus.

Respondeo ad antecedens, quòd datur maximum, & minimum, in etherogeneis de facto, non autem datur minimum de possibili, cùm possit Deus quocumque etherogeneo minimo dato, aliud minus procederet in infinitum, vt dicetur in sequenti conclusione, & sic nego consequentiam.

Præterea, concesso simpliciter Antecedente, nego Consequentiam; Ad probationem dico, quod vtiquè etherogeneum constat ex homogeneis, quæ sunt diuisibilia in partes eiusdem rationis, vt caro in infinitas partes carnis, & sanguis in infinitas partes sanguinis, non sic homo, quia non potest diuidi in partes eiusdem rationis, quarum quælibet sit homo. Vnde potest dici quòd etherogeneum licet haberet terminum magnitudinis, & paruitatis secundum se totum idest, vt etherogeneum, non haberet tamen terminum magnitudinis, & paruitatis secundum partes, quia illæ sunt homogeneæ.

Nonò. Virtus, potentia, actio, motus, & forma sunt definita, ac determinata, quia virtus naturalis est in subiecto quanto; ergò requisit determinatam quantitatem.

Respondeo concedendo totum argumentum, scilicet quòd virtus, actio, & forma requirit determinatam quantitatem, sed non ita determinatam, quia virtus, actio, potentia, & forma alterius indiuidui eiusdem rationis possit

esse in minori quantitate: Vtique eadem forma non potest esse in minori, vel minori quantitate in infinitum, potest tamen alia forma, & aliud indiuidiuum eiusdem rationis esse in minori & aliud in minori quntitate in infinitum cum sua virtute, potentia, & actione.

Decimò. Aristoteles in libro de sensu, & sensato cap. 6. vult pasiones naturales sensibiles, scilicet qualitates non esse in infinitum diuisibiles, eò quia sensus posset intendi in infinitum: Nam ad percipiendum minus, & minus, requiritur acutior sensus, ergò requirunt determinatam quantitatem.

Respondeo ex Scoto 2. d. 2. q. 9. sup. N. quòd Aritoteles vult, quòd passiones sensibiles, scilicet qualitates, non esse in infinitum diuisibiles in quantum sunt perceptibiles à sensu, quia licet sint diuisibiles in infinitum, sicut subiectum quantum, in quo sunt, est diuisibile in infinitum, non tamen omnes illæ partes, in quas est diuisibilis qualitas, sunt perceptibiles à sensu, quia potest dari ita minima pars, quæ non possit à sensu percipi; Vndè vult ipse Aristoteles, quòd pars quantumcumque minima potest esse sensibilis virtute non actione, hoc est, pars minima potest cooperari alijs partibus ad immutandum sensum, sed ipsa per se existens non immutaret sensum: Et ratio est, quia de facto non datur sensus ità acutus, qui possit percipere minimam partem sensibilem: Et cum dicitur, quòd tunc sensus cresceret in infinitum; Respondeo ex Scoto loco citato: quòd tunc cresceret in infinitum, si sensus posset percipere minorem partem qualitatis in infinitum, posset tamen Deus alium, & alium sensum acutiorem producere in infinitum, qui posset percipere illas partes minimas in infinitum; modo stat diuisibilitas qualitatis in infinitum absque eo, quòd sensus possit illas partes qualitatis in infinitum cognoscere.

XI. In mixtione quidam liquores, vt aqua, & vinum, dum inter se miscentur, ammittunt propriam naturam, & in aliam

con-

conuertuntur: sed hoc non potest esse, nisi quia ita minuuntur, vt in tàm paucis partibus conseruari non possint: ergò requirunt determinatam quantitatem, vt in minori esse non possint.

Respondeo concedendo totum argumentum de facto, quia de facto res petunt determinatam quantitatem, vt si sint in minima quantitate, non possint conseruari, quia à contrario corrumpuntur, vel in propriam naturam conuertuntur, vt cùm parua aqua miscetur cum vino, negatur tamen de possibili, ablato enim inquit Scotus, omni contrario, aqua, vel vinum possunt ex sui natura conseruari in minima parte in infinitum; Et Responsio Meld. & Cat. ad hoc argumentum negat rationem corruptionis liquorum in mixtione assignatam in argumento, quam concedunt in responsione; dicunt enim quòd ratio corruptionis non est, quæ assignatur in argumento, sed ex mutua actione, quòd est hoc, nisi quia in tàm parua quantitate non possunt conseruari, quin à contrario corrumpantur? *Contradictio Meld. & Cat.*

XII. Actio fit per excessum actiuitatis agentis suprà resistentiam passi; sed iste excessus est determinatus; ergò qualitas propter talem excessum erit sic determinata, vt minor esse non possit, aliter non posset excedere passum.

Respondeo concedendo suppositum solùm de actione corruptiua, quia sensibile immutans sensum non excedit potentiam sensitiuam, nec obiectum producens cum intellectu intellectionem in eodem intellectu, non excedit intellectum; Prætereà concesso supposito simpliciter, dico ad minorem subtilatam, quòd iste excessus est determinatus, quia hoc agens habet determinatam virtutem, vt possit excedere passum; vt si ad excedendum hoc passum requiruntur quinque gradus virtutis, illud agens non potest habere minorem virtutem, vt possit agere in illo passo; sed ex hoc non sequitur, quòd in genere qualitatis, & virtutis non possit dari minor virtus in infinitum, quia sicut potest dari aliud

& aliud passum minus resistens in infinitum, ita potest dari alia, & alia virtus minor in infinitum, quæ possit excedere resistentiam passi: Et iste est verus intellectus huius conclusionis, quòd si aliter intelligatur, vt multi Scotistæ, quos vidi, multas docent propositiones falsas: Vnde si forma, vel agens, vel quodcumque indiuiduum requirit determinatam quantitatem, vt in minori non possit esse, non per hoc sequitur, quòd detur minimum naturale de possibili, quia sufficit quòd in illa spetie possit dari aliud, & aliud indiuiduum, alia, & alia forma in infinitum, quæ requirunt minorem quantitatem: hoc modo si rectè intelligatur conclusio, difficultates facilè soluuntur.

CONCLVSIO SEXTA.

Viuentia, & continua etherogenea omnia habent terminum magnitudinis, & paruitatis non solùm naturaliter, sed etiam in ordine ad potentiam Dei, adhærendo rationibus Scotizantium.

Colligitur ex Scoto omnibus in locis, in quibus habet Creaturam non habere virtutem infinitam.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat. quæ falsa est propter falsa fundamenta.

MEld. & Cat. disp. 9. phys. q. 3. a. 2. sustinent omnia viuentia de facto habere terminum magnitudinis, & paruitatis intrinsecus in quocumque statu, at supernaturaliter nullum terminum agnoscunt, præter homines, quia anima indiuisibili, & rationali sunt præditi, & volunt, quòd homines sint de potentia Dei intrinsecè terminati quoad magnitudinem, loquendo verò de termino paruitatis, volunt, quòd omnia viuentia indifferenter nullum habeant terminum, ità loco citato n. 110.

Sed

Sed hæc opinio sustineri non potest, nec in via Scot. nec in doctrina ipsorum. Arguo primò, quòd viuentia indifferenter habeant terminum magnitudinis, supponendo, vt etiam ipsi supponunt loco citato n.8. quòd viuentia augentur intrinsecè ex propria virtute animæ, & est verum in doctrina Aristotelis, & Scot. tunc sic: Repugnat viuentibus habere virtutem infinitam, etiam in ordine ad omnipotentiam Dei; ergò repugnat etiam in ordine ad omnipotentiam Dei augeri in infinitum: Antecedens patet, quia virtus infinita soli Deo conuenire potest: Consequentia patet, quia si viuentia possunt augeri propria virtute in infinitum, possent habere virtutem infinitam. *Cõfutatur*

Ex operatione enim in infinitum per propriam virtutem, arguitur virtus infinita ex Scoto 2. d.2. q.6. sup.K.vbi habet, quòd si Angelus posset esse per propriam virtutem in maiori, & maiori, seù in minori, & minori loco in infinitum, argueretur virtus infinita; ergò viuentia in ordine ad omnipotentiam Dei habent terminum suæ magnitudinis.

Confirmatur ex doctrina ipsorum; qui nu.108. probant viuentia naturaliter esse terminata per hoc, quia virtus animæ est finita, & limitata: Tunc sic, sed virtus animæ in ordine ad omnipotentiam Dei est finita, & limitata, quia non potest Deus creare infinitum, cùm repugnet creatura infinita: ergò viuentia etiam in ordine ad potentiam Dei habent terminum suæ magnitudinis. *Cõfutatio ad hominẽ*

Secundò probo ad hominem, quòd si viuentia imperfecta non habent terminum magnitudinis etiam in ordine ad potentiam Dei, nec etiam animata anima rationali, quòd est contra ipsos; Nulla forma ex se potest quamcumque materiam informare, sed limitata est ad materiam proportionatam, nisi virtus informatiua eius augeatur: Hæc maior est ipsorum ibi num.110. sed virtus informatiua animæ rationalis, potest à Deo augeri in infinitum, ergò potest quancumque materiam informare in infinitum: ergò homo non habe- *Cõfutatur 2. principaliter ad hominem.*

habebit terminum suæ magnitudinis, minor probatur, quia secundum istos in sequenti disputatione de infinito datur contra Scot. vt dicunt, infinitum syncategorematicum in qualitatibus, & perfectionibus; ergò perfectio quæcumque creata potest à Deo augeri in infinitum, & sic anima rationalis, quæ virtualiter est in toto corpore indiuisibiliter potest augeri intensiuè, quamuis non possit augeri per productionem nouæ formæ, vt patet in aliis viuentibus, & sic Deus posset impedire, nè in nutritione hominis partes fluerent, sed solùm quòd fieret noua conuersio alimenti absque deperditione alicuius partis præcedentis; nè in infinitum fieret accretio, eò quia semper augeretur vis digestiua, attractiua alimenti, & conuersiua in proprias partes corporis.

Confirmatur. Si Deus potest augere virtutem animæ sensitiuæ per productionem nouæ partis formæ, etiam potest augere virtutem animæ rationalis per productionem noui gradus perfectionis, & sic vel in gradibus perfectionis erit status, vel non; si sic, ergò non potest dari infinitum syncategorematicum in qualitatibus,, & perfectionibus, & sic non viuentia homogenea habebunt terminum suæ magnitudinis, etiam in ordine ad potentiam Dei, quòd est contra ipsos; si non, ergò perfectio animæ rationalis, sicut, & quælibet perfectio potest augeri in infinitum, ergò viuens anima rationali non habebit terminum suæ magnitudinis, quòd ipsi negant.

Confut. 3. ad homin. Tertiò probo quòd viuentia habent terminum paruitatis: Ideò secundum Scotum, & ipsos ibi num. 110. homogenea non habent terminum paruitatis, quia sunt diuisibilia in partes eiusdem rationis, & per se existentes, sed viuentia, & etherogenea non sunt diuisibilia in] partes eiusdem rationis, & per se existentes, alitèr non essent etherogenea, ergò habent terminum suæ paruitatis: Immò dicunt ipsi nu. 110. quòd propter hanc rationem animalia sibi determinant

mini-

minimum.

Si respondent quòd illa ratio valet de facto, & naturaliter, non autem de potentia Dei. Contra, si viuentia naturaliter habent terminum paruitatis, quia non sunt diuisibilia in partes eiusdem rationis, & per se existentes, ergò supernaturaliter sibi determinant terminum paruitatis, quia supernaturaliter non possunt diuidi in partes eiusdem rationis cùm non possit Deus facere etherogeneum esse homogeneum. *Tacita responsio cõfutatur.*

Si respondeant quòd propter aliam rationem non datur minimum in viuentibus in ordine ad potentiam Dei, nempè quia potest Deus minorare hoc corpus in infinitum, & sic Deus potest facere, quòd anima informet illud corpus minoratum in infinitum. *Tacita respõsio confutatur.*

Contra, si Deus potest facere quòd hæc anima informet hoc corpus minoratum in infinitum; ergò potest facere, quòd hæc anima rationalis habeat virtutem infinitam: Consequens est falsum, quia nõ potest dari Creatura infinita, ergò & Antecedens; Cõsequentia probatur, quia tunc anima rationalis posset esse in minori, & minori loco in infinitum per propriam virtutem, ergò haberet virtutem infinitam: Hoc pat. vt dictum est ex doctore Sco 2. d. 2 q. 6. vbi habet, quòd argueretur virtus infinita in Angelo, si ipsa posset esse continuè in minori, & minori loco in infinitum, sed anima rationalis est in loco virtualiter, & per quantitatem virtualem, sicut Angelus; ergò si posset esse in minori, & minori loco in infinitum haberet virtutem infinitam, & sic si Deus minoraret hoc corpus humanum in infinitum, anima per eius virtutem informaret minus, & minus corpus in infinitum, & esset continuè in minori, & minori loco in infinitum.

Sententia Auctoris. Cap. Secundum.

Viuentia, & continua etherogenea omnia habent terminum magnitudinis, & paruitatis non solùm naturaliter, sed etiam in ordine ad potentiam Dei, adhærendo rationibus Scotizantium.

Colligitur ex Scoto omnibus in locis, in quibus habet creaturam non habere virtutem infinitam.

Dignoscitur falsum fundamentum Scotizantium.

PRo cuius declaratione. Notatur primò, has propositiones de minimo, & maximo habere difficultatem, eò quia falsa fundamenta supponuntur, & hanc conclusionem posui supposita intellectione malè Scotizantium: Volunt enim Pseudoscotistæ viuentia non habere terminum paruitatis, quia anima, quæ informat corpus tantæ quantitatis, possit illud corpus informare, si minoretur in infinitum, & non habent terminum magnitudinis, quia virtus informatiua animæ potest augeri in infinitum, licet hoc negent de virtute informatiua animæ rationalis, de qua minus videretur impossibile. Hoc supposito determinaui contra ipsos omnia viuentia habere terminum magnitudinis, & paruitatis per rationes factas in primo capite: tamen absolutè loquendo, licet viuentia habeant terminum magnitudinis, non tamen terminum paruitatis, sed propter aliam rationem:

Vnde secundó Not. quòd viuentia de facto, & de possibili in ordine ad agens naturale habent terminum magnitudinis, & paruitatis, quia de facto datur viuens, quòd excedit omnia viuentia, licet ipsum non cognoscamus, & non potest naturaliter produci maius viuens in infinitum, quia omne permanens habet ex sui natura terminum, vt dicetur in disputatione de infinito, & quia agens naturale non habet potentiam infinitam, sed determinatam, & limitatam: Et de

facto

facto minus viuens datur, nec naturaliter potest dari minus in infinitum, quia naturaliter non conseruaretur, nec posset resistere corrumpenti; Sed de possibili habent viuentia terminum magnitudinis, non solum quià non habent virtutem propriam augumentatiuam in infinitum, sed quia datur terminus in permanentibus, vt dictum est: Non habent verò terminum paruitatis, non quia vt falsi Scotistæ dicunt, anima possit informare minus, & minus corpus in infinitum, sed quia Deus potest producere minus, & minus corpus in infinitum, & producere aliam, & aliam animam in infinitum, quæ ex sui natura petat minorem quantitatem in infinitum, vt Deus potest creare corpus bipalmare, & in illo creare animam, potest producere corpus palmare, & in illo infundere aliam animam, deinde semipalmare, & alia minora corpora in infinitum, & sic creare alias, & alias animas in infinitum, quæ informent illa corpora; Non enim repugnat corpori etherogeneo esse in minima quantitate, cùm quælibet minima quantitas constet suo modo ex infinitis partibus; His not.

Viuentia non habēt terminum paruitatis, & per quā rationem.

Probatur Conclusio, sicut in primo capite, quia eius probatio est singularis. Repugnat viuentibus habere virtutem infinitam etiam in ordine ad omnipotentiam Dei, ergò repugnat etiam in ordine ad omnipotentiam Dei augeri, & minui in infinitum propria virtute; Antecedens patet, quia soli Deo conuenit virtus infinita; Consequentia probatur, quia si anima posset informare maius, & maius, minus, & minus corpus in infinitum, posset ex sua virtute esse in maiori, & maiori, in minori, & minori loco in infinitum, & sic haberet virtutem infinitam, ex operatione enim in infinitum vbi maior virtus requiritur, arguitur virtus infinita: Vnde Scot.2.d.2.q.6.sup.K.negat Angelum posse esse in maiori, & minori loco in infinitum, quia cum sit in loco propria virtute, haberet virtutem infinitam.

Contra Arguunt Primo Mel. & Cat. ibi num, 110. Nulla

forma ex se potest quamcumque materiam informare, sed limitata est ad materiam proportionatam, nisi virtus eius informatiua augeatur: Sed in anima diuisibili potest augeri hæc virtus; ergò anima diuisibilis poterit in infinitum informare materiam quamcumque magnam in infinitum: ergò viuentia impefecta non habent terminum suæ magnitudinis, minor patet, quia anima diuisibilis potest augeri per nouas partes; quibus potest per nouas partes materiæ informare.

Respondeo quòd maior est vera, nisi virtus animæ augeatur in infinitum. Ad minorem concedo quòd virtus animæ diuisibilis potest augeri per nouas partes, sed non in infinitum, quia quodcumque permanens, vt dicetur disp. de infinito habet ex sui natura terminum magnitudinis, vt sibi repugnet illam excedere etiam in ordine ad omnipotentiam Dei; Et si permanens non haberet terminum suæ magnitudinis, tunc virtus animæ indiuisibilis, & rationalis posset augeri in infinitum, licet anima ipsa non posset augeri per nouas partes aduenientes, quia est indiuisibilis, & sic posset per eius virtutem informare corpus quantumcumque magnum in infinitum, quòd isti Doctores negant.

Secundò probant omnia viuentia indifferenter non habere terminum paruitatis, quia corpora homogenea sunt in infinitum diuisibilia, ergò etiam etherogenea possunt in infinitum minui, ergò anima quæcumque poterit illud corpus minoratum in infinitum informare; probatur Consequentia, quia cum de ratione animæ sit partes corporis dissimilares informare, non videtur essentialiter à quantitate, & magnitudine illarum dependere.

Retorquetur argumentum Meld. & Cat.

Retorqueo Argumentum. Sed de ratione animæ rationalis est partes dissimilares informare, & per consequens non dependet essentialiter à quantitate, & magnitudine illarum partium; ergò poterit partes dissimilares quantumcumque augumentatas in infinitum informare.

Nec

Nec valet respondere, quod diuersa est ratio de maiori, & minori corpore, quia tàm virtus infinita requiritur in informatione corporis augumentati in infinitum, quàm in informatione corporis minorati in infinitum, sicut eadem virtus infinita requiritur ad essendum in loco quantumcumque magno, & quantumcumque paruo ex Scot. 2. d. 2. q. 6. supra K. quod dictum reputant falsum Meld. & Cat. & contra Scotum arguunt tanquàm in hac re problematicum, sed obcecant non videntes Scotum, qui assertiuè, & sine dubitatione hoc dicit, & rationes ipsorum, quæ nullius sunt momenti, suo loco soluentur; Vtique Sco. dubitatiuè procedit, quòd Angelus sit in puncto tanquam in loco, & sit in determinato loco sicuti corpus.

Ideò respondeo ad argumentum concedendo primam Consequentiam, scilicet quod corpora possunt à Deo minui in infinitum, sed anima, quæ informat corpus tantæ quantitatis, nó posset informare, si illud minoraretur in infinitum, quia tunc anima haberet virtutem infinitam; Vtique potest dari alia, & alia anima, quæ possit aliud, & aliud corpus minimum in infinitum informare, & hoc modo viuentia non habent terminum paruitatis, carent verò termino, tàm magnitudinis, quàm paruitatis, sic quod nec per potentiam Dei potest anima materiam in infinitum augumentatam, vel minoratam informare, quomodo intelligunt Aduersarij Scotistæ, quia sic anima haberet virtutem infinitam, quod repugnat, vt prius dictum est, & sic negatur vltima Consequentia, quia licet de ratione animæ sit partes dissimilares informare, & à magnitudine illarum non dependeat, tamen quia est virtutis limitatæ, non potest materiam in infinitum augumentatam, vel minoratam informare.

Tertiò, Corpus etherogeneum est diuisibile in infinitum in partes eiusdem rationis; ergò non habet minimum; Consequentia patet, Antecedens probatur, quia si etherogeneũ

non esset hoc modo diuisibile, non esset quantum, quia cui repugnat diuisibilitas in partes eiusdem rationis, quæ diuisibilitas necessariò consequitur quantitatem, ei repugnat quantitas ex Sco. 2. d.2. q.9. D.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem Respondent Meld. & Cat. quod Sco. loquitur de diuisiblitate in partes in quas etherogeneum, vt tale, est diuisibile, quia habet partes: sed hoc est falsum, quia vt videre est, loquitur Scotus de diuisibilitate in partes eiusdem rationis, in quas etherogeneum, vt tale, non est diuisibile: Nec isti Doctores præbent vim argumento, vt possint respondere. Ideò respondeo, quòd etherogeneum, vt tale non est diuisibile in partes eiusdem rationis, aliter etherogeneum esset homogeneum, sed est hoc modo diuisibile secundum partes, quia constat ex partibus homogeneris, quæ sunt diuisibiles in partes eiusdem rationis. Vnde etherogeneo non repugnat quantitas, quia sibi non repugnat talis diuisibilitas in ordine ad partes, ex quibus constituitur: Et sic etherogeneum per rationem diuisibilitatis in partes eiusdem rationis habet minimum, quia de quacumque parte totius etherogenei non prædicatur totum, non enim quælibet pars hominis est homo, licet non habeat minimum ratione partium homogenearum ex quibus integratur.

Improbatur dictum Meld. & Cat.

Si dicas, ergò etherogeneum, vt tale non est quantum, quia vt sic non est diuisibile in partes eiusdem rationis.

Respondeo concedendo Consequentiam, quia etherogeneitas formaliter non dicit, nisi dissimilitudinem partium, quæ est relatio fundata in qualitate tanquam in fundamento proximo, non in quantitate, qualitas enim ex Aristotele in prædicamentis est secundum quam aliquid dicitur simile, vel dissimile, quæ qualitas etiam potest accipi pro formalitate, & quiditate rei, quæ essentialiter rem qualificat, sicut datur similitudo, & dissimilitudo essentialis, vt patet in partibus etherogeneis, manus enim essentialiter est dissi-

Doctrina notabilis.

mi-lis

milis à corde, & caput à pede; vtique illud, quod est etherogeneum est quantum, & ideò ratione conotati est diuisibile in partes eiusdem rationis, licet enim anima rationalis non sit diuisibilis, & viuens, vt tale non sit diuisibile, in partes eiusdem rationis, est tamen hoc modo diuisibile ratione corporis, quia quælibet pars corporis est corpus, & si non esset diuisibile ratione totius corporis, sufficit quod sit hoc modo diuisibile ratione partium homogenearum, ex quibus corpus etherogeneum constat; quod enim competit toti per partem, competit ei simpliciter, licet secundum aliam partem hoc sibi non conueniat; sicut videre natum est prçcisè competere animali secundum oculos, & non secundum manus, tamen videre simpliciter competit animali, ità Sco. 2. d. 2. q. 9. D. sic diuisibilitas in partes eiusdem rationis non competit viuenti per animam, quia anima requirit partes diuersæ rationis ad exercendas varias operationes, competit tamen sibi diuisibilitas in partes eiusdem rationis ratione materiæ, & corporis, quatenus quantum est, & ideò viuens potest dici simpliciter diuisibile in partes eiusdem rationis, cui diuisibilitati non repugnat anima, vita, & etherogeneitas, idest anima, vita, & etherogeneitas possunt stare in corpore etherogeneo, & viuente cum diuisibilitate in partes eiusdem rationis, quæ diuisibilitas competit sibi ratione partium, scilicet ratione corporis pro altera parte compositi, vel ratione partium homogenearum ex quibus tale corpus constituitur; Et hoc est quòd vult dicere Scotus, quòd illi repugnat quantitas, cui repugnat diuisibilitas, non solùm in partes, vt dicunt Meld. & Cat. sed in partes eiusdem rationis, modo si etherogeneo omninò repugnaret diuisibilitas in partes eiusdem rationis, ei repugnaret quantitas, & ideò cum sit quantum est etiam hoc modo diuisibile ratione partium homogenearum ex quibus constituitur. *Improbatur dictũ Meld. & Cat.*

Quartò, Deus potest conseruare formam naturalem, & corpus naturale in puncto: ergò potest minorare corpus viuens

uiens in infinitum, ergò viuentia non habent terminum paruitatis.

Respondeo concedendo, quòd Deus potest conseruare corpus in puncto, & illud minorare in infinitum, sed non potest facere, quòd anima quæ informat illud corpus in sua determinata quantitate, possit illud informare, si minoretur in infinitum, quia tunc anima esset virtutis infinitæ, vt sæpè dictum est, & hoc modo viuentia habent terminum magnitudinis, & paruitatis, non habent verò terminum paruitatis absolutè per rationem assignatam in 2. Not. Hæc de Continuo.



Disputatio Secunda de Infinito.

CONCLVSIO PRIMA.

Infinitum Categorematicum, & Syncategorematicum non differunt secundum multitudinem, & magnitudinem, sed tantum in modo essendi in actu, & in potentia.

Est Sco. quol. 5. a. p. A. & p. d. 2. q. 2. Z. §. ostenso proposito.

Opinio Aliorum. Capu Primum.

MEld. & Cat. disp. x. q. p. a. p. §. Adhuc tamen dicendũ est num. 4. sustinent infinitum Categorematicum, & Syncategorematicum differre non solùm in modo essendi in actu, & in potentia, sed etiam in extensione ipsa siuè continua, siuè discreta, ità quod si omnes partes infiniti syncategorematici simul ponerentur actu, adhuc multitudo illa, & magnitudo dici deberet syncategorematicè infinita, & non categorematicè, quia posset semper augeri, & esse maior: Et sustinent cum Cauello Scotum in hac re problematicum esse, quia varius fuit in hac materia, & nunquã sed determinauit, cùm aliud dixerit in locis in principio citatis, & aliud in Met. 2. q. 2. §. ad Rationes. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed isti Doctores sæpè Sco. faciunt problematicum, ~~vt ab alijs transcribant citiùs fundamenta, rationes, & articulos integros: laborauerunt trascribere, sed non doctrinam Scoti docere.~~ Nõ soluunt rationes Sco. locis ab ipsis, & à me in principio citatis; Præterquam quod maioris est auctoritatis doctrina Scoti in lib. Sent. & in quoli. quam in Met. quæ ab aliquibus non censetur Scoti, licet Scot. Metaphysi- *Infideliter repræhenduntur Aduersarij.*

physicam composuerit, sed non inuenitur nisi ex correptis scriptis recolecta, vt decet ad Auctores Sco. in met. cap 2.

Præterea dicere Scotum varium fuisse in lib. Sent. & in met. est dicere Scotum esse inconstantem, quando non loquitur sub dubio, sed assertiuè; & nunquam Sco. problematice loquitur, nisi tradat fundamenta, & rationes ad vtramque partem, vel saltem loquatur sub dubio sic loquendo; *dici potest: contrarium sustineri potest.* Videant modò Scotistæ qualiter isti quærant doctrinam Scoti vilipendere; quando Scotus aliquid assertiuè loquitur multoties, & contrarium alibi videtur asserere, debent Scotistæ exponere doctrinam, & non reddere illam infimam, & inconstantem: Imbecillitatis est propter aliquam apparentem difficultatem recedere à veritate, & à Doctrina Magistri.

Confut. 1. Contra istam opinionem arguitur Primo illud est infinitum categorematicum, cui non potest fieri additio; sed si omnia possibilia essent in actu, tunc illis non posset fieri additio, quia Daus non posset producere aliud, cùm omnia possibilia supponantur producta; ergò infinitum syncategorematicum erit categorematicum, ergò hæc duo genera infinitorum non differunt nisi in modo essendi, scilicet in actu, & in potentia.

Resp. Mel. & Cat. Respondent in fine huius art. §. Ad quartum quod tunc repugnantia additionis non oriretur ex ratione intrinseca multitudinis, sed ab extrinseco ex impossibilitate aliarum rerum possibilium.

Contradictio Meld. & Cat. Sed isti sibi contradicunt, quia declarando diffinitionem vtriusque infiniti num. 2. & 3. dicunt cum Scot. infinitum categorematicum esse id, cuius nihil est extrà: Vnde tale infinitum esset totum, & perfectum, & reddunt rationem, quia tanta esset illa infinita quantitas in actu, quanta in potentia, & tunc nihil posset sibi addi ratione quantitatis, ergò ab intrinseco secundum istos Doctores posita omni quantitate possibili in actu, non posset ab intrinseco sibi fieri additio,

tio, quia tanta esset in actu, quanta in potentia: ergò infinitum in potentia si totum esset actu, esset infinitum actu, & Categorematicum; sustinent isti Doctores diffinitiones Sco. vtriusque infiniti ex quibus asserunt in fine huius n. 4. hæc genera infinitorum differre tantum in modo essendi in actu, & in potentia,& posteà asserunt contra Sco.nō differre hoc modo,sed differre etiā in magnitudine,& multitudine;si volunt inferre hanc conclusionem, quare adducunt principium Scoticum, ex quo opposita conclusio deducitur? assignent igitur difinitionem infiniti Categorematici, in doctrina Sco.ex qua deducatur eorum conclusio,non assignabunt. Si dicant quòd assignata est n.4.cum Sco.in Met.loco ab ipsis citato, quòd infinita in actu tot sunt actu, quòd non possunt esse plura; Hæc definitio est eadem cum assignata à Sco.quol.5.A.& sic si omnia possibilia essent actu, tot essent, quòd non possent esse plura, quia omnia possibilia supponuntur esse actu.

Præterea arguo secundò principaliter. Infinitum syncategorematicum est illud, quod caret fine extrinseco, idest potest augeri in infinitum; Categorematicum verò est, quòd caret fine intrinseco, idest est quo non potest esse maius, ità habent in principio disp. sed si magnitudo possibilis in infinitum poneretur actu, tunc careret fine intrinseco, quia nulla maior posset dari, cùm supponatur omne possibile in actu, ergò infinitum in potentia, si poneretur actu,esset infinitum categorematicum. *Confut. 2. ad hominem.*

Et hoc magis corroboratur, quia Meld. & Cat.loco citato dicunt, quòd ista duo genera infinitorum solùm constituuntur per carentiam finis intrinsecam, & extrinsecam; ergò solùm per hanc carentiam differunt, & distinguuntur, quia res solùm differunt, & distinguuntur formaliter, per quæ formaliter constituuntur, sed carentia finis extrinseca est infinitas in potentia, & carentia finis intrinseca est infinitas in actu, vt isti asserunt loco citato; ergò infinitum

Categorematicum, & syncategorematicum solùm differunt in modo essendi in actu, & in potentia.

Confut. 3. Tertiò arguo principaliter. Si magnitudo, & multitudo infinita in potentia poneretur actu, & sibi posset fieri additio, vel sibi posset addi magnitudo possibilis, vel impossibilis: Non posset addi magnitudo impossibilis, quia tunc nihil sibi adderetur, quia impossibile est nihil: Nec possibilis, cum quelibet possibilis supponatur actu; ergò multitudo, & magnitudo infinita io potentia, si poneretur in actu, esset actu infinita, & categorematicè: ergò infinitum categorematicum, & syncategorematicum non differunt, nisi in modo essendi in actu, & in potentia.

Quartò. Infinitum in actu, & Categorematicum, si poneretur à Deo, esset omninò idem re, quod fuisset in potentia, aliter illud, quòd poneretur actu, fuisset impossibile, quòd repugnat; sed hoc idem vt in potentia esset infinitum syncategorematicum etiam in doctrina Aduersariorum: & vt in actu esset infinitum categorematicum, ex suppositione: ergò hæc duo genera Infinitorum solùm differunt in modo essendi in potentia, & non in extensione, vel intensione. Non pono hic Auctoritates Scoti in quol. 5. A. & in p.d.2.q.2.z.§.ostenso proposito &c. quia isti Scotistæ, vt more solito citiùs se expedirent, dicerent Scotum fuisse problematicum, licet pro parte ipsorum in libris Sentent. & in quolib. nullum tradiderit fundamentum, sed tantum pro parte mea, videte probationem meæ conclusionis.



Sen-

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Infinitum Categorematicum, & Syncategorematicum non differunt secundum multitudinem, & magnitudinem, sed tantum in modo essendi in actu, & in potentia

Est Scot. quol. 5. art. p. A & p. d. 2. q. 2. z. §. ostenso proposito.

PRO cuius declaratione Not. Primò quòd Infinitum Aliud est extrà genus, vt Deus; Aliud in genere, & est triplex. s. Negatiuum, quod non habet terminum, nec est aptum natum habere terminum, quia eius natura non est capax terminationis, & hoc modo punctus dicitur infinitus, quia non habet terminum, nec est capax alicuius termini; *Infinitum multiplex.*

Aliud est infinitum priuatiuum, & est illud, quod non habet terminum aptum est tamen habere, vt si esset linea sinè punctis terminātibus ipsam, ipsa esset infinita priuatiuè, quia careret terminis, quos esset apta nata habere. aliud est infinitum positiuum, & est illud quod in intensione, vel extensione, vel in multitudine excedit quodcumque, vel atualiter, vel potentialiter.

Secundò Notatur quòd infinitum positiuum solum quantitati competit; quantitas autem est triplex, scilicet quantitas molis multitudinis, & virtutis; Quantitas molis est illa secundum quam aliquid extenditur secundum tres dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Quantitas multitudinis est illa, quæ plures vnitates continet, vt numerus; Quantitas virtutis est quantitas perfectionalis, de qua habet Aug. 6. de Trinit. cap. 8: In his, quæ mole magna non sunt, idem est maius quod melius; & secundum hanc triplicem quantitatē triplex est infinitas, scilicet Infinitas extensionis, numeralis, & intensionis; In proposito est sermo *Quantitas multiplex secundum quam datur multiplex infinitas.*

in præſenti de quacumque infinitate.

Quid ſit infinitũ Cat. & ſyncat.

3. Not. quòd infinitũ quodcunq; eſt duplex, ſcilicet Infinitum ſyncategorematicum; in potentia, & ſecundum quid, & Infinitum categorematicum, in actu, & ſimpliciter; Infitum ſyncategorematicum, in potentia, & ſecundum quid, ſecundum Ariſtotelem 3. phys. t. 63. eſt cuius quantitatem accipientibus ſemper remanet aliquid accipere; Et ratio eſt, inquit Sco. quol. 5. A. quia infinitum in quantitate non poteſt habere eſſe, niſi in potentia, accipiendo ſemper alterũ poſt alterũ; & ideò quantumcumque accipiatur, ſemper eſt finitum, & quædam pars totius infiniti potentialis, & ideo reſtat aliquid alterum ipſius infiniti accipiendum; Ex quo concludit Ariſtoteles; quod ſicuti infinitũ habet eſſe in fieri, & in potentia, ità non habet rationem totius, quia totum eſt id, cuius nihil eſt extra, ſed extra infinitum in potentia, ideſt extra illud, quòd habet talem infinitatem ſyncategorematicam, ſemper eſt aliquid accipiendum. Nec habet rationem perfecti, quia perfectum eſt, cui nihil perfectionis deeſt, ſed tali infinito ſemper aliquid deeſt, quia ipſi ſemper poteſt fieri additio: Et tale infinitum ſyncategorematicum non dicitur in potentia, quia poſſit eſſe actu, vt inquit Aritoteles 3. phys. t. 57. & inde, ſicut ſtatua, quæ eſt poſſibilis, poteſt eſſe actu, ſed dicitur in potentia, quia conſiſtit in continuo fieri; Et ſic tale infinitum dicitur eſſe actu, ſicut dies, quia ſemper aliquid fit, & eſt aliqua quantitas actu, dicitur verò in potentia, quatenus ſemper poteſt fieri ſibi additio in infinitum; Ex hoc poſſumus commutare rationem Infiniti in potentia in rationem infiniti in actu hoc pacto; Nam ſi imaginaremur omnes partes acceptibiles eſſe ſimul acceptas, & ſimul remanere, haberemus infinitam quantitatem in actu, & ratio eſt, inquit Scot. quia tanta eſſet in actu, quanta eſſet in potentia; Et ſic omnes illæ partes, quæ in infinita ſucceſſione eſſent reductæ ad actum, illæ ad actum reductæ eſſent infinitæ in actu, & categorematicè

rego-

tegorematice. Et istud infinitum verè esset totum, quia nihil sui esset extrà, & esset perfectum, quia nihil sibi deesset, & sic in infinitum Categorematicum est cui non potest fieri additio: Ex quibus pat. Scot. apertè asserere infinitum in potentia, & in actu non differre in extensione, & quantitate, sed tamen in modo essendi, quia illud idem, quod est infinitum in potentia posset esse infinitum in actu, si totum id, quod est in potentia posset actu simul existere.

Infinitus est modus intrinsecus entis, & quæ infinitas.

4. Not. est ex Sco. p. d. 3. q. 2. E. quod Infinitas non est passio entis, sed modus intrinsecus rei, ita quod, cum dico ens infinitum, non habeo conceptum ex passione, & subiecto, sed conceptum per se subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet infinitatis; sicut albedo intensa non dicit conceptum per accidens, sicut albedo visibilis: Immò Intensio dicit gradum intrinsecum albedinis in se; Et non intelligitur Scot. quod iste gradus infinitatis sit de ratione intrinseca rei, idest de quidditate, quia modus intrinsecus est ille, qui additur quidditati rei, & non variat ipsam rem, sed quia est intrinsecus rei, vt intrinsecum distinguitur contra omne accidens siuè proprium, siuè commune, quia modus intrinsecus nec est quidditas, nec accidens rei, sed tantùm modus intrinsecus rei; Ideò conceptus entis infiniti, & rei cum suo modo intrinseco est simplicior, quam sit conceptus entis cum sua passione, quia passio facit cum suo subiecto conceptum per accidens; modus autem intrinsecus facit cum re conceptum per se subiecti in tali gradu intrinseco ex Sco. loco cit. Et Infinitas quæ est modus intrinsecus rei est infinitas in actu, non autem in potentia, quia infinitas in potentia est modus omninò extrinsecus ei, quod dicitur infinitum in potentia, cùm modus infiniti in potentia intrinsecus sit finitas, quia tale infinitum non est nisi ens finitum: His not.

Probatur Conclusio ex Scot. p. d. 2. q. 2. z. §. ostenso proposito &c. quæcumque sunt infinita in potentia, ità quod acci-

accipiendo alterum post alterum, nullum possunt habere finem, illa omnia, si sunt simul in actu, sunt infinita actu, & categorematicè, sed possibilia sunt infinita in potentia, ità quod accipiendo alterum post alterum nullum possunt habere finem; ergò si omnia possibilia simul ponerentur actu essent infinita actu, & categorematicè; maiorem probat Sco quam dicit esse satis euidentem; nàm omnia talia acceptibilia quando sunt simul existentia, aut sunt actu finita, aut sunt actu infinita, si actu finita; ergò accipiendo alterum, post alterum, tandem possunt omnia esse accepta actu, & ratio huius dicti Scotici esse potest, quia Deus potest omne finitum producere actu, cùm finito non repugnet esse, ergò si non possunt omnia esse actu accepta, si actu simul sunt, sunt actu infinita.

Ratio efficacissima Scoti contrà Pseudo scotistas.

Contra Arg. Primò. Meld. & Cat. auctoritate Scot. 2. Met. q. 6. §. ad Rationes, vbi in solutione argumenti de animabus hominum posita generatione perpetua, quò probatur Infinitum in actu, ait, quòd si omnes animæ humanæ, quæ fuerunt posita generatione humana perpetua à parte ante, siue si omnes partes magnitudinis in potentia essent, quòd non essent infinitæ actu, coniungendo infinitatem cum actu. Vnde fortè posset concedi, quòd actu esent infinitæ in potentia, accipiendo vnam animam post aliam, quia aliter non competebat eis infinitas, sed non essent infinitæ actu, quia non essent tot, quin plures possint esse; infinita in actu tot sunt, quòd non posunt plura compossibilia esse; hæc Scot.

Ad has omnes auctoritates Scot. in Metaphysica posem primò Respondere, & rectè: quod licet Scot. fecerit Metaphysicam in tex. & quæstionibus, tamen illa non inuenitur pura, & incorrupta; Vnde Ant. Adreas recollegit scripta Sco. supra Metaphysicam Aristotelis, & ordinauit, immò ex vnico originali aliàs impresso, & penitùs corrupto emendauit, atque instaurauit, vt patebit legenti finem lib.

12. sup.

12.sup.tex. Aristotelis, & per consequens non est Metaphysicæ sub nomine Sco. adhibenda fides, nec est relinquenda doctrina Scoti in lib. Sent. & quoli. vt adhereamus, sicut facit Meld. & Cat. doctrinæ corruptæ sub nomine Sco.

Tamen responderi potest, quòd Sco. ibi in Metaphysica loquitur de possibilibus posita tantùm generatione æterna, & à parte ante: Vnde si omnes animæ, quæ fuerunt, simul essent, essent tantùm infinitæ in potentia, & à parte ante: quia nunquam esset deuenire ad primam, sed non essent infinitæ in actu simpliciter, quia non omnis anima simpliciter possibilis fuisset posita generatione æterna, quia aliæ sunt possibiles in infinitum, & hac ratione Sco. dicit ibi in Metaphysica, quòd fortè sunt infinitæ in potentia, loquitur dubitatiuè de eius infinitate in potentia; Vndè positis in actu omnibus animabus, & omni magnitudine producta ab æterno, posita generatione æterna, tunc illæ animæ, & illa magnitudo non essent infinita actu, quia non essent tot animæ, quin plures, & tanta magnitudo, quin maior; Et hoc concordat cum vera doctrina Sco.2. d. p. q. 3. I. vbi habet, quòd posito infinito tempore præterito, non potuisset Deus infinitas animas producere, sicut non potest in vno die in quo sunt infinita instantia, eò quia ex parte infiniti repugnat, sed posita actu omni multitudine, & magnitudine in infinitum possibili, tunc illa multitudo, & magnitudo esset infinita actu, quia tanta esset, vt ipsa nulla posset esse maior, nam ipsis non potest fieri additio, quòd est de ratione Infiniti Categorematici; Et nè ista doctrina sub nomine Scoti in Metaphysica repugnet dictis Sco. in lib. Senten. & in quol. Veri Scotistæ debent declarare Scotum, ~~& non facere Scotum varium, & inconstantem.~~

Secundò Præscindendo ab omni actualitate, & potentialitate obiectiua, adhuc hæc duo genera infinitorum inter se differunt: ergò non solùm differunt in modo essendi potentiali, vel actuali: Probatur assumptum, quia vt docet

Sco.

Sco. loco cit. in Metaphysica ratio infinitatis syncategorematicæ est, quòd eius partes non sint tot, quin plures possint esse, ratio verò infinitatis categorematicæ est, quòd eius partes tot sint, quòd nequeant esse plures: sed hæ rationes, quæ sunt contradictoriæ oriuntur ex natura illarum multitudinum, & non tantùm ex modo essendi ipsarum potentiali, vel actuali; ergò præciso tali modo, adhuc differrent, nec vna infinitas euaderet alia, minor patet, quia res ad extrà possibiles sunt infinitæ syncategorematicè, & adhuc eandem retinent infinitatem, quamuis actu, & simul existant in intellectu diuino in esse obiectiuo: ergò eodem quoque modo se haberent quò ad infinitatem, si ad extrà per impossibile simul omnes producerentur.

Respondeo negando assumptum; Ad probationem: Dico ad maiorem, quòd ratio infinitatis syncategorematicæ est, quòd eius partes non sint tot actu, quin possint esse plures in infinitum, sed sunt tot in potentia, quòd non possunt esse plures, aliter non essent infinitæ in potentia. Item ratio infinitatis categorematicæ est quòd sint tot actu, quòd non possunt esse plures actu: Minor negatur, quia istæ rationes contradictoriæ proueniunt tantùm ex modo essendi in potentia, & non ex natura multitudinum, quia cùm eadem multitudo, quæ esset actu infinita non possit esse, nisi eadem multitudo, quæ fuerit in potentia ex natura eiusdem prouenirent rationes contradictoriæ, quòd est impossibile aliter idem sibi ipsi contradicere, & cum probatur minor, quia res possibiles infinitæ retinent eandem infinitatem syncategorematicam, quamuis actu, & simul existant in intellectu diuino: hoc est falsum, & contra Scotum multis in locis, vt dicetur in propria conclusione, quæ erit vltima huius disputationis.

Tertiò. Si omnia possibilia ponerentur actu, tunc illa multitudo actualis possibilium non esset suprema, ergò non esset infinitum categorematicum, de cuius ratione est quòd eius

eius extensio sit tanta, quòd non possit esse maior; Antecedens patet, quia sic Deus posset creare Creaturam infinitè perfectam, & in diuisione continui posset deueniri ad aliquam minimam partem, & indiuisibilem, & cętera huiusmodi, quæ repugnaret, ergò repugnat Infinitum syncategorematicum, & in potentia esse infinitum in actu, & categorematicum.

Respondeo negando antecedens, quia possibili posito in esse actuali nulla posset fieri additio: Et cùm prior quòd non, quia Deus posset facere impossibilia. Respondeo quòd dato vno impossibili, non est inconueniens aliud impossibile concedere, & sic posito in actu omni possibili in infinitum, poneretur hoc aliud impossibile, scilicet infinitum categorematicum, & in actu in Creaturis.

Contrà ex hyppotesi impossibili non sequitur per locum intrinsecum impossibile quodcumque, sed illud tantum, quod habet connexionem cum tali hyppotesi, vt V. G. ex eo quòd lapis est animal, sequitur propriè ipsum esse sensibilem, non tamen sequitur ipsum esse incorporeum: ergò in proposito ex eo quòd infinitum syncategorematicum est, sequitur esse simul ea, quæ non sunt compossibilia, non autem sequitur maior pluralitas, quia multitudo variari non potest, nisi varietur principium multitudinis, quòd est differentia specifica, vel indiuidualis: sed existentia à parte rei, non est tale principium cùm supponat rem, cui aduenit determinatam in specie, & in indiuiduo, vt docet Doctor in 2.d.3.q.4.& quando etiam esset tale principium, cùm non sit diuersa in esse actuali, & potentiali, si in esse possibili non facit multitudinem infinitam categorematicè, nec in esse actuali.

Respondeo concedendo, quòd si possibile in infinitum poneretur actu, tunc non sequeretur pluralitas maior, vt ipsi probant, & confirmatur, quia agens extrahens actum non largitur multitudinem, sed perfectionem tantum:

P Non

Non tamen ex hoc sequitur, quòd si possibile in infinitum non facit multitudinem categorematicam, nec etiam in esse actuali, quia non dicit Sco. quòd ideò si possibile in infinitum, & infinitum syncategorematicum poneretur in actu, tunc esset infinitum in actu, & categorematicum, quia acquireret maiorem multitudinem, & extensionem in actu, quam non habebat in potentia, hoc enim est falsum, quia nihil ponitur actu, nisi sit possibile, non enim multitudo, & magnitudo in actu, & in potentia differunt secundum extensionem, sed secundum modum extensionis, scilicet in potentia, & in actu, quia eadem, quæ est in actu, fuit in potentia. Vndè si Deus per impossibile crearet infinitam multitudinem, & magnitudinem; tunc hæc multitudo, & magnitudo actu, & categorematicè infinita non esset maior, quàm quæ fuerit in potentia, sed omninò eadem; ergò infinitum categorematicum fuisset syncategorematicum, & sic solùm ista duo genera infinitorum differunt in modo essendi, scilicet in actu, & in potentia, & infinitum categorematicum non est syncategorematicum, tamen vnum fieret aliud, si infinitum in potentia poneretur actu.

CONCLVSIO SECVNDA

Maius, & Minus non potest competere Infinito Categorematico nec Syncategorematico

Est Scoti 2. d. p. q. 3. K.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. X. q. p. num. 14. sustinent, quod maius, & minus competit Infinito Syncategorematico, non autem Categorematico.

Sed hæc opinio sustineri non potest, maximè in doctrina Scoti, & arguo sic. Maius, & Minus sunt differentiæ quantitatis,

titatis finitæ, non Infinitæ ex Scoto 2. d. p. q. 3. K. ergò maius, & minus nulli infinito poteſt conuenire.

Si Reſpondeant a d Antecedens ex Sco. quòd ipſe intelligit de quantitate Infinita in actu, & categorematicè, non autem in potentia, & ſyncategorematicè, contradicunt Sco. loco citato I. vbi habet, quòd æqualem Infinitatem habent inſtantia vnius diei, & vnius horæ cum Infinitis inſtantibus Infinitorum dierum, ſed inſtantia horæ, & diei non ſunt Infinita Categorematicè, ſed ſyncategorematicè, aliter de facto daretur Infinitum Categorematicum, & in actu, ergò ſecundum Sco. Maius, & Minus ſunt differentiæ quantitatis finitæ, vt finitas opponitur, tàm Infinito Categorematico; quàm ſyncategorematico. *Tacita reſponſio cõfutatur efficaciſſimè cum Scot.*

Præterea ſibi contradicunt [redacted]. Nam in hoc articulo nu. 10. dicunt Infinitum non poſse menſurari, & vnum Infinitum non poſse alteri dici æquale poſitiuè, & per commenſurationem, ſed tantum per negationem exceſsus, & dicunt hoc valere tàm de Infinito Categorematico, quàm Syncategorematico. Tunc ſic. Si Infinitum Syncategorematicum non poteſt excedi, ergò vnum Infinitum Syncategorematicum non eſt maius altero, quia tunc illud excederetur. *Contradictio Meld. & Cat.*

Præterea retorqueo argumenta, quæ ipſi faciunt ad oſtēdendum quòd vnum Infinitum Categorematicum non poteſt eſſe maius alio, dicunt enim, quòd in quantitate continua illa dicitur extenſio infinita, quæ vlterius, & vlterius protenditur ſine termino, ergò repugnat dari lineam Infinitam, quæ non extendatur ſicut altera, nam finiretur ibi, vbi ab alia incipit excedi, & eſſet tanta, & non maior. Tunc ſic arguo. In quantitate continua illa dicitur extenſio infinita in potentia, & ſyncategorematicè, quæ vlterius, & vlterius protenditur in potentia ſine termino, ergò repugnat dari lineam infinitam in potentia, quæ non extendatur in potentia ſicut altera, nàm finiretur ibi, vbi ab alia incipit excedi, *Retorquetur Reſp. Meld. & Cat.*

& esset tanta, & non maior, & per consequens poterit finiri.

Deinde arguunt de quantitate discreta hoc modo. Si vnus numerus est alio minor, ergò hic non est tantus quantus est ille, nec tot vnitates includit, quot ille, ergò erit tantus, & non maior tot vnitates habebit, & non plures, ergò finitas, & non infinitas in potentia.

Retorquetur ratio Meld. & Cat. Retorqueo argumentum: Si vnus numerus est alio minor, ergò non est tantus, quantus ille, ergò erit tantus in potentia, & non maior, ergò tot vnitates habebit in potentia, & non plures, ergò finitas, & non infinitas, in potentia.

Si Respondeant cum Amico ab ipsis citato Tract. 18. q. 3. dub. 5. conclusione 8. quòd illæ rationes concludunt de Infinito Categorematico non Syncategorematico ex diuerso modo essendi istorum Infinitorum, nam Infinitum Syncategorematicum quia est potentiale potest semper augeri, & quia non intrinsecè attingit infinitatem, sed extrinsecè tantum, ideò potest magis, & minus ad infinitatem accedere.

Hæc Responsio nihil valet, & sibi contradicunt. Nam excessus secundum ipsos ibi num. 17. in Calce infert terminationem finem, & vltimum in re excessa, sed infinito in potentia nullo modo potest assignari terminus finis, & vltimum eius, quia vt inquit Sco. p. d. 2. q. 2. Z infinitum in potentia nullum habet finem, aliter de facto posset simul accipi, ergò infinitum in potentia non potest excedi, ergò non potest suscipere maius, & minus.

Dictum Meld. & Cat. improbatur. Secundò Principaliter dicunt in hoc articulo num. 15. vnum falsissimum contra Scotum, & veritatem, scilicet infinitatem in quantitate, supposito quòd detur infinita quantitas, non esset vna forma indiuisibilis, sed diuisibilis in quantitate, vt in subiecto, & extensa ad extensionem quantitatis continuæ, vel discretæ.

Hæc doctrina est omninò à Scotistis relinquenda, & pro-

probo, quòd infinitas si esset in quantitate non esset forma in quantitate, vt in subiecto. Nullus modus intrinsecus rei potest esse forma alicuius rei, sed infinitas si daretur esset modus intrinsecus quantitatis, ergò non potest esse forma quantitatis, & in quantitate vt in subiecto, minor patet, & conceditur ab istis Doctoribus, maior probatur, quia modus v.g. quantitatis, vel esset forma, quæ esset substantia, vel quantitas, vel qualitas, vel Relatio. Non substantia, quia substantia non potest esse in quantitate, sed potiùs è conuerso quantitas est in substantia, non Relatio, quia Relatio non extenditur ad extensionem quantitatis, sicut isti dicunt de Infinitate. Non qualitas, quia qualitas non potest esse modus intrinsecus quantitatis, esset enim quantitas intrinsecè qualis non quantitas, quia modus rei non est illa res, cuius est modus, sed est aliquod additum rei, vltra hoc quantitas esset in quantitate vt in subiecto, quòd est ridiculum, ergò erit aliquod indiuisibile: & modus quantitatis, & non forma in quantitate. Nec est inconueniens modum quantitatis, & rei extensæ esse indiuisibile, & inextensum, sicut extensio, quæ est modus naturalis quantitatis non est extensa, licet per eam quantitas denominetur extensa.

Præterea breuius. Nullus modus intrinsecus rei est in re tanquam in subiecto. quia quod subijcitur in aliquo est omninò extrinsecum rei. Sed Infinitas esset modus intrinsecus quantitatis, ergò nullo modo posset esset forma in quantitate.

Secundò, Si numerus non esset secundum alios nisi aggregatio plurium vnitatum infinitas eius non esset, nisi aggregatio plurium vnitatum ex ipsis loco cit. sed eadem aggregatio non potest esse in se ipsa tanquam forma in subiecto, ergò infinitas non potest esse in quantitate, vt in subiecto, ergò Infinitas quantitatis esset omninò ipsa quantitas, ergò infinitas non est modus quantitatis, quæ omninò implicant, nec debent audiri.

Ter-

Tertiò principaliter dicunt in hoc Art. num. 15. cit. quòd negatio finitatis, quæ est infinitas formaliter. Si poneretur in quantitate illa negatio esset extensa, & tota in toto, sed non tota in qualibet parte quantitatis, quia esset in subiecto diuisibili, & extenso.

Aliud dictum Mel. & Cat. improbatur. Sed hæc propositio nullam veritatem habet, & isti Doctores falso innituntur fundamento, non enim omne quod est in subiecto diuisibili, & extenso, illud est diuisibile, & extensum, quia relationes sunt in quantitate, & tamen nulla relatio potest dici diuisibilis, & extensa.

Præterea si negatio finitatis esset extensa, & diuisibilis, ergò haberet partes. Tunc quæro, vel illæ partes sunt eiusdē rationis, vel nō; si sic, ergò quælibet pars negationis finitatis esset infinitas, & sic pars negationis in numero denario, vel in linea palmari denominaret numerum denarium, & lineam palmarem actu infinitam, quòd est impossibile, sicut est impossibile finitum esse formaliter infinitum, si partes negationis finitatis sunt diuersæ rationis; ergò negatio finitatis esset compositum etherogeneum, quod est falsum, quia etherogeneitas etiam secundum ipsos tantum competit animatis propter diuersas animæ operationes, & sic negatio finitatis esset animata, quod est ridiculosissimum dicere. Multa conspiciuntur, sed quid sint non examinantur, & studiosi in fide scribentium allucinantur.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Maius, & Minus non possunt competere Infinito Categorematico nec Syncategorematico.

Est Sco. 2. d. p. q. 3. K.

Variæ proprietates infiniti. PRo cuius declaratione Notandum Primò, quòd Infinitatis multæ sunt proprietates. Prima quòd Infinitum non est cognoscibile, & hoc verum est de Infinito tàm Catego-

tego-

tegorematico, quàm Syncategorematico in ordine ad intellectum creatum, licet à Deo vtrunque cognoscatur, vt dicetur in vltima conclusione istius Disp. Cap. 2. Secundò, quòd non possit mensurari, & hoc verum est de quocunque infinito in ordine ad quemcumque intellectum, quia mensuram, & quantitatem ignotam per aliam magis notam cognoscere ex Sco. pluribus in locis dicetur Disp. de Mensura. Intellectus autem creatus cum nullum possit cognoscere infinitum, nullum Infinitum poterit mensurare, & quia respectu intellectus Diuini nullum Infinitum est ignotum, sed omne equè notum, non poterit Deus per vnum Infinitum, vel per vnam quantitatem deuenire in cognitionem alterius quantitatis ignotæ. Tertia, quòd Infinitum non potest pertransiri, idest, non potest perueniri ad vltimum Infiniti, nec possunt assignari termini, principium, & finis, aliter non esset Infinitum, & hoc verum est de quocunque infinito respectu cuiuscunque intellectus tàm creati, quàm Diuini.

Secundò notandum quòd cùm Infinitas sit modus rei intrinsecus non potest esse forma, quæ sit in re tanquam in subiecto, vt dicunt Meld. & Cat. ibi num. 15. sed est aliquod omninò indiuisibile, & inextensum additum rei non extrinsecè, sed intrinsecè. Nec est inconueniens modum quantitatis, & alicuius extensibilis, & per se diuisibilis esse inextensum, & indiuisibile. Nam ipsamet actualis extensio, quæ est modus quantitatis naturalis non est extensa, & diuisibilis, quia extensio non est extensa, licet per actualem extensionem forma denominaretur actualiter extensa. Vnde Infinitas quantitatis si daretur in quantitate, nec esset continuatio partium quantitatis, nec quantitas, nec aggregatio vnitatum, nec numerus, sed solum modus intrinsecus quantitatis siuè continuæ, siuè discretæ. *Improbatur dictum Meld. & Cat.*

Tertiò Notandum, quòd Infinito siue Categorematico, siue Syncategorematico non potest aliquid addi, vel detrahi,

Cuicunq; infinito nihil potest addi, vel detrahi, & improbatur dictum Meld. & Cat.

hi, quicquid dicant Mel 4.& Cat.ibi n.22.Nã si Deus ex infinitis hominibus aliquos anihilaret,&postea eos produceret,tũc qui remanerent non essent infiniti,sed finiti,Et propterea hominibus remanentibus posset fieri additio hominũ reproductorum, & tunc additio non fieret Infinito, sed finito, quia Infinitum alicuius generis est,cuius nihil est extra pertinens ad illud genus, & sic si linea Infinita daretur, & ab ipsa aliqua pars eius detraheretur, tunc quæ remaneret esset finita, & ipsi posset fieri additio. Quare patet, quòd ponendo creaturas possibiles in intellectu Diuino actu infinitas, infinitis creaturis possibilibus non potest fieri additio, quia vltra quodcunque possibile non datur aliud possibile, nec potest aliquid detrahi, quia Deus non potest facere, quod est possibile non esse possibile, cum quodcunque sit possibile ex sui natura formaliter, licet quasi principiatiuè ab intellectu Diuino. Similiter Infinito Syncategorematicò, & in potentia non potest fieri additio, quia vltra quemcumque hominem possibilem, in infinitum alter homo non est possibilis, nec potest aliquid eius detrahi, quia mortuo homine nihil eius detrahitur, quia homo mortuus adhuc remaneret possibilis, cuius possibilitas ad Infinitatem in potentia requiritur. Vnde cum dicitur, quòd Infinito Syncategorematico, & in potentia semper fit additio, hoc est, quia partim est in actu, partim in potentia,& partibus in actu possunt addi partes in potentia, sed quod est in actu est finitum, & pars infiniti in potentia, cùm infinitum in potentia includat partes actuales,& possibiles simul, & hoc verificatur etiam de Infinito secundum partes proportionales contra istos Doctores, quia licet toti diuisibili in partes proportionales possit fieri additio, sibi fit additio, vt finitum est, non vt infinitum, quia vt sic. Semper est diuisibile in partes proportionales, & sic quantitas finita, & determinata potest esse infinita, & indeterminata secundum diuisionem in partes proportionales; si enim hoc modo posset fieri additio,

tio, sibi posset finiri, & determinare secundum diuisionem, vel assignationem partium proportionalium quod est impossibile. Quare concludendum est, quòd nulli Infinito, tam in actu, quàm in potentia potest fieri additio, vel detractio, quæ solùm enti finito competit.

Quartò Notandum, quòd hic loquor de Infinito in aliquo genere, vt vna quantitas Infinita non potest esse maior alia quantitate infinita, & sic de singulis in essentia, & in perfectione, & de hoc etiam intelligunt aduersarii, quia loquendo de Infinito simpliciter vnum Infinitum potest esse maius alio, vt Deus qui continet omnes perfectiones in infinitum excederet in perfectione quantitatem, vel albedinem si esset infinita ex Sco.p.d.8.q.3.R.& ratio est, quia Deus includit non solùm perfectionem quantitatis, vel albedinis, sed etiam omnes alias possibiles perfectiones. Item si posset produci infinita substantia, & infinita qualitas, infinita substantia excederet in perfectione infinitam qualitatem, quia à toto genere substantia est perfectior qualitate, & omni accidente.

Probatur conclusio rationibus in primo cap. positis contra Meld.& Cat.& potest sic confirmando epilogari. Maius, & Minus competit illis, quæ non possunt excedi, sed nullum genus infinitorũ potest excedi. Ergò in nullo genere infinitorum datur maius, & minus; maior patet, quia quod est maius alio excedit illud, minor probatur, quia quod caret fine non potest excedi, quia quod exceditur finitur, sed omne genus Infinitorum, caret fine, aliter Infinitum esset finitum; ergò nullum genus infinitorum potest excedi.

Contra arguunt primò Meld. & Cat.num. 16. sustinentes quòd vnum Infinitum Syncategorematicum est maius alio. Ratio infiniti syncategorematici est quòd extra illud semper aliquid remaneat, quòd sibi possit addi, ergò vnum infinitum syncategorematicum potest esse maius, & minus alio.

Respondeo ex vltimo notabili, & ex Sco. quol. 5. A. quòd Infinitum Syncategorematicum est quòd extra illud semper remanet aliquid accipiendum, & ratio est inquit Sco. quia infinitum in quantitate, sicut loquitur Philos. non potest habere esse, nisi in potentia accipiendo semper alterum post alterum, & ideò quantumcumque accipiatur illud non est, nisi finitum, & quædam pars totius infiniti potentialis. Vnde secundum Sco. Additio non fit infinito, sed alicui parti Infiniti in potentia. Vnde lineæ palmari potest fieri additio in infinitum, sed illa linea palmaris non est infinita syncategorematicè, sed pars infiniti syncategorematici, quia totum infinitum syncategorematicum includit etiam partes actuales, & potentiales in infinitum, & ideò sibi non potest fieri additio, quia vltra quamcumque partem possibilem alia esset possibilis quod repugnat, & sic falsa est consequentia. Ignorantia terminorum parit difficultates.

Secundò. Sub vna specie multiplicari possunt indiuidua in infinitum, & similiter sub altera specie, sed maior est numerus indiuiduorum possibilium sua vtraque specie, quàm sub vna specie, ergò vnum Infinitum syncategorematicum maius alio erit.

Respondeo concesso supposito, & minori subiilata negando consequentiam, quia numerus indiuiduorum sub vtraque specie non est vnum totum Infinitum syncategorematicum, aliter duo infinita syncategorematica essent partes vnius Infiniti syncategorematici, & sic essent duo Infinita finita, quia quod est pars alicuius Infiniti syncategorematici non est Infinitum, sed omninò finitum ex Scoto quol. 5. A. & ideò numerus Infinitorum indiuiduorum possibilium sub vna specie, non potest addi numero Infinito indiuiduorum possibilium sub altera specie.

Et si dicas saltē numero Infinito potest dari maior numerus, sicut est numerus indiuiduorum possibiliū sub vtraq; specie, quàm sub vna specie. Respondeo ex Sco. p. d. 2. q. 2. §. Similiter

ter alia consequentia: vbi habet, quòd si corpus infinitum esset cum alio, fieret totum maius vtroque ratione dimensionum, quia dimensiones alterius corporis essent aliæ à dimensionibus corporis Infiniti, & eiusdem rationis cum eis, & ideo totum maius esset propter diuersitatem dimensionũ, & totum non maius, quia dimensio infinita non potest excedi: Hæc Scotus.

Infinitum simul cum finito, uel alio infinito eßet maius, & non maius.

Ita in proposito. Numerus infinitus indiuiduorum possibilium sub vna specie, si esset cum alio numero infinito indiuiduorum possibilium sub alia specie, fieret aliquod totum maius vtroque numero ratione diuersitatis numeri vtriusq; Infiniti, quia numerus vnius speciei est eiusdem rationis cum numero alterius speciei, quia duo numeri infiniti sunt maiores, quàm vnus numerus Infinitus. Istud vero totum non esset maius, quia numerus infinitus non potest excedi, aliter posset in numero infinito dari determinatus numerus à quo incipiat excedi, vt etiam isti Doctores contrarii fatentur ibi num. 17. in fine.

Et aduerte ne fiat contradictio in verbis, quod non assero cum Sco. Infinitum cum finito, vel infinitum cum Infinito esse aliquod totum per se, quia hoc immediatè superius negaui, sed illud totum voco per accidens, & ratio est ex Scoto. 3. d. p. q. p. l. quia infinitum non est cum alio componibile, sed vnibile, & ideo poterit vnum Infinitum cum finito, & Infinitum cum Infinito esse simul, si duo Infinita categorematica essent possibilia, sicut de facto plura Infinita syncategorematica sunt possibilia, sed illa simul non possunt facere, nisi vnum totum per accidens, cum repugnet vnicuiq; Infinito esse partem, & sic intelligitur Sco. p. d. 2. q. 3. A, & H. quod si essent plura bona Infinita essent meliora, intellige ratione diuersitatis boni, non ratione bonitatis infinitæ, quia infinitum non potest excedi.

Tertiò. Possunt à creatura produci plures effectus in infinitum; Possunt item à Deo plures produci in infinitum quã

possit creatura sicut maior est potentia Dei, quàm creaturæ tunc sic. Sed isti effectus producibiles in infinitum à Deo, & à creatura sunt infinita syncategorematica; ergò vnum infinitum est maius alio.

Respondeo ad supposita cōcedendo, quòd creatura possit producere plures effectus in infinitum, & tum dicitur quòd possunt à Deo plures effectus produci quàm possit creatura, dico, quòd hoc verum est ratione diuersitatis numeri diuersarum rerum, quia Deus potest producere in infinitum infinita possibilia sub quacunque specie rerum, quod non potest producere creatura, sed negatur, quod illæ diuersæ infinitates effectuum in potentia excedant numerum effectuū infinitorum in potentia, quos supponitur creatura posse producere, quia æqualis est numerus hominum possibilium numero Angelorum, & omnium aliarum rerum possibilium, eo quia vnus numerus infinitus non exceditur ab alio, cùm vterque numerus sit infinitus syncategorematicus, & sic concessa minori subillata negatur consequentia, quia non datur minor numerus, nisi numerus determinetur, & finiatur, à quo incipiat excedi ab alio numero, quòd repugnat vnicuiq; Infinito tàm Categorematico, quàm Syncategorematico.

Quartò. Admisso processu specierum in infinitum quęlibet creatura distat in infinitum à Deo, & tamen sub hac infinitate magis distant creaturæ imperfectiores, & minus distant perfectiores, sicut istę magis accedūt ad Diuinam perfectionem, quàm illæ, vt colligitur ex Sco. 4. d. p. q. p. § Ratio tertia principalis, ergò datur vnum infinitum maius alio.

Respondeo, quòd si necessariò vna species est perfectior alia non potest admitti processus in infinitum in speciebus, quia permanentia, & perfectiones habent terminum in magnitudine, vt dicitur cum Sco. in hac Disputatione. Tamen supponendo processum in infinitum in perfectionibus, &

specie-

speciebus vnum infinitum esset maius alio in diuerso genere eo quia perfectio essentialis vnius speciei excedit pefectionem alterius, vt perfectio hominis excedit perfectionem bouis. Vnde si daretur homo, & bos infinitè perfectus, vnum Infinitum esset perfectius, & maius alio, quod non est inconueniens. Si autem duo homines essent infiniti in perfectione, vnus homo non potest esse pefectior alio homine.

Quintò, quia præcedenti disp. Statuimus hac ratione plures partes proportionales, & indiuisibilia in Cœlo, quàm in grano milii, & tamen vtrobiq; sunt infinita syncategorematica.

Respondeo, quòd malè statuistis hac ratione falsa plures partes proportionales, & indiuisibilia in Cœlo, quàm in grano millii, & contra Scotum statuistis, quia, vt aliàs dixi secundum nostrum Doctorem 2. d. p. q. 3. I. tot sunt instantia in vna hora, quàm in vno die, & tot esse partes proportionales in Cœlo, sicut in grano millii, licet in Cœlo sint plures partes determinatæ quantitatis, quàm in grano millii, & hoc modo maius est Cœlum, quàm granum millii, licet vtrumq; sit æquale in diuisibilitate, & in partes proportionales, quia vtrumq; est hoc modo infinitum.

Sextò arguunt sustinentes vnùm infinitum Categorematicum esse maius alio, quia si daretur actu numerus infinitus hominum, tunc plures forent oculi, quàm homines, plures digiti, quàm oculi. & adhuc plures capilli, quàm digiti, nam quilibet homo duos habet oculos, decem digitos manuum, & multo plures capillos.

Respondeo negando, quòd si daretur actu numerus infinitus hominum, quòd tunc plures essent oculi, quàm homines, & sic de aliis, & cum probatur, quod quilibet homo habet duos oculos concedo, sed non sequitur, quod plures forent oculi, quàm homines, nam vterq; numerus esset infinitus, qui non potest excedi, & si in oculis essent infinitæ dualitates, ita etiam in hominibus, aliter accipiendo duali-

tates

tates hominum, numerus hominum finiretur, & ratio est ex Scot 2. d. p. q. 3. K. quia maius, & minus non conueniunt quantitati infinitæ, sed finitæ tantum, & reddit rationem Scotus, quia quantum prius diuiditur per finitum, & infinitum, quàm sibi conueniat maius, & minus, æquale, vel inæquale. De ratione enim quantitatis maioris est excedere, & minoris excedi, & æqualis mensurari, quæ omnia concludunt finitatem, & ideò infinitum non potest dici æquale, vel inæquale, maius, vel maius, quæ sunt differentiæ tantum finitæ, non infinitæ.

Contra hanc responsionem Scoti, arguunt Meld. & Cat. ibi num. 12. arguendo Conimb. sequentes hanc nostri Doctoris sententiam, tali pacto.

Quidquid continet totum, quod continet aliud, & aliquid præter illud est maius illo, sed numerus oculorum, & capillorum tot vnitates concludit quot numerus hominum, & adhuc multo plures vnitates, ergò est maior numerus oculorum, & capillorum, quàm numerus hominum.

Respondeo concedendo maiorem, sed negando minorem, quia si daretur actu numerus infinitus hominum, esset ita infinitus sicut numerus oculorum, & capillorum, nec vnitates hominum includerentur in numero oculorum, & capillorum quia tunc esset maior numerus oculorum, & capillorum, quàm numerus hominum, sicut totum est maius sua parte, & ratio efficacissima est, quia vnum infinitum non potest esse pars alterius infiniti, cùm infinitum sit quoddam totum, & perfectum ex Scoto quol. 5. A. & sic negatur consequentia. Hoc Argumentum quod videbatur Scotistis insoluibile cum vera doctrina Scoti soluitur, & sic cum Infinito non competat maius, & minus, æquale, & inæquale positiuè, sed tantum negatiuè, quia scilicet non potest excedi, ita non potest sibi fieri additio, nec detractio, vt patet in notabili, & sic soluuntur omnia Argumenta, quæ possunt fieri in proposito, quæ hic non pono, cùm sit indignum ad

sine

fine necessitate multoties repetere.

CONCLVSIO TERTIA

Nulla potest dari Creatura Categorematice, seu actu Infinita

Est Aristotelis 3. Phys & Scoti p. d. 2. q. 2. infra X. & d. 8. q. 3. G. H. I. 2. d. 3. q. 7. F. & alibi sępè.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

MEld. & Cat. disp. X. Phys. q. 2. 3. 4. & 5. eandem sustinent opinionem, sed sibi contradicunt in modo probandi, & confutando alios contra se ipsos arguunt: nam num. 25. & 26. loquentes de infinitate secundum essentiam addunt rationem Scotistarum probantium, ideò creaturam Infinitam dari non posse, quia esset Deus. Instant isti Doctores, dicendo quòd huiusmodi rationes ostendunt non posse creari infinitum secundum essentiam in tota latitudine entis, hic autem est quæstio de Infinito in latitudine entis creati, quod dependentiam non excludit, & male ex infinitate entis creati in aliquo certo genere deducitur Infinitas simpliciter, & in tota entis latitudine. *Opinio Meld. & Cat.* *Cōfutatur.*

Isti autem Doctores ponentes proprias rationes deductas ex Sco. concludunt, quòd si esset creatura infinita secundum essentiam, tunc esset Deus, ergò eandem conclusionem deducunt, quam confutant; & reprehendentes alios se ipsos reprehendunt.

Incipiunt enim probare suam conclusionem num. 27. His verbis. *Id tamen ostendi potest a posteriori implicitè. Primò per famosam Scoti regulam, quam docet* p. d. 8. q. 3. R. *Nunquam ad summum in inferiori sequitur summum in superiori, nisi illud inferius sit nobilissimum contentum sub illo superiori, sicut non sequitur perfectissimus Asinus, ergò perfectissimum ani-*

animal, sed benè gratia materiæ sequitur perfectissimus homo ergò perfectissimum animal, quia homo est perfectissimum omnium animalium, quia homo creata specie accidentali potest creari perfectior scilicet substantialis creata substantiali corporea potest creari perfectior, scilicet spiritualis certe creata demũ substantia spirituali infinitè perfecta per datam regulam concludi potest, quod hæc sit Deus, quia cum substantia spiritualis sit perfectissima contenta sub ente argui potest. Est perfectissima, & infinita substantia spiritualis, ergò est perfectissimum, & infinitum ens.

Adducunt Bassolium negantem hanc conclusionem. Est Infinita substantia spiritualis, ergò est infinitum ens, quia substantia spiritualis creata non est perfectissimum sub ente. nam tale est substantia spiritualis, quæ est necesse esse, vt Deus, & ideò est fallacia secundum quid ad simpliciter.

Reprehendunt Bassolium veram Doctrinam Scoti afferentem, dicendo, quod iste Vir supponit posse dari creaturam infinitam spiritualem in genere substantiæ spiritualis cum dependentia à Deo, quod suppositum negant persistẽdo, quod data tali substantia spirituali infinita, sequitur quod esset perfectissimum ens, quia esset perfectissimum contentum sub ente.

Iniustè reprehendũt Basolium. Verum isti Doctores nec Scotum, nec Balsolium intellexerunt. Subtilissimus enim Doctor in illa famosa regula sic concludit. *Ita ergo cum infinitum ens non tantum dicat perfectionem summam, sed etiam non possibilem excedi, non sequitur infinitum ens, nisi præcisè ad infinitum tale, quod est perfectissimum, in quo est ratio entis, quod scilicet dicat perfectionem simpliciter. Et ideo licet esset quantitas infinita in ratione quantitatis, cum tamen quantitas non sit perfectio simpliciter, non sequitur, quod sit infinitum ens, esset igitur infinita linea in genere quantitatis, quia esset limitatum ens simpliciter, & excessum simpliciter à perfectiori ente, sed infinitum simpliciter non potest esse in genere.*

His

His suppositis arguo contra Meld. & Cat. scilicet quod data creatura spirituali infinita non potest concludi per regulam datam à Sco. quòd illa esset Deus, & perfectissimum ens. Nam regula Scoti est, quòd ad summũ in inferiori, non sequitur summum in superiori, nisi illud sit nobilissimum cōtentum sub illo superiori. Tunc sic arguo. Sed creatura spiritualis non est nobilissima sub ente, quia tale est solum illud, quod importat perfectionem simpliciter, quod ex se potest esse infinitum, & per consequens solus Deus ex Sco. loc. cit. ergò ad perfectissimam creaturam spiritualem non sequitur perfectissimum ens; nec quod sit Deus, vt isti inferunt, & sic iniustè Bassolium reprehendunt. *Cōfutatur dictũ Mel. Cat.*

Præterea infinitum ens simpliciter non potest esse in genere ex Sco. loc. cit. quia inquit ipse. quòd si daretur infinitum in genere non tolleret potentialitatem, quam requirit ratio generis, sed tantum poneret infinitatem secundum quid, sed si daretur substantia spiritualis infinita illa esset in genere; ergò illa non esset infinitum ens, nec Deus.

Præterea efficacissimè ad hominem. Si esset creatura infinita, illa haberet dependentiam à Deo, ergò si daretur substantia spiritualis creata à Deo infinita, illa non esset Deus, antecedens patet, quia quælibet creatura à Deo depēdet, consequentia etiam patet ex doctrina ipsorum in hac Disput. q. 2. num. 25. vbi habent, quòd infinitum in tota entis latitudine, & Deus excludit omnem imperfectionem, infinitum verò in genere non excludit omnem imperfectionem, & dependentiam, ergò si daretur infinitum in aliquo genere esset dependens, & non esset Deus, quòd est contra ipsos. *Cōfutatur ad hominē*

Si Respondeas cum ipsis num. 28. qui Doctrinam Scoti, & ipsis contrariam ab Amico receperunt, quòd illa substantia spiritualis, sicut, & species creata categorematicè infinita in nullo esset genere, & sic nullam includeret imperfectionem, & dependentiam à Deo, hoc repugnat ipsis in hac *Tacita responsio cōfutatur.*

Disput.q.4.n.68.& ipsi Scoto p.d.8.q.3.R.vbi habent, quòd si daretur quantitas infinita deberet reponi secundum Doctores in prædicamento quantitatis.

Præterea si Deus posset creare hominem infinitum, quis vellet negare ipsum esse in genere animalis? & si crearet substantiam spiritualem, & Angelum infinitum, quare non esset in genere substantiæ? quid amplius, si ipsi concedunt vt iam dictum est n.25. Infinitum in genere, si daretur esset infinitum secundum quid.

Cõfutatur ad hominẽ

Præterea probo etiam ad hominem, quòd si daretur substantia spiritualis infinita non esset Deus, nam isti Doctores in hac Disp.x.q.2.art.2 n.36. arguendo contra Radam, sustinentem non posse dari processum in infinitum in perfectione creata arguunt tali pacto. Illa species quæ ponebatur suprema distat infinitè à Deo, vel non. non secundum, quia cum sit creatura infinitè debet à Deo distare, *si primùm*, ergò supra illam possunt dari aliæ, & aliæ species in infinitum perfectiores intra limites finitatis. Hæc illi.

Tunc sic arguo. Illa creatura spiritualis infinita, vel distaret infinitè à Deo, vel non; non secundum, quia cùm sit creatura debet à Deo infinitè distare: si primùm; ergò supra illam dari possunt aliæ, & aliæ species in infinitum perfectiores, & sic vel illa creatura spiritualis, quæ supponitur infinita, non erit infinita, vel si erit infinita, distabit infinitè à Deo, cùm sit creatura,& sic à primo ad vltimum nunquam posset esse Deus, sed tantum concludi potest, quòd esset infinita secundum quid, & per consequens ex hoc medio non rectè probant in essentia creata repugnantiam infinitatis categorematicè,& in actu.

Secundò. Meld. & Cat. dicunt quòd hæc conclusio, scilicet quod non possit dari infinitum categorematicum in essentia potest efficacissimè probari per rationes Scoti, quibus probat 2.d.3.q.10.non posse dari spetiẽ impressã,quę distinctè representet quidditates creatas possibiles. ex quibus deducit

deducit, inquiunt ipsi, quòd hæc species esset infinita simpliciter, & absolutè infinita in genere entis, & non tantum in certo genere. Sed ego legi, & perlegi illas rationes, nec videre potui Scotum inferre, quòd illa species infinita repræsentans, si daretur, esset infinita simpliciter, & non in determinato genere, sed solùm infert quòd esset infinita, nec aliud potuit inferre, quia ista species impressa esset qualitas, & per consequens in determinato genere: At quod est in determinato genere, non potest esse ens simpliciter ex Sco. p.d.8.q.3.vt prius dictum est; ergò species, si repræsentaret infinitas quidditates, non esset infinita simpliciter. Nam licet illa species impressa æquiualeret infinitis speciebus in repræsentando, non tamen contineret eminenter perfectiones essentiales omnium rerum, nec esset aliquod independens, sed dependens quia esset ens creatum: nam species representans non est substantia formaliter, nec eminenter, esset igitur infinita in ratione speciei intelligibilis, & hoc solum probat Scotus. *falsò adducunt doctrinã Sco.*

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Nulla potest Dari Creatura Categorematicè seu in actu Infinita

Est Arist. 3. phys. & Sco. p.d. 2. q. 2. infrà X. & d. 8. q. 3. G. H. I. & 2. d. 3. q. 7. F & alibi sæpè.

Pro cuius declaratione. Notandum Primò quod hic loquor de Infinito Categorematico siue secundum essentiam, siue secundum intensionem, siue secundum extensionem, siue secundum multitudinem. quæ omnia competunt quanto, siue quantitati molis siue virtutis, vel perfectionis, quod infinitum categorematicum in perfectione est duplex secundum Sco. p. d. 8. q 3. Q. Aliud est infinitum simpliciter, quod in nullo potest excedi, & includit quamcunq; *duplex Infinitum & quid sit vtrunq;*

perfectionem entis, & quamcunq; entitatem quantum possibile est talem entitatem, & perfectionem contineri in aliquo vno scilicet eminenter, quia non est possibile quamlibet perfectionem, & quolibet ens contineri formaliter, & realiter in aliquo vno, sed tantum virtualiter, & eminenter, sicut dicitur, quod Deus est homo, lapis, Equus, Argentum. non realiter, aut formaliter, sed solum eminenter quia omnis perfectio, quæ est in creaturis reperitur in Deo perfectiori modo, quàm sit in ipsis creaturis. Aliud est infinitum secundum quid, idest secundum aliquod genus perfectionis, vt si daretur infinita linea, illa esset secundum quid infinita idest secundum longitudinem tantum, & non secundum alias perfectiones possibiles sub ente, Vnde ly *Simpliciter*, *& secundum quid* in infinito sunt æquiuoca. Aliquãdo. n. accipitur ly. *Simpliciter*, vt distinguitur contra *Secundum quid*, quod est esse in potentia, & sic infinitum simpliciter est infinitum Categoremacum, & in actu, & infinitum secundum quid dicitur Infinitum Syncategorematicum, & in potentia. Aliquando accipitur ly simpliciter idest secundum omnem perfectionem entis, vt distinguitur contra secundum quid, idest secundum aliquam perfectionem, & sic tàm simpliciter, quàm secundum quid conueniunt infinito categorematico, quia infinitum Categorematicum; aliud est infinitum secundum omnem perfectionem entis, vt Deus. Aliud secundum aliquam perfectionem, vt si daretur calor infinitus, linea infinita, albedo infinita, etenim vnũquodq; istorũ esset infinitum secundum propriã perfectionẽ, sed nõ secundũ omnes perfectiones, quia calor infinitus non includeret perfectionem lineæ, nec linea perfectionem caloris, & sic de aliis.

Secundo Notandũ ex Scot. p. d. q. 2. B. B. non posse probari à priori, quod aliquid sit finitum, vel infinitum, quia sicuti contradictoria ex rationibus propriis contradicunt, ita non repugnantia ex rationibus propriis non repugnant, nec videtur

detur

detur posse ostendi repugnantia, & non repugnantia, nisi explicando rationes contradictoriorũ, & Infinitum non potest explicari, nisi per finitum. Vnde Infinitum est illud, quod excedit quodcunq; finitum vltra omnem determinatam, vel determinabilem propositionem, & sic quolibet est ponendum possibile finitum, vel infinitum, cuius non apparet impossibilitas ad excedere, vel excedi. Ad hoc autem probandum ponuntur rationes à diuersis, sed non rectè persuadentes, quia licet de quantitate molis ex doctrina Arist. facile deducatur impossibilitas infiniti, non tamen inuenitur ratio probans infinitatem creaturæ secundum essentiam consideratæ, & inter alia media mihi videtur magis efficax illud, quod creatura sit in genere, & per consequens limitata, & finita, quam rationem nituntur Meld. & Car. infringere, sed non recte, quia ex Sco. 2. d. 3. q. 7. F. quælibet speciei perfectio est finita, vel determinata per determinationem, vel specificationem, vel limitationem differentiæ vltimæ, quæ vltimate speciem constituit addita generi, & dicit Scotus hoc essertum esse secundnm omnes Philosophos, ac propterea, quod est in genere erit finitum in tali genere, & repugnabit per hoc non solum infinitas in tota latitudine entis, sed etiam in tali genere, vtiq; verum est ex Sco. p. d. 2. q. 2. B. B. in fine, & C. C. quod quodlibet habet gradum intrinsecum suæ perfectionis, vel finitum, si illud est finitum, vel infinitum, si est infinitum, & non finitur per aliud, & quæcunque essentia finita in se est finita, vt præintelligitur omni comparationi sui ad aliam essentiam, sed non est finita, vt præintelligitur differentiæ vltimæ ex Sco. loc. superius cit. & ratio esse potest, quia non datur in rerum natura quidditas, & essentia, nisi contracta per vltimam differentiam specificam, tamquã per vltimam sui perfectionem, quia differentia numerica, & indiuidualis nullam dicit perfectionem, sed potius imperfectionem, quia imperfectionis est naturæ indiuiduari per aliud, &

ideo

ideo solum quod est de se, hoc est infinitæ perfectionis: His notatis.

Probatur conclusio Primò, Nullum Infinitum est componibile, sed omnis creatura est in genere, & per consequens componibilis, saltem ex genere, & differentia, ergo nulla creatura potest esse infinita. Maior, quæ est Scot. quol. 5. O. probatur, quia omne compositum, vel componitur ex finitis, vel Infinitis. Non ex Infinitis, quia infinitum non potest esse pars, ergò ex finitis, sed ex finitis non potest componi infinitum, ergò nullum compositum potest esse Infinitum, et hæc ratio valet de Infinito in genere, & specie determinata, quia sicuti Infinitum, vt sic, non est compositum, nec conponibile cum alio, ita cuicunq; composito, & componibili cum alio repugnat Infinitas.

Secundò cum Scotistis præcipuè. Omne finitum est pars & ens per participationem, quia capit partem illius entitatis, quæ est in Infinito totaliter, & perfectè. Cui ergo repugnat esse pars ei repugnat esse finitum, & cui competit esse pars ei repugnat infinitas ex Sco. quol. 5. A. A. sed omnis creatura est ens per participationem, ergò creaturæ repugnat infinitas.

Nec valet dicere, quòd argumentum rocedit de Infinitate in tota latitudine entis, quia argumentum procedit de perfectione in communi, & in particulari, nam sicuti creatura est ens per participationem, ergò est etiam tale ens per participationem, & quælibet creata perfectio est participata, ergò quælibet creatura secundum quemlibet gradum perfectionis, siue genericè, siuè specificè est ens per participationem, & per consequens pars infiniti, ergò sibi repugnat infinitas secundum quemlibet gradum perfectionis.

Contra arguitur Primo. Infinitæ potentiæ actiuæ debet correspondere proportionatus effectus, ergò potentiæ Dei infinitæ categorematicè, & in actu debet correspondere consimilis effectus.

Respon.

Respondeo ad antecedens quod infinitæ potentiæ debet correspondere proportionatus effectus in actu, vel in potentia, quia potentia ista infinita ad extra non habet necessariò effectum, sed contingenter, qui effectus proportionatus est productio omnium possibilium ex Sco. p. d. 42. q. vnica A. & hoc eo modo, quo possunt produci scilicet successiuè in infinitum, & non omnia simul, quia talis effectus infinitus in actu naturæ repugnat, & vt in summa sit dicere. Infinita potentia est, quæ potest producere infinita quantum est ex se, etiam simul actu, si illa essent simul producibilia ex Sco. p. d. 2. q. 2. in X. Ad consequentiam cum dicitur: ergò infinitæ potentiæ in actu, & categorematicè debet corresponderè effectus infinitus categorematicus; nego. quia talis est impossibilis. Vnde infinitæ potentiæ proportionatur effectus possibilis infinitus, immò si nullus effectus categorematicè, vel syncategorematicè infinitus posset produci, adhuc saluaretur infinitas in potentia ex hoc, quod quantum est ex se posset producere quodcunque infinitum, si quodcunque esset producibile, & sic Deus, siue contingenter agat cum Theologis, siue necessariò cum Philosophis, non posset producere nisi possibile, quia ad impossibile nulla est potentia.

Effectus proportionatus potētiæ diuinæ quis sit.

Secundò. Deus potest communicare creaturæ infinitam durationem, & præsentiam localem, producendo creaturam ab æterno, & replicando illam vbique, ergò potest ei communicare infinitam essentiam.

Respondeo concedendo antecedens, sed illa infinitas durationis, & præsentialitatis non est infinitas categorematica, nam æternitas non est nisi negatio deficiendi, vel relatio rationis potentialitatis coexistendi cuicunque possibili in infinitum ex Sco. quol. 6. S. quæ negatio, vel relatio rationis non est infinita categorematicè, similiter præsentialitas cuicunque loco non est propriè infinita, cùm infinita pluralitas actu simul repugnet, sed dicitur infinita, idest indetermi-

Dupliciter potest accipi infinitum.

minata; nam ex Sco.4. d.p.q. p. G. dupliciter potest accipi infinitum. Vno modo pro excedente simpliciter quodcunque finitum in infinitum. Alio modo pro indeterminato, sicut dicitur, quod inter contradictoria est infinita distantia, idest indeterminata, quia quantumcunque aliquid recedit ab vno contradictorio, statim est sub altero, & ideò tam minima, quàm maxima distantia sufficit ad contradictionem, & sic negatur consequentia, quia licet homo possit conseruari à Deo in tota æternitate, & replicari in quocunque loco, non tamen sequitur, quòd possit à Deo fieri essentialiter infinitus, quia in natura repugnat infinitas categorematica, propter rationes in conclusione adductas.

Tertiò. Infinita perfectio in essentia creata, adhuc esset infra perfectionem Diuinam, quia esset in certo genere, & non in tota latitudine entis: ergò Deus poterit illam producere. probatur consequentia, quia Deus potest producere quamcumque perfectionem infra perfectionem Diuinam.

Responsio Meld. & Cat.

Respondent Meld.& Cat.in hac disp.num.29. negando, quòd illa creatura sic infinita esset in certo genere, & infra perfectionem Diuinam, quia ex continentia eminentiali multarum specierum in tali natura argueremus ipsam esse infinitam simpliciter,& absolutè,&nō in certo genere tantū.

Contradictio Meld. & Cat.

Sed isti Doctores falsò respondent, non memores regulæ Sco.p.d.8.q.3.R.etiam ab ipsis adductæ, quod scilicet ad summū in inferiori,non sequitur sūmū in superiori nisi illud inferius sit nobilissimum contentum sub illo superiori, cuiusmodi non potest esse creatura,ac propterea non valet dicere. Est Infinita creatura: ergò Infinitum ens, quia creatura non est nobilissimum contentum sub ente, cum tale sit solus Deus. Vnde illa creatura non esset infinita simpliciter,& absolutè, sed in certo, & determinato genere, vt etiam ipsi contradicentes dicunt apertè ibi n. 25.

Responsio Auctoris.

Ideò Respondeo concedendo assumptum, sed nego con-

consequentiam; quia licet Deus possit producere quamcumque perfectionem infra perfectionem Diuinam, tamen non potest producere impossibilem, repugnat enim infinitus homo, infinita linea, & huiusmodi.

Quartò. De facto datur Infinitum categorematicum, ergò non repugnat; antecedens probatur, quia datur Intellectus, qui est receptiuus infinitarum intellectionum, & elicitiuus infinitorum actuum, ergò est infinitus; quia illud est infinitæ virtutis, quod potest infinita producere.

Respondeo negando antecedens, ad probationem respondeo ex Sco. 3. d. 14. q. 2. Q. quod infinitas extensiua ad aliqua, vt ad formas recipiendas, non concludit infinitam virtutem receptiui, sicut patet de materia, si esset receptiua infinitarum formarum, immò magis concludit imperfectionem, sed infinitas extensiua ad aliqua, vt ad effectus simul causabiles includit infinitatem intensiuam, eo quod talis pluralitas concludit maiorem perfectionem in eo, quod ad plura se extendit, non ita de receptiuo, si tamen intellectus ponitur elicitiuus infinitarum intellectionum, dicit Sco. quòd illas infinitas extensiua non concludit infinitatem intensiuam intellectus, sed obiecti, quia obiectum est causa principalis actiua respectu illarum visionum, & intellectionum, non autem intellectus, & ratio Scot. esse potest, quia obiectum repræsentans infinita, necessariò est infinitum, nam requiritur maior perfectio repræsentando duo, quàm vnum, & sic in infinitum ex Scot. 2. d. 3. q. 10. A. intellectus autem cognoscendo vnum, vel plura non indiget maiori perfectione, nisi intelligendo plura simul actu. Vnde si intellectus creatus simul haberet infinitas intellectiones, esset actu, & categorematicè infinitus.

Quintò. Potest dari species repræsentans obiectum infinitum sub ratione Infiniti ex Sco. 2. d. 3. q. 9. K. L. ergò potest dari species infinita in repræsentando.

Respondeo ex Scot. loc. cit. negando consequentiam;

quia sicuti actus finitus potest habere obiectum ex parte sui Infinitum, & tamen immediatius attingit obiectum, quàm species, ita species potest repræsentare obiectum infinitum sub ratione infiniti, non tamen ipsa est adæquata in essendo, nec in cognoscendo simpliciter, quia non est principium compræhendendi, s. cognoscendi infinito modo, nam essentia, quæ est comprehenbilis ab intellectu suo, non potest comprehendi, nisi per se ipsam, & per rationem cognoscendi.

Sextò probatur, quòd potest dari infinitum categorematicum in multitudine. Infiniti homines, infinitæ partes quantitatis sunt entia realia possibilia, quæ cognoscuntur à Deo, ergò nulla erit implicantia, quòd ponantur in re, cum omne possibile dicat potentiam ad existendum.

Responsio Meld. & Cat.

Respondent Meld. & Cat. in hac disp. num. 53. & 54. longo discursu, & in fine responsionis dicunt omnes numeros posse existere, sed nõ coexistere, quia multitudo numeralis est indeterminata, & ideò non tota simul producibilis, & quando etiam concederemus totam rerum producibilium congeriem posse simul a Deo produci, adhuc negare deberemus talem multitudinem esse categorematicè infinitam, quia sicut quando multitudo illa erat potentialis non erat infinita categoremanticè, sic etiam dicendum est talem remanere, si actu produceretur tota, quia diuersitas status non variat naturam multitudinis, & ex vna infinitate non rectè deducitur alia.

Non recipitur responsio.

Hęc doctrina confutata est cum Sco. & doctrina istorum satis diffusè in prima conclusione huius Disputationis.

Responsio auctoris.

Respondeo igitur breuiter, quòd Infiniti homines, Infinitæ partes quantitatis, eo modo, quo sunt possibilia, eo modo possunt à Deo produci, sunt possibilia in infinitum, sunt producibilia in Infinitum, & sic ad conseqentiam respondeo, quòd nulla erit implicantia, quòd ponantur in

re,

re, eo modo, quo possibilia sunt poni in re, sunt autem possibilia poni in re in infinitum non simul, aliter non essent possibilia in infinitum, quæ si simul essent, essent categorematicè infinita, vt apertè asserit Sco. quol.5.A. & alibi sæpè.

Septimò. Potest continuum diuidi à Deo in omnes eius partes, cum in hoc instanti possit singulas continui partes diuidere, & non magis hanc, quàm illam; ergò poterit omnes; item in quolibet instanti istius horæ poterit creare vnum Angelum, & illum conseruare; sed in continuo sunt infinitæ partes proportionales, & in hora infinita instantia, ergò peracta diuisione continui habebimus infinitas partes actu, & completa hora Angelos infinitos.

Respondeo negando quòd Deus possit simul diuidere omnes continui partes, & producere infinitos Angelos in vna hora, & cum probatur, quia in quolibet instanti vnius horæ poterit singulas continui partes diuidere, & non magis hanc, quàm illam, & in quolibet instanti vnius horæ creare vnum Angelum concedo, sed nego consequentiam, scilicet quod poterit diuidere omnes partes continui, & in omni instanti creare vnum Angelum, quia ex Sco. 2. d.2. q.9.K. à singularibus veris non sequitur vniuersale, quando propositiones singulares sunt incompossibiles, est enim fallacia figuræ dictionis à pluribus determinatis ad vnum vniuersalem, & ratio repugnantiæ est ex impossibilitate reductionis omnium potentiarum simul ad actum, cuilibet enim diuisioni determinatæ repugnant infinitæ indeterminatæ diuisiones, & ponit exemplum Sco. vbi quælibet singularis est possibilis, & tamen vniuersalis non est possibilis, & ponamus, inquit ipse, quòd aliquis homo non possit portare decem lapides, sed nouem tantum, & sint illi decem lapides æquales, ista propositio. Possibile est omnem lapidem portari ab isto, falsa est, & non quia aliqua sin-

gularis sit falsa, nec quia aliqua singularis determinata sit alicui alteri determinatæ incompossibilis, sed aliquibus determinatis est aliqua indeterminata incompossibilis. Vnde quæcunque nouem singularia sunt compossibilia, & decimum indeterminatè est in compossibile eis.

In proposito valet dicere, quòd hęc pars potest diuidi pro hoc instanti, vel illo, & pro eodem instanti, potest hic Angelus, vel ille creari, sed non possunt omnes partes simul diuidi; nec omnes Angeli pro quocunque instanti horæ simul creari, cuilibet enim diuisioni, & creationi Angeli determinatè repugnant indeterminatæ infinitæ diuisiones, & creationes Angelorum, & ratio physica mihi videtur, quia cum quęlibet pars continui sit diuisibilis in partes semper diuisibiles, nnnquam omnes partes possunt esse diuisę, quia standum esset ad aliquam partem indiuisibilem, quod repugnat continuo. Item omnia instantia vnius horæ non sunt assignabilia simul determinatè, quia quælibet pars temporis est diuisibilis in infinitas partes per instantia copulatas, & ideò Deus non potest creare Angelum in quocunque instanti vnius horæ, ita quod in illa hora non sit instans in quo Deus non creauerit Angelum, quia ista instantia per rationem iam dictam sunt inassignabilla.

Octauò. In materia prima sunt tot priuationes actu, quot sunt formæ producibiles in infinitum, ergò infinitæ priuationes, quia secundum Sco. quol. 5. A. & alibi, quæ sunt infiinita in potentia, si essent actu, essent infinita actu, & categorematicè.

Responsio Meld. & Cat. non recipitur. Ad hoc Argumentum Meld. & Cat. sustinentes contra Scotum. Infinitum in actu, & in potentia non differre secundum modum essendi. Responderent negando consequentiam, quia dicunt, quòd si illa, quæ sunt infinita in potentia essent actu adhuc diceretur finita, sed hoc improbatum est prima conclusione huius Disputationis.

Responsio Auctoris. Ideò dicerem quòd non repugnat enti negatiuo infinitas mul-

multitudinis negatiua neque rerum possibilium sicut sunt in intellectu Diuino, sed tantum infinitas positiua rerum actualiter existentium.

Si dicas. Dantur tot relationes actu in materia ad formas in infinitum producibiles, quæ relationes dicuntur à Scoto ordines prioritatis ad actum; ergò illæ relationes erunt infinitæ, ergò multitudo actualis, & positiua infinita.

Responderem, quòd triplex est multitudo: Prima est rerum differentium secundum formam, vt multitudo generum, & specierum. Secunda est rerum differentium secundum quantitatem subiecti, vt multitudo indiuiduorum per se existentium, vel eorum, quæ sunt in diuiso subiecto, vt plures homines, & plures albedines. Tertia est eorum, quæ non differunt secundum formam, & quantitatem subiecti, sed sunt in eodem subiecto, vt in proposito sunt infinitæ potentiæ materiæ ad formas in infinitum producibiles, & sic posset concedi, quòd non repugnat infinita multitudo positiua, in actu, & categorematicè rerum, quæ sunt in eodem subiecto, repugnat verò infinita multitudo positiua rerum differentium secundum formam, & quantitatem subiecti.

Contra. Ergò saltem absolutè loquendo non repugnat multitudo numeralis infinita actu, & categorematicè.

Respondeo concedendo consequentiam, quia vt dicam in vltima cõclusione. In mente Diuina est infinita multitudo actualis omnium possibilium, sed tantum repugnat in rerum natura, eo quia possibilia in infinitum si essent actu, non essent possibilia in infinitum, & sic cui repugnaret assignari vltimum posset finiri, & finiretur, quod contradicit, & repugnat infinita multitudo actu eorum, quæ secundum formam, & quantitatem subiecti distinguuntur, vt prius dictum est.

Vel responderi potest, & melius, quod sicut non repugnat

gnat infinitas categorematica rerum possibilium; ita non repugnat talis infinitas relationum possibilium, seu ad res possibiles. Relationes enim in materia ad formas introducibiles in illa, quæ dicuntur ordines prioritatis ad actum, sunt vtique actuales, & reales non simpliciter, sed secundum quid. Vnde non video, quòd repugnet infinitas categorematica ad res possibiles, quæ sunt in mente Diuina actualiter infinitæ, sed tantum repugnat infinitas positiua rerum simpliciter actualiter existentium.

Nonò Arguitur, quòd possit dari infinitum in extensione. Linea giratiua conflatur ex infinitis circulis columnam ambientibus, quorum singuli sunt determinatæ, & æqualis longitudinis circularis, quantum nempè ipsa columna circundat. ergo hæc linea erit actu infinita, & si per potentiam Dei tota extraheretur à columna quam veluti fascia cingit, clarè appareret infinita eius longitudo.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. ibi num. 67. confutantes Auersæ responsionem, quæ melior est, quòd illi circuli non sunt æquales, quia non trahuntur ab vno puncto ad idem punctum, & concludunt, quòd tanta est longitudo lineæ giratiuæ, quanta longitudo columnæ constituta ex partibus proportionalibus secundum longitudinem sumptis.

cõfutatur. Sed hæc responsio non satisfacit, quia difficultas de linea giratiua in hoc consistit, quòd si girat per omnes partes superficiei columnæ, quæ sunt infinitæ, si postea extendatur erit infinitæ longitudinis, sicut si omnes lineæ, quę diuidunt quaslibet partes vnius superficiei essent simul vnitæ, cum diuidant partes proprotionales superficiei infinitas se extenderent in infinitum.

Responsio Auctoris. Respondeo saluo semper meliori iuditio, quod argumentum procedit ex falsa imaginatione, non enim est assignabilis linea giratiua, quæ transeat per partes proportionales superficiei columnæ; sicut nec omnes lineæ alicu-

alicuius superficiei sunt assignabiles etiam à Deo, quia assignata vna linea immediatè sequitur pars superficiei, alia autem linea immediatè sequens, & terminans illam partem superficiei est inassignabilis, quia illa pars est diuisibilis in infinitas partes terminatas per infinitas lineas. Quapropter falsum est Deum posse abstrahere illam lineam giratiuam à columna diuidentem quaslibet partes superficiei columnæ, quæ sic Deus poneret omnes partes superficiei columnæ esse actu diuisas, & interminatas per lineas, quod repugnat, quia quælibet pars est diuisibilis in partes, quæ de sui natura lineis necessariò terminantur.

Decimò. Probo, quòd possit dari infinitum actu in virtute secundum Scotum in 1.d.2. q.2. BB. quantitas virtutis est perfectior quantitate molis; ergo si datur Infinitum in potentia in mole, ergò in virtute, sed si datur Infinitum in potentia in virtute ergò, & actu. Sic discurrit Scotus.

Responderem Scotum hic loqui de Deo, & summè infinito in essentia, & vult probare, quòd in tota latitudine quantitatis virtutis potest dari infinitum, & si potest dari, actu est, quia tale infinitum necesse est esse, & non vult probare Scotus, quòd sicuti in quantitate molis datur Infinitum in potentia, vt in diuisione, vel multitudine, semper accipiendo vnum post aliud in infinitum, & in virtute possit hoc modo dari Infinitum, quia hoc negat 3.d.13.q.p.per totum, sed si sicut in quantitate molis datur infinitum suo modo, idest in potentia, semper accipiendo vnum post aliud in infinitum, ita etiam in quantitate virtutis, quæ est perfectior, potest dari suo modo infinitum, hoc autem si potest dari, actu est, quia infinitum in virtute necesse est esse, & ideò Sco. posuit terminos in permanentibus, & essentijs creatis, quibus non competit necessariò esse, sed contingenter.

CONCLVSIO QVARTA.

Non datur Infinitum Syncategorematicum in Creaturis secundum Essentiam, Intensionem, & Extensionem.

Est Sco. 3. d. 13. q. p. per totum p. d. 2. BB. & 2. d. 3. q. 7. F.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. 10. phys. q. 2. 4. & 5. oppositam tenent sententiam tanquam tutiorem, asserendo Sco. esse problematicum dicendo num. 79. de qualitatibus, quòd Sco. 3. d. 13. q. p. nihil docuit vt omninò certum, quòd patet ex verbis Sco. in commendando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere, vbi protestatur, inquiunt, ob Christi reuerentiam se potius notam ignorantis incurrere velle, quàm indeuoti.

Sed miror quomodo Scotistæ sustineant in hac materia Scotum problematicum, qui apertè sine hesitatione, & absolutè sustinet in permanentibus dari terminum determinatum, licet vobis ignotum, & probat absolutè gratiam habere terminum, sed postea applicando ad Christum. An ipsi sit collata gratia summa possibilis creari sustinet problematicè ipsi collatam fuisse, quia nescit euidenter gradum gratiæ collatum Christo, quàm gratiam determinatam sustinet habere terminum, in collatione gratiæ est problematicus, non in termino gratiæ. Et isti Doctores soluunt rationes Sco. sed non in principijs Sco. sed Thomistarum, quæ rationes vtique sunt solubiles, quia de non euidentibus non possumus habere demonstrationes, & ideò

cum

cum Scotus non sit certus, an summa gratia possibilis creari sit collata Christo, vult magis excedere, quàm deficere, idest si non possumus scire quanta gratia sit Christo collata possumus deficere dicendo, quòd sit collata minor gratia; quam non ignorat habere terminum, idest cum apertè hoc asserat, sed ignorat in quo gradu gratia sit collata Christo, & ideò vult magis excedere dicendo, quòd sit collata summa gratia, quàm quod sit ei collata gratia non summa, non dubitat igitur Scotus an gratia sit summa, & habeat terminum, sed dubitat, an ista summa gratia sit collata Christo. *Sco. nō est problematicus de termino gratiæ, sed dubitat qualis gradus sit collatus Christo.*

Probo tamen quòd maximè in doctrina illorum hæc sua opinio sustineri non potest in aliquo genere deueniendum est ad speciem supremam, qua perfectior creari non potest ex doctrina ipsorum in hac Disp. num. 43 ergò hoc etiam erit in alijs generibus: consequentia patet, quia non videtur maior ratio de vno, quàm de altero, & si nullum sequitur inconueniens, quòd Deus in tali genere non possit facere perfectiorem speciem in infinitum etiam in alijs generibus nulla erit repugnantia, quòd sit deueniendum ad aliquam speciem supremam. *Cōfutatur opinio Mel. & Cat. ad hominem. 1.*

Secundò. In tota latitudine entis creati datur supremum, quòd si esset infinitum esset Deus secundum ipsos ibi num. 27. licet hoc sit in antecedenti conclusione impugnatum, & tale est substantia spiritualis, ergò si nulla est repugnantia, quòd Deus non possit facere substantiam spiritualem perfectiorem in infinitum, nec etiam erit repugnantia, quòd non possit hoc facere in alijs generibus imperfectioribus. 2.

Præterea tertiò dicunt ibi num. 82. quòd mediæ qualitates habent terminum suæ intensionis, ergò & aliæ qualitates, quia non minus videtur, quòd mediæ qualitates sint ex se determinatę ad certum gradum intensionis quàm qualitates extremæ. 3.

T Respon-

Ratio ex doctrina Meld. & Cat. Responderi potest ex eorum doctrina loc. cit. quòd mediæ qualitates habent terminum suæ intensionis etiam in ordine ad omnipotentiam Dei, quia cum contineantur inter duo extrema per progressum in infinitum facilè in alterum extremorum transirent, vt viriditas in nigredine, & pallor in albedine.

Contra. Quilibet gradus viriditatis est eiusdem ra- Cõfutatur. 1. tionis; ergò si viriditas secundum gradus decem essentialiter, & specificè differt à nigredine etiam secundum gradus in infinitum, erit essentialiter, & specificè diuersa; ergò nunquam poterit tranfiri in nigredinem, aliter gradus viriditatis additus in infinitum non esset gradus viriditatis, sed nigredinis.

2. Præterea species quantumcunque perfecta semper differt essentialiter ab alia specie, ergò viriditas quantumcunque perfecta non potest transire in nigredinem, aliter perfectio speciei mutaret speciem, quòd est impossibile, sicut impossibile est quòd vna species sit alia, & quòd perfectio speciei destruat speciem, ergò si mediæ qualitates habent terminum suæ intensionis etiam extremæ; & rationes, quas conficiunt Meld. & Cat. pro opinione Thomistarum, quam sequuntur magis sunt solubiles, & possunt contra ipsos retorqueri, vt videbimus in responsione ad eorum argumenta.

3. Præterea Infinitum in virtute, & in intensione si potest esse actu est, immò necesse est esse ex Scoto p. d.2. q.2. BB. ergò si in qualitatibus daretur infinitum Syncategorematicum, & in potentia, actu esset necessariò, & sic contingens esset ens necessarinm.

Nec valet dicere, quòd Scotus in hac materia sit problematicus, quia ibi Scotus probat posse dari ens infinitum in virtute, & probat per hoc, quòd sicuti in quantitate molis datur infinitum suo modo, scilicet in potentia, accipiendo vnum post alterum, ita in quantitate virtutis,

quæ

quæ est perfectior potest dari Infinitum suo modo, hoc autem si potest esse, actu est, & necessariò est esse. Vnde si medium Sco. esset friuolum non rectè probaret Sco. per hoc principium dari ens infinitum.

Nec dicas vtique valere illud principium ad ostendendum, quòd in tota latitudine entis datur ens infinitum, quòd est Deus necessariò existens, quia Sco in 2.d.3.q.7. F. idem probat in creaturis dicendo, quòd si tota perfectio speciei nata est esse in infinitum, sequeretur quòd in qualibet specie esset perfectio infinita, & probat per hoc quia quod potest habere perfectionem infinitam, habet eam. Vnde Scotus omnibus in locis, in quibus agit de intensione, & perfectione semper vniformiter loquitur.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Non datur Infinitum Syncategorematicum in Creaturis secundum Essentiam, Intensionem, & Extensionem.

Est Sco.3.d.13.q.p. per totum p.d.2.q.2.BB. & 2.d.3.q.7.F.

PRo cuius declaratione Notandum primò, quòd essentia, quantitas, & qualitas, quæ ex se est determinata ad talem intensionem, vel extensionem dicitur summa, summum autem potest accipi dupliciter ex Sco.3.d.13.q.1. C. vno modo positiuè, scilicet pro eo quod excedit quodcunque aliud, & non potest dari sibi æquale. Alio modo negatiuè pro eo, quod non exceditur ab alio. Vnde Essentia, Quantitas, Qualitas in termino dicitur summa, quia non potest excedi ab alia, non tamen excedit quamcumque aliam, quia Deus potest creare sibi æqualem, qua ratione dicit Scotus 3.loc.cit. quòd Deus non potuit confer- *Summum dupliciter accipitur.*

re Christo summam gratiam positiuè, quia potest creare æqualem, potuit tamen conferre summam gratiam negatiuè, quæ scilicet non possit excedi, quia perfectio gratiæ non potest in infinitum augeri.

Sco. nõ est problematicus de termino gratiæ.

Secundò Notandum, quòd Scotus non est in hac materia problematicus, vt præfati Scotistæ asserunt, & præcipuè 3.d.13.q.p.vbi loquitur de gratia, & determinat absolutè permanentia habere terminum, & postquam determinauit omnia permanentia habere terminum, & quod summa gratia potuit creari, dicit quòd probabile est secundum Magistrum Sententiarum, quòd Deus tantam gratiam Christo contulerit, quantam potuit, potuit autem, inquit Sco. ex præcedenti quæstione summam gratiam creabilem. Ecce quòd probabilitas non cadit supra summitatem gratiæ, sed supra collationem gratiæ, quam præsupponit posse in summo creari, & quia non est nobis hoc euidens non possumus habere demonstrationes, & rationes insolubiles; sed stando in principijs Scoti, scilicet quòd permanens quodcunque summum possit vnico actu produci, & quicquid potest habere perfectionem infinitam, habet eam, vt videre est p.d.2.q.2.BB. & 2.d.3. q.7.F.loquendo de perfectione creata, necesse est dicere in permanentibus esse terminum, & quod in intensione, & extensione non datur Infinitum Syncategorematicum, & in potentia, ita quòd data quacunque quantitate, vel qualitate non possit Deus facere maiorem, & perfectiorem in infinitum, loquor igitur cum Scotistis sustinendo meam conclusionem, quæ posset probari rationibus in primo cap. positis contra aduersarios D. Thomæ sequentibus. His notatis

Probatur etiam conclusio ex Sco. loc.cit. Permanentia secundum quamlibet extensionem, vel intensionem possunt vnica productione produci, ergò si possunt in infinitum

nitum

nitum extendi, vel intendi, posset infinita intensio, & extensio simul produci, ergò posset dari infinitum in actu, & categorematicum, quòd est falsum. Antecedens probatur primò ex Sco.3. loc.cit. C. quia possibilitas ad talem, vel tantam formam non est possibilitas ad aliquid tantum in fieri, sed ad aliquid in facto esse, secundò probatur antecedens ex eodem Sco. loc.cit. quia omnes potentiæ, quæ sunt in maioritate quantitatis sunt vnius potentiæ demonstratæ vel determinatæ; idest in maioritate quantitatis est vna potentia ad supremum actum, in quo continentur omnes actus, ad quos sunt illæ multæ potentiæ, quarum vna reducitur ad actum post aliam cuiusmodi non est in diuisione continui, quia vnum continuum non potest vnica diuisione diuidi secundum omnes partes.

Secundò probo conclusionem quo ad intensionem ex Sco.p.d.2.q.2.BB. & 2.d.3.q.7.F. quicquid potest habere perfectionem infinitam habet eam, si igitur potest qualitas intendi in infinitum, ergò qualitas habebit intensionem infinitam actu, quòd est falsum. Hæc sunt principia Sco. diuersis in locis, vt ostendam ipsum non esse problematicum, sed esse semper conformem.

Contra arguunt Primò Meld. & Cat. ibi num.34. probando, quòd in creaturis datur infinitum Syncategorematicum secundum essentiam, & quòd non potest dari summa creatura; Non repugnat infinitum syncategorematicum in perfectione essentiali creaturarum, nec ex parte Dei, nec ex parte creaturarum, ergò potest dari. Antecedens probatur, & primò, quòd non repugnat ex parte Dei, quia habet potentiam infinitam, quæ nunquam adæquari, & exhauriri potest, quantumcunque à creatura participetur. Non repugnat ex parte creaturarum, quia per hunc processum in infinitum nunquam perueniemus ad aliquam speciem actu infinitam, sed quæcunque assignata erit limitata, & concludunt, quòd hic pro-

cessus

cessus in infinitum fundatur in perfectione infinita Dei.

Respondeo ad hoc argumentum, quòd reputant insolubile, quòd repugnat ex parte creaturæ, quæ de se est essentialiter sic determinata per determinationem, vel specificationem, vel limitationem differentiæ vltimæ, quæ vltimatè speciem constituit addita generi ex Sco. 2. d. 3. q. 7. F. quam responsionem, & doctrinam Scoti amplectitur Smisinch.

Contra arguunt num. 36. Tum quia sequeretur quòd potentia generis esset determinata ad tot differentias specificas, & non plures, quòd est falsum. Tum quia data illa suprema specie, adhuc sub illa possunt esse infinitæ species inferioris perfectionis, vt suo genere animalis possibiles sunt infinitæ species Brutorum, quæ nunquam attingunt perfectionem speciei humanæ, & tamen non per hoc natura generica animalis ponitur infinitæ perfectionis. Tum tertiò, quia etiamsi per hoc concluderetur in aliquo certo genere deberi statum in aliqua suprema specie, vt in genere animalis in specie humana, quòd vtique probabilissimum est, ex hoc tamen non sequitur, quòd non possit dari species perfectior extra illud genus, & in tota entis creati latitudine.

Respondeo negando consequentiam, quia licet genus sit determinatum ad talem differentiam specificam, qua perfectior fieri non potest, non est autem per hoc determinatum ad tot differentias, & non plures, quia licet sub genere animalis non possit dari differentia perfectior rationalitate, & per consequens species perfectior homine, non tamen animal determinatur ad tot differentias, & ad tot species, & non plures, cum infinitis enim speciebus in numero potest stare vna suprema species, qua perfectior fieri non potest. Vnde dato quocunque numero specierum, possunt aliæ in infinitum produci, sed data quacunque specie perfecta, non potest alia perfectior produci.

Est

Est status igitur in perfectione, & non in numero specierum, & sic concedo secundum Argumentum, scilicet quòd data illa suprema specie, adhuc sub illa possunt esse infinitæ species, sed nihil contra me. Ad 3. dico, quòd si limitatio differentiæ specificæ concludit in aliquo genere dari speciem supremam, vt ipsi sustineat in genere animalis eadem ratione concludit in omnibus generibus, & in tota entis creati latitudine, quia si secundum Sco. loc. cit. genus animalis limitatur per differentias specificas, & propter hoc in aliquo genere secundum aduersarios concluditur dari vnam speciem supremam, etiam hoc sequitur in alijs generibus, cum sit vtrobique eadem ratio, nullus enim concedens dari per hanc rationem in aliquo genere speciem supremam, potest assignare rationem, quare in alijs generibus hoc non sequatur.

Præterea retorqueo argumentum principale. Si processus in infinitum in essentijs creatis fundatur in perfectione infinita Dei, vt ipsi dicunt, ergò etiam in genere animalis potest dari talis processus, cum respectu cuiuscunque generis perfectio Dei sit infinita, ergò si stante perfectione Dei infinita, potest dari species suprema in genere animalis, ergo et in aliis generibus, quia non repugnat infinitæ perfectioni Dei, quòd detur in generibus suprema species, qua Deus perfectiorem producere non possit. *Retorquetur Arg. Meld. & Cat.*

Secundò principaliter arguunt num. 37. Species se habent sicuti numeri ex Arist. 8. Met. tex. 10. sed in numeris potest dari processus in infinitum; ergò in speciebus.

Respondeo ex Sco. p. d. 17. q. 6. in XX. quòd species, & substantiæ sunt sicut numeri, quia sicuti addita, vel ablata à numero aliqua vnitate variatur essentialiter numerus, ita substantiæ, addito, vel ablato aliquo essentiali variatur ipsa substantia, & hæc est vera intentio Arist. qui loco cit. hæc verba: *Et quemadmodum de numero ablato, aut addita aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem nume-* *Species sunt sicut numeri quomodo intelligitur.*

numerus, sed diuersus etiam si minimum auferatur ; aut addatur , ita nec deffinitio, nec ipsum quodquid erat esse , erit amplius , ablato aliquo , aut addito . Hæc Aristoteles, sed quicquid sit de hoc , concedamus omnimodam similitudinem inter speciem , & numerum , argumentum nihil concludit, & ideò concedo , quòd sicuti in numeris datur processus in infinitum , etiam in specibus , datur autem processus in numeris quoad multitudinem, non quoad perfectionem , quia quantitas non suscipit magis, & minus, sed maius , & minus ex Arist.cap. de Quantitate, ita etiam in speciebus datur processus in infinitum secundum multitudinem , non secundum perfectionem, & sic argumentum non est contra me .

Tertiò . Præfigere potentiæ Diuinæ certum specierum numerum est ipsam certis limitibus coercere , finitam reddere, & exhaurire .

Respondeo . Hoc Argumentum non est ad propositum, quia aliud est loqui de numero specierum , & aliud de perfectione specierum , vtique vt prius dictum est , datur processus in infinitum in numero specierum , non in perfectione , ita quod data vna specie potest aliam producere in infinitum, sed data vna species perfecta, non potest aliam producere perfectionem , sed standum est in quocunque genere ad speciem supremam . Nec hoc est limitare potentiam Diuinam , quæ quantum est ex se , cùm sit infinita, posset perfectiorem speciem in infinitum producere , si talis esset producibilis, est enim in quocunque genere species suprema ex se essentialiter in tali gradu determinata , quæ non potest fieri perfectior . Et si hoc limitaret potentiam Diuinam, vt inquiunt Aduersarij .

Retorquetur Arg. Meld. & Cat.

Retorqueo Argumentum . Datur summa species in genere animalis, & in qualitatibus medijs secundum ipsos, vt dictum est in primo capite , quia perfectior à Deo fieri non potest, ergo , & ipsi potentiam Diuinam limitant , & reddunt

reddunt

reddunt finitam, & imbecillem.

Quartò probant num. 65. quòd possit dari Infinitum syncategorematicum in magnitudine, & extensione. Ignis crescit in infinitum, si continuò apponatur sibi combustibile, vt ait Doctor 2.d.2.q.9. N. ex Philosopho: ergò in magnitudine potest dari infinitum syncategorematicum.

Respondeo hoc argumentum habere aliquam apparentiam, sed secum differt responsionem, quia dicunt, quòd Sco, loquitur ex Philosopho 2. de anima tex. 41. non autem in propria sententia, quia forsan Aristoteles putauit ignem crescere in infinitum, quòd non concederet Scotus.

Contra, Ergò ignis in termino non posset comburere stuppam, quòd est falsum, & ridiculum, ergò si combureret in infinitum, augeretur in infinitum.

Respondeo, quòd ignis combureret, & produceret aliũ ignem, sed stuppam non conuerteret in seipsum, quia esset in termino, nec hoc est ridiculum, quia ridiculum dicerent asserentes medias qualitates non posse in infinitum augeri. Nam quæro ab ipsis, quare hoc mòdo debent dicere, & non aliter, nisi quia sunt in termino, nam si non essent in termino, possent augeri?

Quintò. Posset Deus mundum perpetuare, & singulis diebus eidem quantitati addere vnum palmum, ergò potest illum augere in infinitum.

Respondent alij, & rectè, quòd Deus posset quantitatem augere vsque ad terminum proprium, & si vltra aliam quantitatem crearet, non posset illam præcedenti vnire, quia esset in termino.

Contra arguunt dicentes, quòd hæc est manifesta petitio principij, nos enim dicimus semper posse addi, eo quia nunquam illa magnitudo ad maximum quod sic peruenire potest.

Respondeo, quòd supponunt vnum falsum, scilicet quòd

quantitati possit addi quantitas in infinitum ; quòd est probandum, & non probant.

Sextò. Potest Deus diuidere virgam palmaris latitudinis per partes proportionales in infinitum secundum longitudinem, & addere vnam alteri secundum latitudinem, & illæ partes essent æquales, quia secundum magnitudinem palmarum, ergò potest augere quantitatem in infinitum, consequentia patet, quia tàm possibile est hoc augumentum per partes æquales, sicut est possibilis diuisio per partes proportionales.

Respondeo ad consequentiam, quòd Deus potest augere quantitatem in infinitum, semper accipiendo partes ab alia quantitate per diuisionem, & hic processus in infinitum erit propter diuisionem continui, à quo accipiuntur partes, quia est diuisibile in infinitum. Et si illa quantitas diuisa erit quantitatis palmaris, semper apponendo in infinitum alteri quantitati, nunquam poterit excedere magnitudinem palmarem, & hic casus erit in quacunque appositione per diuisionem. Vnde si vni quantitati palmari secundum longitudinem, vel latitudinem apponendo partes diuidendo alteram quantitatem palmarem, semper quantitas cui apponuntur partes diuidendo alteram quantitatem palmarem, semper quantitas, cui apponuntur partes quantitatis diuisæ augebitur in infinitum, quia quantitas est diuisibilis in infinitum, & illæ partes quæ adduntur secundum latitudinem, vt in Argumento, vtique sunt æqualis longitudinis, non latitudinis, quia sic illa tandem quantitas palmaris consumeretur, quare appositio ista erit secundum partes proportionales non eiusdem quantitatis in eadem ratione appositionis, sed quicquid sit de hoc intelligitur in conclusione, quòd Deus data quacunque quantitate non potest aliam maiorem creare in infinitum, quia omne permanens secundum Sco. loc. cit. superius habet terminum suæ magnitudinis, in quo gradu

posita

posita quantitate, & si Deus possit in infinitum alias, & alias quantitates creare in infinitum, non posset illas quantitati in termino apponere, quia non esset cum alia componibilis.

Septimò probant num.82. quòd in intensione possit dari infinitum syncategormaticum. Nam determinatio qualitatis in supremo gradu, cui non possit fieri additio. Vel prouenit ex parte formæ, vel ex parte agentis, vel ex parte subiecti. Nullum istorum dici potest. Ergo in qualitate potest dari Infinitum syncategorematicum, quòd non proueniat ex parte formæ, probatur, quia nulla forma secundum speciem, quantum est ex natura sua, sibi potius determinat vltimum gradum possibilem in summo, quàm in infimo, qua ratione Doctor 2. d. 2. q. 9. quibus formis negat minimum, eisdem negat maximum. Tum quia tale augumentum non ponit qualitaem extra limites creaturæ. Nec prouenit ex parte agentis, quia est virtutis infinitæ, nec ex parte subiecti, quia est capax cuiuscunque gradus qualitatis.


Ad hoc Argumentum respondet Scotus ex professo 3. d. 13. q. p. I. §. ad tertium, sed prius retorqueo argumentum contra ipsos hic asserentes medias qualitates habere terminum; Nam hoc non repugnat ex parte formæ per rationes adductas, nec ex parte agentis, quia est virtutis infinitæ, nec ex parte subiecti, quia subiectum est capax cuiuscunque gradus qualitatis, ergò qualitates mediæ non habent terminum, quòd ipsi negant. *Respondet Sco. ad arg. Meld. & Cat.*

Si dicant repugnantiam in qualitatibus medijs ab alio prouenire, scilicet ne transeant in extrema, hoc confutatum est primo. Cap. quia quilibet gradus viriditatis est essentialiter distinctus ab albedine, & nigredine.

Respondet igitur Scotus ad argumentum istorum Scotistarum Thomizantium, quòd determinatio qualitatis in summo gradu prouenit ex parte formæ, quia charitas est

quædam participatio Dei, ideò necesse est, quòd secundum aliquem gradum determinatum capiat partem infinitæ perfectionis. Prouenit ex parte efficientis, quia licet sit virtutis infinitæ, efficit tamen de nihilo naturam limitatam. Prouenit ex parte capacitatis subiecti, quia etsi capacitas sit respectu cuiuscunque gradus in forma, non tamen capacitas alicuius finiti est ad formam infinitam, & cum probatur, quòd non prouenit hæc determinatio gradus ex parte formæ in quo stat difficultas. Respondeo negando, quòd forma non minus sibi determinet terminum infimum, quàm summum, & falsum est, quòd Sco. 2. d.2. q.9. neget formis terminum summum, quibus negat infimum: Et cum dicitur, quòd augumentatio in infinitum non ponit qualitatē extra limitē creaturæ concedo, sed gradus additus summo repugnat, potest enim secundum *Sco. ibi* finitum repugnare finito, sicut album non potest addi nigro. Nec valet dicere, quòd gradus qualitatis est eiusdem rationis cum alio, ac propterea vnibilis cum illo, quia tunc est verum, quando qualitas non est in termino. Nec hoc est petitio principij, sed præcisa ratio, cur illi non possit fieri additio. Qualitatibus enim medijs constitutis in termino, vt isti concedunt, non potest fieri additio, & non propter aliam rationem, nisi quia sunt in termino. Sco. etiam ibi dicit, quòd qualitati repugnat additio, quia est in termino. Si Sco. petit principium, & ego.

Falsò citant Sco.



CON-

CONCLVSIO QVINTA.

In Mente Diuina datur Infinitum in Multitudine actu & Categorematicum.

[Est Sco. p.d.2.q.2.Z. §.ostenso proposito, & d.8.q.2.C. & d.14.q.2.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

MEld.& Cat.Disp.x. q.6. sustinent cum aliquibus Scotistis, & Thomistis non dari in mente Diuina infinitum categorematicum, ita quòd omnia illa, quæ intelliguntur à Deo, & omnia possibilia sunt numero infinita, infinita tamen in potentia, & in fine huius quæstionis n. 101. dicunt, quòd in hac re non debemus esse soliciti de mente Sco. quia variè locutus est. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed hæc opinio, nec in via Sco. nec in via ipsorum sustineri potest, & maximo dolore afficior, cum video deffensores Sco. offendere Scotum, dicendo, ipsum varium fuisse, & in doctrina fuisse inconstantem. Fateor hanc conclusionem Scoti habere difficultates, sed quid sentiendum sit in hac doctrina Sco. Aduersarij decipiuntur, & potest confutari eorum opinio omnibus argumentis positis in primo capite primæ conclusionis huius Disp. probando secundum Sco. contra ipsos infinitum Categorematicum, & Syncategorematicum differre tantum secundum modum essendi in & actu, in potentia, vt videre est diffusè in Sco. quol.5.A.

Arguitur tamen primò ex Sco. p. d. 2. q. 2. Z. vbi habet Deum intelligere infinita actu, & probat; nam quæcunque sunt infinita in potentia, ita quòd accipiendo alterum post alterum nullum possunt habere finem, illa omnia si simul sunt in actu, sunt actu infinita, sed omnia possibilia *Cõfutatur.*

in

in infinitum sunt actu in mente Diuina, ergò actu infinita: ergò in mente Diuina datur infinitum in multitudine actu, & categorematicum.

Responsio Meld. & Cat. Respondent, quòd ibi Sco. vult tantum probare, quòd intellectus Diuinus est infinitus, vt docet ipse Scot. p. d. 3. q. 2. H. vbi explicat quomodo intellectus Diuinus intelligat infinitum in potentia.

Cõfutatur. 1. Sed hæc responsio aufugit efficacitatem Argumenti, nam Sco. probat intellectum Diuinum esse infinitum per hoc, quòd intelligit infinita actu, nec est ad propositum, quomodo Deus intelligat infinitum in potentia, sed debent respondere ad illam rationem, quòd quæ sunt infinita in potentia, si actu essent, essent infinita actu. Et quòd hæc propositio non sit à Scotistis ponenda in dubium, patet quia dicit Scotus, quòd est euidens, probat tamen hoc pacto; omnia acceptibilia, quando sunt simul existentia, aut sunt actu finita, aut actu infinita, si actu finita, ergò accipiendo alterum post alterum, tandem possunt omnia actu esse accepta, ergò si non possunt omnia esse actu accepta, si actu simul sunt, sunt actu infinita.

2. Præterea ibi Sco. probando, quòd intellectus Diuinus sit infinitus probat per hoc, quòd cognoscit infinita, non in potentia, sed actu, habet enim hæc verba. *Intelligibilia sunt infinita. & hoc actu in intellectu omnia intelligente; ergò intellectus simul illa actu intelligens est infinitus, talis est intellectus Diuinus.* Hęc Sco. qui apertè, & clarè dicit intelligibilia in intellectu Diuino esse infinita actu, quia actu simul intelliguntur.

Contradictio Meld. & Cat. Præterea Meld. & Cat. non memores dicendorum in hac quæstione, dicunt in hac Disp. num. 38. quòd Deus cognoscendo omnia possibilia, cognoscit infinita actu, & si produceret omnia possibilia in infinitum, produceret infinitum actu, ergò secundum ipsos datur in mente Diuina Infinitum categorematicum, & ita sibi contradicunt.

Præ-

Præterea infinito non poteſt fieri additio, ſed obiectis cognitis à Deo non poteſt fieri additio, quia non datur obiectum cognoſcibile, quod à Deo non cognoſcatur, ergò obiecta cognita à Deo ſunt actu infinita in eſſe obiectiuo, & cognito; ergò in mente Diuina datur infinitum actu, & categorematicum.

Reſpondent ibi num. 100. quòd craturis cognitis à Deo non poteſt fieri additio, ſed talis repugnantia non oritur ex ratione intrinſeca talis multitudinis, ſed aliunde, quia nimirum aliæ creaturæ poſſibiles non ſunt. Vnde ſi aliqua entia impoſſibilia euaderent poſſibilia, poteſt illi multitudini fieri adddítio. *Reſponſio Meld. & Cat.*

Hæc reſponſio confutata eſt prima concluſione huius Diſp. Arguo tamen contra ipſos tali pacto. Si omnia impoſſibilia fierent poſſibilia, & poſſibilia, & impoſſibilia ſimul actu eſſent, ipſis non poſſet fieri additio, ergò eſſent actu, & categorematicè infinita, conſequentia patet. antecedens probatur, quia omnia quæ imaginari poſſunt, vel ſunt poſſibilia, vel impoſſibilia, ſed neutris illorum poteſt addi, quia ſupponitur quodcunque ſimul eſſe, ſubinfero, ſed omnia poſſibilia, & impoſſibilia actu cognoſcuntur à Deo, & ſunt in mente Diuina poſſibilia directè, & impoſſibilia indirectè, ergò in mente Diuina datur Infinitum categorematicum. *Cõfutatur.*



Senten-

Sententia Auctoris. Caput Secundum:

In Mente Diuina datur Infinitum in Multitudine actu & Categorematicum.

Est Sco.p.d.2.q.2.Z §.ostenso proposito,& d.8.q.2.C. & 3.d.14.q.2.

PRo cuius declaratione. Primò Notandum, quòd ideò dicendum est cum Sco. in mente Diuina dari infinitum actu, & categorematicum, quia omnia quæ à Deo cognoscuntur sunt infinita, & licet quoad existentiam sint infinita in potentia, quia producta vna creatura, potest alia in infinitum produci, & nunquam omnia possibilia possunt esse actu simul producta, possunt tamen omnia esse actu cognita à Deo, & licet possit esse distinctio de obiectis cognitis à Deo, vel scientia simplicis intelligentiæ, quomodo directè cognoscuntur possibilia, & indirectè impossibilia, vel scientia visionis, quo modo futura cognoscuntur, loquor tamen absolutè de possibilibus, licet futuræ cogitationes hominum, vel Angelorum per totam æternitatem infinitæ in potentia sint à Deo simul cognitæ, & per consequens actu in mente Diuina infinitæ, & Scotus est ita firmus in hac opinione, quòd disputando in 3.Sent.d.14.q.2. An Anima Christi videat omnia in verbo problematicè discurrit, & dat tres modos concludendo problematicè, quòd anima Christi videt omnia habitualiter, non actualiter, quia habet actum in verbo, in quo omnia relucent in actu primo, scilicet quia Verbum est quoddam speculum ostensiuum omnium cognoscibilium, in quo potest non simul actu, sed omnia in infinitum cognoscere, & non alia de causa non se determinat, quia supponit intelligibilia actu infinita, ac propterea si anima Christi

Ostenditur quòd Sco. est firmus quoad infinitatẽ in actu in mẽte diuina.

Christi actu intelligeret omnia intelligibilia, intelligeret infinita actu, & sic anima Christi esset infinita, quod est falsum.

Secundò Notandum, quòd licet esset terminus in speciebus quoad multitudinem, tamen in vnaquaque specie concedenda sunt infinita indiuidua in potentia, quæ si actu essent, Infinita actu essent secundum Doctrinam Scoti p.d.2.q.2.Z.& quol.5.A. & quia omnia sunt actu cognita à Deo, dicendum est, quòd in mente Diuina sunt tot infinita, quot sunt diuersæ species, & per consequens multitudo vna non potest addi alteri, quia infinitum non est vnibile, & componibile cum alio. Vnde Meld.& Cat. dicentes, quòd licet possibilibus non possit fieri additio, quia non datur aliud possibile, tamen si aliqua impossibilia fierent possibilia, tunc illa possunt addi possibilibus, minus doctè loquuntur; nam cum impossibile non possit fieri possibile, impossibilis est simpliciter additio omnibus possibilibus. Tamen, etsi alia essent possibilia, dummodò essent diuersæ rationis, illa non possent addi infinitis possibilibus vlterius rationis, & sic possibilia in genere sunt infinita, quia illis non potest fieri additio alicuius possibilis, possibilia autem in specie pariter sunt infinita, quia illis non potest fieri additio alicuius possibilis in illa specie. *Improbatur dictũ Meld. & Cat.*

Tertiò Notandum ex Sco. p. d. 3. q.2. H. quòd infinitum potentiale est ignotum, quia vnumquodque est cognoscibile in quantum est in actu, non tamen est ita ignotum, quòd repugnet sibi intelligi ab intellectu infinito, sed non potest infinitum potentiale cognosci ab aliquo intellectu cognoscendo ipsum sub modo suæ infinitatis, qui modus est accipiendo alterum post alterum, & intellectus qui cognoscit hoc modo alterum post alterum, cognoscit semper aliquod finitum, & non infinitum. Intellectus tamen infinitus potest cognoscere totum illud simul, non par- *Infinitum potentiale est ignotũ intellectui finito, non infinito.*

tem post partem, & non loquitur ibi Sco. de parte continui; sed de parte Infiniti in multitudine, quia omnes partes proportionales non potest Deus assignare, nec cognoscere, quia vnaquæque est diuisibilis in infinitum, nec potest dari status ad partem indiuisibilem, quia repugnat continuo, nec per hoc sequitur, inquit, Sco. quòd intellectus finitus, & creatus non possit cognoscere infinitum, quia sic non posset cognoscere Deum, nam diuersa est ratio de Infinito obiecto numeraliter, & secundum multitudinem, & de obiecto infinito in intensione, cuiusmodi est Deus. Nam inquit ibi Sco. quòd cognitio obiectorum infinitorum numeraliter concludit infinitatem potentiæ cognoscentis, quia pluralitas ex parte obiecti concludit maioritatem virtutis in intellectu, sed intellectio alicuius infiniti intensiuè non concludit infinitatem actus, quia non oportet actum habere talem modum, qualem habet obiectum, quia actus sub ratione finiti potest esse ad obiectum sub ratione infiniti, nisi sit actus comprehensiuus, cum autem actus comprehensiuus sit ad obiectum secundum omnem intelligibilitatem eius, & quia obiectum est intelligibile infinito modo, actus comprehensiuus obiecti necessariò erit infinitus, ac propterea intellectus finitus licet possit intelligere Deum, non potest tamen ipsum comprehendere, quia non potest intelligere Deum infinito modo. His notatis.

Probatur conclusio omnibus argumentis in primo cap. positis, & potest adhuc sic confirmari, ex Sco. locis cit. in principio, vbi ostendit intellectum Diuinū esse infinitū, quia cognoscit simul infinita. Si obiecta cognita à Deo sunt actu finita, ergò intellectus Diuinus simul illa cognoscendo non erit propter hanc rationem infinitus, probatur consequentia, quia si cognoscere simul duo dicit perfectionem, & simul tria maiorem perfectionem; ergò cognoscere simul finita actu diceret semper perfectionem finitam.

tam, ergò non erit in intellectu infinita perfectio, nisi quia cognoscit actu infinita, ergò in mente Diuina erit actu infinita multitudo cognoscibilium.

Secundò probatur communiter, quia præsentia, vt præsentia sunt actu secundum illud esse, quo præsentia sunt, & non in potentia, sed omnes creaturæ possibiles sunt præsentes intellectui Diuino, ergò non possunt habere esse in potentia, ergò si sunt infinitæ, sunt infinitæ actu, & si sunt infinitæ actu, Deus non potest illas cognoscere in infinitum, sed actu omnia simul.

Contra arguunt primò Meld.& Cat.ibi num.95. Deus res omnes cognoscit sicuti sunt; ergò sicut extra nulla Infinitas Categorematica rebus competere potest, ita nec in mente Diuina, & sicut eztra possibiles sunt finitæ in infinitum eo modo cognoscuntur à Deo vt finitæ in infinitum, probatur, quia nunquam verum est dicere. Deus infinita cognoscit; sed solùm non tot cognoscit possibilia, quin adhuc plura cognoscat, vel non cognoscit tantam magnitudinem possibilem, quin adhuc cognoscat maiorem.

Respondeo, quòd Deus cognoscit res, sicuti sunt, idest cognoscit omnes res secundum propriam intelligibilitatem simul actu præsentes, & istas res simul præsentes esse possibiles extra in infinitum, sed negatur consequentia, quia licet extra repugnent simul esse non tamen repugnant simul esse in mente Diuina, & sicuti extra sunt possibiles finitæ in infinitum, ita cognoscit illas esse à parte rei finitas in infinitum, sed sicut omnia possibilia in infinitũ, si ponantur simul actu esse, sunt actu infinita ita cognoscit illa esse actu infinita, & cum probatur, quòd non, nego quòd non sit verum dicere, quòd Deus infinita cognoscat aliter Sco. ex infinita multitudine cognitorum non rectè inferret infinitatem intellectus Diuini, & falsum est, quòd Deus non tot possibilia cognoscat, quin aphuc plura, & tantam magnitudinem possibilem, quin adhuc cognoscat maiorem, quia possibilium non datur

maior multitudo, nec maoir quantitas quantitate possibili.

Secundò. Si res successiuæ possibiles infinitæ forent in intellectu Diuino, tunc continuum esset obiectiuè diuisum in mente Dei, & sic sequeretur à parte rei ex indiuisibilibus constare, quia Deus intelligeret partes non vlterius diuisibiles, & hoc est præcipuum fundamentum Durandi, quem sequuntur Meld. & Cat. qui reputant hoc argumentum insolubile.

Respondeo faciliter negando consequetiam, quia Deus cognoscendo diuisibilitates, quæ possunt fieri de continuo in infinitum, non cognosceret continuum diuisum in partes non vlterius diuisibiles, quia repugnat parti continui esse induiuisibilem. Vnde quælibet pars assignabilis alicuius continui importat infinitatem in potentia secundum diusionem, ac propterea non potest cognosci, nisi diuisibilis in infinitum, si enim Deus in præterita æternitate diuisisset continuum, & diuideret in futura æternitate, semper diuisisset, & diuideret in partes in infinitum diuisibiles, & sic cognosceret simul ills diuisiones præteritas, & futuras in æternitate, non tamen cognosceret continuum diuisum in partes indiuisibiles, quia non dantur, sed in partes diuisibiles. In proposito, quælibet pars multitudinis possibilium non est infinita in potentia, sed solum tota multitudo in ordine ad extra est sic infinita. Ideò quælibet pars, seu vnitas & numerus possibilium totus potest esse simul actu præsens intellectui Diuino, non autem quælibet diuisio, nam datis infinitis diuisionibus alicuius continui, adhuc partes diuisæ erunt infinitum diuisibiles, & sic Deus in continuo cognoscit infinitas diuisibilitates in partes diuisibiles in infinitum, non sequitur ergò, quòd Deus intelligeret partes non vlterius diuisibiles, quia hoc repugnat continuo, si enim continuum esset diuisibile in infinitum in partes non amplius diusibiles, tunc omnes partes,

& di-

& diuisibilitates, & diuisiones simul actu cognoscerentur à Deo, quia aliæ partes illius continui, & aliæ diuisibilitates, & diuisiones, non essent possibiles, numerus autem, quia componitur ex vnitatibus, quæ non amplius diuiduntur in infinitas vnitates, ideò Deus cognoscit omnes partes numeri infiniti in potentia, & totum numerum simul actu, quo maior numerus dari non potest, quia cognoscit omnem numerum possibilem, non cognoscit autem omnes partes diuisas sic, quòd non possint aliæ diuisæ esse, quia quælibet pars est diuisibilis in infinitum in partes semper diuisibiles.

Tertiò. Repugnantiæ quæ inueniuntur in infinito extra, reperiuntur etiam in infinito in mente Diuina. Nam semper quærendum manebit, quot partes, vel vnitates sint in tali infinito, & an sint tot binarij, quot vnitates, & an totum mente conceptum sit maius sua parte, & an ei possit fieri additio, vel detractio?

Respondeo negando quòd eadem repugnantia inueniatur in infinito in mente Diuina sicuti in infinito, si daretur extra, & cum probatur dico, quòd infinitæ vnitates, & infiniti binarij sunt in mente Diuina, & quòd totum esset maius sua parte, quia numerus infinitus est maior binario, vel ternario. Nec posset sibi fieri additio, vel detractio, quia vt dictum est in hac Disp. conclusione 2. vltra quodcunque possibile non datur aliud possibile, nec potest detrahi, quia possibile ex sui natura est tale, nec potest fieri impossibile.

Quartò. Sco. q. 3. prol. AA. dixit in mente Diuina intelligibilia non esse actu infinita: ergò hæc conclusio ad mentem Sco. sustineri non potest.

Respondeo negando quòd Sco. dicat, quòd in mente Diuina non sint actu infinita intelligibilia, sed dicit, quòd loquendo de Theologia nostra, illa est de omnibus scibilibus, quia scibilia non sunt infinita. Vnde scibilia possunt

consi-

considerari dupliciter ex Sco. p. d. 3. q. 2. A. Vno modo in ordine ad intellectum Diuinum. Alio modo in ordine ad intellectum nostrum, & considerentur in ordine ad intellectum Diuinum sunt infinita actu, quia actu simul cognoscuntur, quæ sunt cognoscibilia in infinitum, si verò considerentur in ordine ad intellectum nostrum sunt finita, quia cognoscit vnum post aliud, & qui cognoscit hoc modo semper cognoscit finitum. Vnde scibilia in ordine ad intellectum nostrum sunt infinita tantum in potentia, quia intellectus noster vnum cognoscit post aliud in infinitum, sed sunt finita actu, quia non potest omnia simul actu cognoscere, aliter intellectus noster esset infinitus; Deus autem omnia scibilia actu simul cognoscit, ideò in mente Diuina sunt infinita. Finis.



Dispu-

Disputatio Tertia De Loco.

CVm in prima parte mearum Disputationum Philosophicarum decreuerim non dari de facto Philosophiam in se, sed esse possibilem dari apud intellectum potentem intelligere substantias abstractas sub propria ratione, non tamen pro statu isto, sed tantum apud Peripateticos Philosophiam sectantes Aristotelis, qui tales substantias non cognouit, nisi immobiles quoddam esse Deos existimans, ideò tantum de corpore naturali, & eius passionibus cum Aristotele consideraui, & licet intelligentiæ, & Angeli verè sint mobiles, & motus earum ad Physicum pertinere possit, quia tamen sub obiecto Philosophiæ traditæ, quòd corpus naturale statuitur, non continentur. Ideò solum de passionibus corporis, & per consequens de loco corporum erit ibi differendum, & vt à Modernis quibusdam dissentiam, qui vt volumina magnificent articulos multiplicant. Ego declarando quid sit locus vnica conclusione determinabo non esse spatium, nec situm, sed tantum superficiem, & quòd superficiei munera loci conueniant, vt patebit in notabilibus, & responsionibus ad argumenta.

CONCLVSIO PRIMA.

Locus est Vltimum Corporis continentis immobile primum, idest est superficies corporis continentis immobiliter, & adæquatè, seu proximè locatum.

Est Aristot.4.Phys.tex.41. & Sco.2.d.2.q.6.D.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld.& Cat.Disp.11.Phys.q 2.a.p. eandem sustinent conclusionem, sed in doctrina eorum non potest sustineri, quo superficies sola sit locus, nam disp. 4. Phys. loquendo de essentia quantitatis, dicunt substantiam materialem sine quantitate esse extensam, longam, latam, & profundam, & ibi sustinent solam supeficiem, & non aliud esse locum, qui nulli competit continere locatum, nisi superficiei. Hoc supposito, sic Arguo.

Cõfutatur.

Cui conuenit continere locatum, illi conuenit etiam ratio essentialis loci, sed superficiei tantum non conuenit continere locatum, ergò tantum superficies non est locus, maior patet, quia de ratione essentiali loci est secundum ipsos, sola continentia locati, minor probatur, quia etiam substantia materialis seclusa quantitate, & per consequens sine superficie continet locatum, & loquor de continentia circumscriptiua, & probatur. Aliquid tanquam locum continere locatum circumscriptiuè, non est, nisi locatum commensurari, vt totum locatum correspondeat illi, in quo est, & pars parti etiam secundum istos Doctores in hac disp. q. p. art. 2. in fine, sed corpus locatum potest ita commensurari, vt totum correspondeat toti substantiæ materiali sine quantitate, & pars parti, quia substantia materialis sine quantitate supponitur ab istis Doctoribus exten-

sa,

sa, longa, lata; & profunda, ergò substantia materialis seclusa quantitate poterit actualiter continere corpus locatum, ergò potest habere rationem loci, ergò non soli superficiei, sed etiam in doctrina istorum substantiæ materiali sine quantitate poterit ratio essentialis loci conuenire.

Si dicas, quòd vtique talis substantia materialis contineret corpus penetrabiliter, non impenetrabiliter, locus autem est continens impenetrabiliter, cuiusmodi est sola superficies.

Contrà. Penetrabilitas, & Impenetrabilitas sunt differentiæ contrahentes continentiam localem circumscriptiuam secundum istos Doctores disp.8.log.q.12.art.2.n.211. ergò continentia localis circumscriptiua ab impenetrabili & penetrabili abstrahit, & conseruatur ratio essentialis loci circumscriptiui in sola continentia circumscriptiua. *Tacita responsio cõfutatur.*

Præterea data substantia materiali extensa sine quantitate posset dari locus, & corpus locatum circumscriptiuè sine superficie concaua, vel conuexa. Nam si darentur duæ substantiæ materiales sine quantitate vna posset esse in alia circumscriptiuè, quia esse circumscriptiuè in aliquo, vt in loco, est esse præsens illi extensiuè ex Sco. quol.11.I. & est vera propositio communiter, sed data hypothesi vna substantia materialis esset præsens alteri extensiuè, ergò esset in illa tanquam in loco circumscriptiuè. Quare, vel tenentur concedere contra Aristotelem, quòd non sola superficies est locus, vel quòd substantia materialis sine quantitate non est extensa, vt fusius probaui in Disp.de Continuo, & quòd per consequens non detur vbi circumscriptiuum naturaliter penetrabile ab ipsis inuentum, à Sco.nunquam excogitatum. *Ad hominem.*

Probo etiam in doctrina ipsorum solam superficiem non esse locum, sed etiam spatium, vel aliud, quòd improbapt in hac Disp.q.p.art.p.nam ibi nu.7. ostendentes con- *2. Ad hominem.*

tra quosdam situm in ordine ad polos non esse locum, vt hic de loco, secundum veram significationem loquuntur, dicunt, quòd talis situs non potest esse locus, eo quia si totus orbis moueretur à Deo per spatium immaginarium, seruata naturali dispositione elementorum, & corporum, vt nunc iacent, tunc corpora inter Cælum, & terram locum mutarent, & non positionem.

Tunc sic arguo. Si data hyppothesi corpora inter Cęlum, & terram locum mutarent, ergò ab vno loco recederent, & alium aquirerent, sed non recederent à superficie in qua erant, nec aliam superficiem aquirerent, quia supponuntur remanere in eadem dispositione, & superficie, quam prius habebant, ergò aliud præter superficiem erit locus, à quo recederent, & quod aquirerent, quod non potest esse, nisi spatium.

Si dicant, quòd non erit spatium, quia vanum est recurrere ad nihil, tanquam ad locum, quæro quid sit illud. Non est superficies, vt probatum est, non spatium, ergò aliquid aliud à superficie, & spatio, quòd semper est contra ipsos.

Tacita responsio cõfutatur. Si dicant, quòd illud, à quo recederent, & illud, ad quod accederent essent partes virtuales Diuinæ essentiæ, ergo istæ partes virtuales essent propriè locus, vt hic de loco loquimur, ergò non sola superficies. Vnde sustinentes locum esse situm, & ordinem ad polos, & centrum, dicerent, quòd data hyppothesi, quòd Deus moueret totum mundum de vno spatio imaginario ad aliud spatium imaginarium, seruata eadem dispositione, et situ ad polos, & Centrum, tunc corpora inter Cælum, & terram non mutarent locum realem, sed tantum imaginarium, quia sic recederent à tali spatio, & sic perderent præsentialitatem ad illud, & accederent ad aliud spatium imaginarium, & sic aquirerent aliam præsentiam ad aliud spatium.

Si dicant, quòd loquuntur de motu locali impropriè, quando asserunt corpora inter Cælum, & terram localiter

moueri

moueri manentibus ipsis in eadem superficie; & situ ad polos, & centrum, supposito quòd Deus totum orbem moueret per spatium imaginarium, ergò talia corpora in eodem proprio loco remanerent, & sic eorum ratio nihil probaret contra ponentes situm ad polos esse propriè locum, ergò dicendum est, quòd isti Doctores nihl probant, vel quòd tenentur dicere, quòd aliud præter superficiem sit propriè locus.

Secundò dicunt, quòd immobilitas non est de essentia loci, quia Vas habet rationem loci, & tamen est mobile. *Secundum dictū Mel. & Cat. confutatur.*

Sed isti Doctores more solito sibi contradicunt, quia in hac disp. num. 27. habent, quòd Cymba cum Romam peruenerit in eodem loco non erit, quia superficies aquæ immediatè circundans ipsam, non habet rationem loci, sed Vasis.

Tunc sic arguo. Si Vas habet rationem loci, ergò superficies aquæ immediatè circundans Cymbam erit locus; ergò erit in eodem loco.

Si dicas, quòd Vas habet rationem loci essentialiter, non quoad connotatum, quòd est immobilitas.

Contra. Ergò Cymba cum Romam peruenerit erit in eodem loco essentialiter, ergò mutabit locum accidentaliter tantum, e non essentialiter.

Præterea quandocunque duo sunt idem omninò essentialiter, quicquid competit alicui secundum illam rationem essentialem in qua conueniunt, alteri non repugnai, patet per primam regulam antepraedicamentalem, sed locus, & Vas conueniunt essentialiter in ratione loci, ergò quicquid competit loco secundum rationem loci, vasi non repugnat, sed loco secundum rationem loci conuenit immobilitas ex ipsis ibi n. 35. ergò immobilitas Vasi non repugnat, quòd est contra Aristotelem, & ipsos.

Si dicant, quòd immobilitas conuenit loco secundum

rationem non essentialem, sed integram, scilicet ratione connotati.

Arguo vt prius. ergò loco essentialiter non repugnat mobilitas, quòd est falsissimum.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Locus est Vltimum Corporis continentis immobile primum, idest est superficies corporis continentis immobiliter, & adaquatè, seu proximè locatum.

Est Arist.4.Phys.tex.41.& Scoti 2.d.2. q.6.D.

PRo cuius declaratione Primò Notandum supponendum esse dari locum ex Arist.4.Phys.tex.1. quia datur motus localis, qui non potest esse nisi ad locum, moueri enim localiter est aquirere nouum locum, secundum quem locatum aliter se habet in ordine ad quiescens, si aliquod quiescens esset, vel ad spatium; & hoc vel secundum se totum, vel secundum partes, & dicitur secundum partes propter Cœlum, quòd non mouetur secundum se totum, sed tantum secundum partes, quia aliqua pars Cęli modo plus distat ab aliquo quiescente, quàm prius, vel à spatio, & loquitur ibi Aristot. de loco reali qui est ens reale continens realiter locatum, non de loco imaginario, qui est spatium negatiuum, vel immaginarium, cui aliquid est præsens tanquam loco. Vnde malè dicunt Meld. & Cat. dari duplex vbi, scilicet locale, & præsentiale, quasi quòd aliquid sit præsens alicui spatio, & non in loco, accipientes hanc Doctrinam à Tatareto q.p. de loco art.p. quæ est contra ipsos asserentes, quòd si Deus moueret totum mundum in spatio imaginario, corpora inter Cęlum, & Terram in eadem dispositione, & in eodem continente manentibus, mutarent locum, quòd non potest esse nisi quia mutarent præ-

Duplex locus, & quid sit improbando dictum Meld. & Cat.

præſentiam ad diuerſum ſpatium imaginarium, & per conſequens ſpatium imaginarium erit etiam ſecundum ipſos locus non realis, ſed negatiuus, vel imaginarius, licet vbi ſit realis ex parte rei præſentis, vt dicetur in proprio loco loquendo de Vbi locali.

Secundò Notandum, quòd ſpatium, & medium eſt duplex ex Sco.quol.11.E.F. Vnum poſitiuum, & actuale, & eſt ſpatium ſimul cum corpora inter duo corpora diſtantia. Aliud negatiuum, & potentiale, & eſt illud, in quo poteſt tantum corpus intercipi, quantum eſt illud corpus quod intercipitur, quando medium eſt actuale, & plenum, & neutrum medium eſt eorum, quæ tangunt ſe, & ſunt ſimul, latera autem vacui, & ſi non haberent medium actuale haberent tamen medium potentiale, & priuatiuum, quia Vacuum caret tanto medio.i. corpore, quantum poſſet intercipi inter illa extrema. Vnde differentia inter vacuum, & ſpatium ſimpliciter negatiuum poteſt eſſe, quia vacuum dicit in ſuperficie carentiam corporis inter later eius, ſpatium verò ſimpliciter negatiuū dicit negationem corporis, quæ cum ſit negatio extra genus nullum requirit ſubiectum ex Sco.p. d.23. q. vnica H. Vnde differt negatio in genere à negatione extra genus, & à priuatione ex Sco. loc. cit. Nam priuatio requirit ſubiectum aptum, vel ſecundum ſe, ſi eſt priuatio ſecundum ſe, vel ſecundum genus, ſicut Talpa dicitur cæca, non vt talpa eſt, ſed vt animal, quia talpæ non poteſt ſecundum ſe conuenire viſio, qua ſit priuata, ſed ſecundum quod animal eſt, priuata eſt viſione, & conſequens ceca. Negatio extra genus nihil requirit abſolutè, quia æqualiter dicitur de ente, & de non ente, & ſic negatio corporis non dicitur de ente, eo quod non eſt corpus, ſed de non ente, ſicut eſt ſpatium negatiuum, quod nihil eſt, dicitur tamen negatio corporis. Negatio autem in genere quaſi mediat, quia requirit ſubiectum, de quo dicatur, non autem aptitudine ad formam, vt negatio

2. ſpatium & quid ſit.

Differētia tia inter ſpatiū negatiuū, & vacuum.

Differētia inter negationem in genere, extra genus, & priuationem.

viſio-

visionis est in lapide, non tamen lapis dicit aptitudinem ad visionem.

Locus accipitur dupliciter.

Tertiò Notandum, quòd locus potest accipi dupliciter. Vno modo pro materiali. Alio modo pro formali. Locus pro materiali est illud, quòd continet locatum, vt superficies loquendo de loco reali, vel spatium imaginarium terminans præsentiam locati, loquendo de loco negatiuo, & imaginario, sed locus realis pro formali erit relatio continentiæ, fundata in superficie continente ad locatum cum respectu præsentialitatis ad aliquid immobile fundato in relatione continentiæ, & terminato ad illud immobile. Non enim est inconueniens relationem fundari in Relatione, vt dicetur Disp. de Motu, qui formaliter dicit respectum subiecti ad formam, qui respectus fundat alium respectum informationis ad non informationem, in quo consistit etiam formalitas motus, sicut etiam locus formaliter, & completiuè dicit talem præsentialitatem ad immobile, secundum quam solùm à Vase formaliter, & essentialiter distinguitur. Quicquid dicant Meld. & Cat. sed locus negatiuus, & imaginarius pro formali, cum nullam dicat relationē realē ad locatum, vel erit relatio rationis fundata in spatio imaginario, & negatiuo, idest in negatione corporis, & terminata ad locatum, vel erit ipsamet relatio præsentialitatis locati, quatenus terminatur ad spatium. Eadem enim relatio denominat suum terminum, ac si in ipso esset relatio opposita. Relatio enim creaturæ ad Deum denominat ipsum realiter Creatorem, ac si in ipso esset relatio opposita creationis actiuæ ex Sco.p.d 30.q.p.& 2.I.ex Diuo Aug.5.de Trinitate cap.16.& vlt.Quare cum locus sit aliquid concretum, & denominatiuum forma denominans erit locus pro formali, sed quia est ibi sermo de loco reali corporum ad mentem Aristot. dicendum est, quòd locus pro materiali est superficies, & pro formali est relatio continentiæ loci ad locatum, quæ relatio fundat aliam relatio-

Improbatur dictum Meld. & Cat.

lationem præsentialitatis ad aliquid Immobile, secundum quam locus est immobilis, & essentialiter à Vase distinguitur, quæ verò sit ista præsentialitas, & quomodo locus sit Immobilis dicetur in sequenti conclusione.

Quid locus proprius, & communis. Quartò Notandum, quòd locus est duplex ex Aristot. 4. Phys. tex. 14. Proprius, & communis; Proprius est qui adæquatè continet vnum locatum tantum, vt locus Francisci. Locus communis est, qui plura, vel omnia corpora continet, vt Aer, vel Cœlum, & Vterque est duplex, scilicet actualis, qui actualiter continet locatum, & potentialis, qui potest locatum continere, sicut continentia, quæ est formale loci. Alia est actualis, secundum quam aliquid dicitur actualiter locus. Alia potentialis secundum quam denominatur potens locare. Modò Meld. & Cat. in hac disp. q. p. num. 20. quærunt cum alijs Neotericis, an hæc continentia, in qua formalitas loci consistit debeat poni actualis, vel potentialis, loquendo de loco absolutè sumpto, vt abstrahit ab actuali, & potentiali. Aliqui dicunt, quòd debet poni potentialis, sed Meld. & Cat. dicunt requiri continentiam actualem, & esse de mente Scot. 2. d. 2. q. 6. G. *Improbatur dictum Meld. & Cat.* sed vana est huiusmodi quæsto, quia cum locus absolutè sumptus abstrahat ab actuali, & potentiali, & sit velut genus loci actualis, & potentialis, & actualis continentia sit de ratione loci actualis, & continentia potentialis sit de ratione loci potentialis, est quærere, an ratio inferioris conueniat superiori, quòd est ridiculum, cum certum sit apud Peripateticos, inferius vtique includere rationem superioris, sed non è conuerso, quia Animal non potest esse substantia animata rationalis, & Sco. loc. cit. loquitur non de loco absolutè sed de loco actuali, hæc enim sunt verba illius. *De secundo dico, quòd supposito primo, corpus quantum est in loco, in actu, quia in præciso continente actualiter, non enim potest esse in loco, quin istud vltimum, quod est proximum continens faciat esse in actu, quia facit latera corporis*

ris continentis distare, secus est de parte in toto, quæ non facit superficiem in potentia continentem ipsam esse in actu, & ideò non est pars in toto, sicut locatum in loco. Hæc Scotus, qui post quam probauerat primo corpori conuenire esse in loco, nunc secundo probat sibi conuenire esse actu in loco. Vnde loco absolutè sumpto competit continentia absolutè accepta, vt abstrahit à continentiá actuali, & potentiali, superficiei autem cum accidat ipsam esse locum, & ratio loci in communi non possit esse per se, & solitariè aliter darentur vniuersalia separata à singularibus, erit locus aliquando actualis, cum actualiter continet corpus, aliquando potentialis, quando non continet actualiter corpus, est tamen potens ipsum continere, & sic non est inconueniens quòd baculus extractus ex aqua sit potentialiter in aqua, tanquam in suo loco potentiali, sicut aqua posset baculum ab ipsa extractum recipere.

Attributa loci. Quintò Notandum ex Arist. 4. Phys. tex.30. multa loco conuenire. Primò, quòd locus continet primo locatum, idest proximè, & immediatè ex Sco.quol.11.H.& hoc competit loco, non vt locus est, sed vt locus est proprius, & adæquatus. Secundò quòd locus non est aliquid rei locatæ, neque sicut pars, vt materia, & forma, nec vt aliquid inexistens, vt accidentia, nec vt sibi adiacens, vel aliquo alio modo, sic quod cum ipso locato necessariò moueatur, vt vestis, & ea, quæ sunt circa corpus adiacentia. Tertiò, quòd locus non sit maior, vel minor locato secundum continentiam; idest quòd sit æqualis locato, sic, quòd locus commensuretur ei secundum longitudinem, & latitudinem, ita vt locatum aliud non possit ab illo loco contineri, nec ille locus possit aliud corpus continere, naturaliter loquendo, quia, vt dicetur in propria conclusione, duo corpora possunt supernaturaliter esse in eodem loco proprio, & adæquato, & superfluum est dicere, quòd locus non sit æqualis locato secundum profunditatem, quia locus, cum

sit

sit superficies non habet profunditatem; Dignoscitur vtique ex distantia extremorum superficiei repletæ, quanta sit profunditas locati. Quartò, quòd locus non sit sine locato, sicut non potest esse corpus sine loco, & hoc verum est secundum Aristot. qui ponit vacuum impossibile, licet aliter secundum Theologos per potentiam Dei absolutam; ex hoc sequitur quintum loci attributum, quòd scilicet locus non est separabilis à locato, naturaliter loquendo. Non quod hæc superficies non possit esse sine aliquo corpore. Sextò omnis locus est sursum, vel deorsum, quòd intelligas de loco grauium, & leuium tantum, quia alia corpora possunt moueri ad alias differentias loci, scilicet ante, & retro, dextrorsum, & sinistrorsum, quæ differentiæ non sunt essentiales, sed accidentales ipsius loci, cùm possit esse locus sine istis differentijs, vt si homo conseruaretur cum suo loco, destructis omnibus alijs corporibus, nullam loci differentiam haberet. Septimò, quòd locus sit id, ad quod corpus naturaliter fertur, & conuenit loco, vt naturalis est, non vt locus est, quia quæ mouentur violenter feruntur ad locum contra eorum naturam. Octauò, quòd locus sit terminus lationis, seu motus localis, quia motus dicitur localis, quia est ad locum, tanquam ad terminum extrinsecum, non intrinsecum, quia tale est vbi quod est circumscriptio passiua corporis locati, quæ circumscriptio cum sit realiter inhærens corpori locato, & ab ipso per motum aquisita, dicitur terminus motus intrinsecus, superficies verò dicitur terminus motus localis extrinsecus, quia non inhæret, sed est omninò extra locatum. Nonò dicitur etiam, quòd locus est conseruatiuus locati, quatenus locus est superficies alicuius corporis, quòd habet qualitates conseruatiuas locati, vt locus piscium dicitur conseruatiuus eorum, eo quia est superficies aquæ, quæ habet qaalitates, per quas pisces conseruat. Decimò, locus dicitur attrahere locatum, non quia habeat virtutem aliquam occul-

tam attrahendi corpora, sicut Magnes attrahit ferrum, sed quia est id, quòd corpus naturaliter fertur, tanquam ad locum suum naturalem. Vltimò dicitur, quòd locus est immobilis, quia dicit respectum ad aliquid immobile, sed quomodo; dicetur in propria conclusione. Hæc autem, quæ dicta sunt de loco, sola continentia, & immobilitas competunt essentialiter loco, vt locus est, continentia autem proxima, & adæquata competit essentialiter loco adæquato, de quo loquimur in præsenti, & hunc locum deffiniuit Arist. in hoc 4. Physic.

Sextò Notandum, quòd deffinitio loci posita ab Arist. 4. Phys. quòd sit vltimum corporis continentis immobile primum, ly *vltimum* intelligitur superficies corporis, quæ est vltima in corpore, secundum quam superficiem dicitur continere primò; idest adæquatè, & proximè, vt prius dictum est, & ratio est ex Sco. 2. d. 2. q. 6. D. quia diuisibile secundum illam dimensionem secundum quam est diuisibile, non potest immediatè esse applicatum alicui, vt continens ipsum, sed præcisum continens alicuius est indiuisibile, nihil autem indiuisibile de genere quantitatis per se existit, sed in aliquo diuisibili, & ideò sequitur illud præcisum continens esse vltimum alicuius diuisibilis continentis; Ista autem vltimitas non est de ratione loci, sicut est de ratione continentis præcisè, quia si posset indiuisibile per se esse, & nullius diuisibilis esse vltimum, illud indiuisibile verè manens per se, posset esse præcisum continens. Superficies enim concaua separata à corpore posset continere aliquod corpus, locus autem ita continet locatum ex Sco. 2. d. 2. q. 6. P. vt contentum sit infra superficiem continentis corporis, & nihil eius extra. Vnde sola superficies concaua potest continere corpus, quia corpus est profundum, & per consequens non potest contineri, nisi à concauo illam profunditatem circumscribente, sed in ordine ad indiuisibile, vt quando Angelus est in loco, quælibet superficies

Declaratur diffinitio loci.

siue

siue recta, siue concaua: potest esse locus, quia esse infra superficiem secundum Sco. loc. cit. est quòd nihil locati sit extra loquendo de quocunque quòd est deffinitiuè in loco, quòd est quælibet creatura, siue corporalis, siue spiritualis, quę creatura spiritualis sufficit, quòd sit præsens superficiei. His notatis.

Probatur conclusio. Illa est bona deffinitio, quæ explicat quidditatem deffiniti, & facit differre ipsum essentialiter à quocunque alio. Sed hæc deffinitio de loco tradita ab Aristot. est huiusmodi, quia sola superficies est, quæ immobiliter continet locatum, & differt essentialiter à quocunque, quod non est locus, ergò est bona deffinitio.

Contra arguitur primò, quòd locus non est superficies, nam si superficies esset locus posset res immota manens mutare locum: flante enim vento mutantur continuæ superficies Turrim ambientes, ipsa è proprio loco non egrediente, quia semper habet eandem distantiam, & propinquitatem cum rebus, quàm antea habebat, quæ tamen variari solet ad mutationem loci.

Hic Meld. & Cat. ponunt responsionem Thomistarum dicentium, quòd Turris in tali casu non mutatur, quia seruat eandem distantiam à rebus, & responsiones Scotistarum dicentium, quòd Turris est in eodem loco per æquiualentiam, quæ responsiones conueniunt cum doctrina Sco. etiam ab ipsis allata, tamen arguunt maximè contra Scotistas, tali pacto.

Dicere, quòd Turris est in eodem loco per æquiualentiam est dicere Turrim accipere locum priori similem, & est dicere Turrim apertè simpliciter moueri.

Retorqueo Argumentum contra ipsos dicentes cum Sco: quòd superficies succedentes circa Turrim sunt vnus locus per æquiualentiam in ordine ad motum localem. *Retorquetur arg. Meld. & Cat.*

Dicere Turrim habere eundem locum per æquiualen-

tiam in ordine ad motum localem est dicere Turrim habere locum priori similem, & non simpliciter eundem, quia mutatur superficies, & continentia, ergò est dicere Turrim apertè simpliciter moueri. Vnde omnes allatæ responsiones sunt optimæ, & coincidunt in idem, scilicet quòd Turris eo casu non mouetur, quia remanet in eadem distantia à rebus, & illæ superficies succedentes sunt vna superficies per æquiualentiam in ordine ad motum localem, & ratio vtriusque responsionis est, quia inter superficies succedentes circa Turrim, nullum est spatium interceptum, quod concipitur ex eadem distantia, qua habet Turris ad Vniuersum, vt elicitur ex Sco. 2. d. 2. q. 6. F. Vnde dicere, quòd Turris eo casu non mouetur, quia seruat eandem distantiã à rebus, & quia plures superficies succedentes circa Turrim sunt vna superficies per æquiualentiam, est idem ac dicere, quòd Turris non mouetur eo casu, quia plures superficies succedentes sunt vna superficies per æquiualentiam in ordine ad motum localem. Videtur Meld. & Cat. molesta hæc ratio contra superficiem, quia ducunt in malum sensum responsiones aliorum.

Respondeo igitur in forma ad Argumentum ex Sco. loc. cit. negando consequentiam, & cum probatur, quia plures superficies succedunt Turri immotæ. dico cum Sco. quòd illæ plures superficies sunt vna numero per æquiualentiam in ordine ad motum localem, quia inter illas superficies succedentes non est spatium interceptum, & impossibile est, quòd aliquod moueatur ab vno loco ad alium, nisi inter illa loca sit spatium interceptum, hoc autem dignoscitur ex diuerso ordine, & distantia ad vniuersum, patet à simili de corporibus succedentibus in eadem superficie, in qua sunt diuersæ circumscriptiones ad diuersa corpora, & tamen dicitur, quòd illa corpora succedunt eidem loco, quia licet in superficie sint diuersæ circumscriptiones, illæ tamen sunt vna numero per æquiualentiam in ordine ad motum localem

lem

lem, cum eadem superficies seruet eandem distantiam à rebus. Vnde si in eadem superficie posita in diuersis spatijs succederent plura corpora, illa non essent in eodem loco, nec etiam per æquiualentiam, quia sicut ad locum requiritur non solùm circumscriptio, & continentia, sed etiam præsentialitas ad hoc immobile; variata continentia, & præsentialitate, dummodò sit præsentialitas superficiei ad hoc immobile, non variatur numero locus, sed est idem per æquiualentiam in ordine ad motum localem, quia superficies habet præsentialitatem ad idem immobile. E contrario non variata superficie, & continentia, dummodò varietur præsentialitas ad hoc immobile, variatur numero locus, ita quòd nec etiam potest esse vnus per æquiualentiam ad motum localem ex quo dignoscitur immobilitatem esse de ratione essentiali loci, secundum doctrinam Scoti.

Secundò. Si superficies esset locus, ergò res localiter moueretur, eundem retinendo locum, quòd implicat, probatur consequentia, quia si res simul cum loco moueretur, mutaret locum in eodem loco, vt Vinum existens in Dolio tanquam in loco, & simul cum dolio moueretur, esset in eodem loco, & tamen localiter moueretur.

Respondeo negando consequentiam, & cum probatur dico, quòd tunc Vinum non esset in Dolio, sicut in loco, quia de ratione essentiali loci est immobilitas, sed vt in Vase, & Vinum, & Vas in tali casu constituerent vnum mobile, quòd in motu aquireret diuersa loca. Dolium enim est locus Vini, quatenus continet ipsum cum tali præsentia ad tale immobile, ablata tali præsentia aufertur à dolio ratio loci.

Tertiò. Locus debet esse æqualis locato; sed superficies non est huiusmodi, quia non habet trinam dimensionem, sicuti habet locatum, ergò superficies non potest esse locus.

Respon-

Respondeo, quòd duplex est æqualitas, alia dimensionis, per quam vnum adæquatur alteri secundum dimensiones, vt vnum corpus alteri adæquatur secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Alia est æqualitas continentiæ, & est illa, per quam vnum potest circumscribere aliud. In proposito locus debet esse æqualis locato secundum æqualitatem solùm continentiæ, quæ fit secundum longitudinem, & latitudinem, per quas dimensiones tota corporis locati profunditas dignoscitur.

Quartò probatur; quòd continentia non sit formale loci. Locus pro formali spectat ad prædicamentum vbi; sed continentia ad tale prædicamentum non spectat; ergò continentia non erit ratio formalis loci, minor probatur, quia relatio de prædicamento vbi est mutua, sed relatio continentiæ non est mutua ex Sco. 4. d. x. q. p. I. ergò relatio continentiæ ad prædicamentum vbi non spectat.

Respondeo negando minorem; & cum probatur dico ad maiorem, quòd relatio potest dici mutua dupliciter, vno modo, quia habet in termino relationem oppositam; alio modo, quia habet in termino oppositam relationem æquiparantiæ, & eiusdem rationis, vt Corpus est presens lapidi, & lapis est præsens corpori, hic in vtroque extremo est relatio presentialitatis, quæ est eiusdem rationis, relatio verò continentiæ in loco terminatur ad corpus, in quo non est relatio continentiæ eiusdem rationis, quia locus dicitur continere corpus, corpus autem non dicitur continere locum, sed contineri à loco; in proposito relatio de Prædicamento vbi est mutua, primo modo, vel secundo modo, quia tàm continentia, quàm præsentialitas ex Scoto loc. cit. pertinet ad prædicamentum vbi. Vnde quando Scotus dixit, quòd continentia non est relatio mutua se manifestat, quòd non est eiusdem rationis, sicuti præsentialitas, & non quòd non habeat in termino, mutuam relationem. Quare consequentia est falsa.

Quin-

Quintò. Per immobilitatem superficies vltima constituit in ratione loci, nam continentia etiam vasi competit, & per immobilitatem à vase distinguitur; ergò continentia non est ratio formalis loci.

Respondent Cat.&Meld.ibi num.29.in fine quòd locus, & Vas essentialiter non differunt in principali significato, sed tantùm in connotato; nam illud per quod vnum differt ab alio vltimatè, non est semper differentia essentialis; nam hoc solùm est verum in absolutis, non in connotatiuis,quæ vltimatè non differunt, nisi ratione connotati, vt patet de priuatione, & simplici negatione, quæ non differunt, nisi ratione connotati: in proposito, vt superficies continens dicatur. Locus vtique necessariò exigitur immobilitas, & sine ea vas dicitur, non locus, non tamen propterea immobilitas debet iudicari eius differentia essentialis, & ratio formalis, sed connotata. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc responsio est omninò falsa, quia vltima ratio distinguendi est ratio distinctionis essentialis, & sic vel est differentia essentialis, vel aliquod circumscribens differentiam essentialem; nam conootatiua, quæ conueniunt in aliqua ratione communi,&vnum non est essentialiter aliud; certè per aliquod essentialiter differunt, quo ignoto circumscribimus per aliquod connotatum notum; Vnde omnes negationes conueniunt in ratione communi negationis, tamen inter se essentialiter differunt ex Scoto 1.d.23. q.v.H.ergò per aliquod essentialiter differunt, quòd si sit ignotum circumscribimus per aliud, quod sit notum, licet extrinsecum, & sic falsum est priuationem, & negationem differre tantum per connotatam, & conuenire in ratione formali, & principali significato, quia sic priuatio, & simplex negatio differrent tantum accidentaliter, quia differrent tantum per aliquod extrinsecum, & sic lapis habens negationem cognitionis, & beatitudinis esset essentialiter priuatus cognitione,& beatitudine,quòd est ridiculum. *Cõfutatur.*

Ideò

Responsio Auctoris. Ideò Respondeo ad Argumentum negando consequentiam, quia non solùm illud, per quod vltimatè vnum distinguitur ab alio, est de ratione formali illius; Nam homo formaliter distinguitur vltimò à Boue per rationalitatem tantùm, non tamen sola rationalitas est de ratione formali, & essentiali hominis, sed etiam animalitas, in qua conueniunt homo, & Bos; vnde licet locus, & vas, qui essentialiter differunt, conueniunt in continentia, differunt tamen per mobilitatem, & immobilitatem essentialiter. In ratione enim formali est aliquod commune, in quo plura essentialiter distincta conueniunt, & aliquid, per quod illa plura essentialiter distinguentur.

Sextò, Meld. & Cat. in hac Disputatione num. 22. probant, quòd immobilitas non sit de ratione *formali loci*, & locum non differre essentialiter à Vase. Vas, & locus conueniunt in ratione formali loci, ergò locus non est essentialiter immobilis pat. Quia Vas est mobile, & tamen habet rationem loci; Antecedens pat. ex Arist. 4. phy. t. 41. vbi habet, quòd Vas est locus mobilis, locus *Vas immobile*; ergò locus & Vas essentialiter conueniunt in ratione loci; & differunt tantùm connotatiuè per mobilitatem, & immobilitatem.

Confirmatur, quia ex concepta communi locus concipitur, vt continens, nec expressè concipitur in eo immobilitas, immò vulgo ignoratur.

Respondeo negando Antecedens, & cum probatur ex Aristot. 4. phys. t. 41. quòd Vas est locus mobilis, locus Vas immobile. Respondeo, quòd hæc auctoritas non minus probat, quòd vas, & locus conueniant in ratione loci, quàm in ratione Vasis, & tamen ibi ponit distinctionem inter Vas, & locum. Ideò dicendum, quòd vas potest dici locus, & locus vas, quia conueniant in ratione continentis, quia vtrumque continet aliud, sed non quælibet continentia est locus, sed continentia immobilis, sic etiam materia

quie-

quiescens sub forma diceretur moueri, quia dicit respectum ad formam, quæ est ratio formalis motus, sed quia non quilibet respectus ad formam est motus formaliter, sed tantum ille, qui fundat respectum immediatæ successionis, informationis ad non informationem, ideò materia sub forma quiescens cum illo respectu non potest dici, quòd moueatur; ita etiam non quodlibet continens dicitur locus pro formali, & Vas, sed continens immobile est locus, continens verò mobile est Vas.

Ad confirmationem. Respondeo, quòd concipiendo locum, & non immobilitatem, ille conceptus est falsus; & si vulgò ignoratur, quòd locus sit immobilis vulgaris est deductio, quòd per hoc immobilitas non sit de essentia loci, quia communiter rationes formales rerum vulgò ignorantur. Tamen sibi contradicunt, quia ibi num. 26. dicunt, quòd quicumque de loco locuti sunt, omnes eidem immobilitatem tribuerunt; non ergò loci immobilitas à vulgo ignoratur.

CONCLVSIO SECVNDA.

Locus est immobilis per relationem præsentialitatis ad spatium imaginarium.

Elicitur ex Scot. 2. d. 2. q. 6. D. e. f.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

MEld. & Cat. in hac Disput. num. 35. dicunt, quòd licet Arist. & Scotus immobilitatem loci desumpserint ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes Vniuersi, quæ modò fixæ sunt, & immobiles, & per consequens ex ordine ad spatium, quæ coincidere videntur; vt ipsi infra se declarant, tamen solidius visum *Opinio Meld. & Cat.*

est ipsis ex immobilitate potiùs diuinæ substantiæ vbique diffusæ, quàm spatij imaginarij desumere superficiei immobilitatem, quem modum nouum, & Peregrinum dicunt ex Boneto transumpsisse; Et pro declaratione eorum opinionis dicunt, quòd diuina substantia cum sit ob suam immensitatem vbique diffusa, non potest dari superficies, quę non sit illi intimè præsens, cùm superficies ob suam limitationem non possit illi coexistere vbique intelligitur coexistere alicui parti eius, non formali, quia formaliter est indiuisibilis, sed parti virtuali, quia cum substantia spiritualis ob sui illimitationem per locum extendatur, ac si esset corporea, & diuisibilis, necessariò in ipsa concipere debemus pluralitatem partium virtualem, resque creatas aliquibus illarum coexistere, & non omnibus, & cùm quælibet pars eius sit immobilis, relatio pręsentiæ ad istas partes erit immobilis; igitur ex tali intima præsentia, benè desumi potest superficiei immobilitas, quatenùs superficies cum tali potentia est prorsus localiter immobilis.

Cõfutatur Sed isti Doctores cupientes solidius, quàm fecerint Aristoteles, & Sco. cum Boneto loci ostendere immobilitatem à principijs Aristotelis, & Scoti, quæ profitentur aberrant, & vt aquæ semper mobiles in assignanda loci immobilitate in errores cum Boneto, à quo receperunt opinionem, dilabuntur.

Et primò videamus quomodo sibi contradicant in assignanda Scoti opinione, quam relinquunt, tanquam minus solidam, & posteà insoliditatem eorum opinionis ostendam, & quòd in doctrina ipsorum propriam opinionem sustinere nequeant.

Contradicentes sibi malè adducunt opinionẽ Scoti Isti enim Scriptores ibi num. 35. asserunt Scotum desumere immobilitatem loci ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes Vniuersi, & per consequens in ordine ad spatium imaginarium; & num. 34. in fine dicunt Scotum non cognouisse spatium imaginarium, & negatiuum,

uum, seu potentiale, nisi extra mundum, vt pat. ex ipso p.d.37.q.vn.

In primis Scot.nihil dicit de hoc loco cit. sed quicquid fit de hoc sic Argumentor. Si Sco. non cognouit spatium imagiuarium in Vniuerso; ergò in Vniuerso non cognouit locum; patet Consequentia, quia non potest dari locus, nisi sit immobilis, & est immobilis in ordine ad spatium imaginarium, ergò si Scotus non cognouit in Vniuerso spatium imaginarium, nec etiam cognouit terminum immobilitatis loci, ergò non cognouit immobilitatem; ergò à primo ad vltimum non cognouit locum, quia non potest dari locus, nisi sit immobilis.

Prætereà falsum, & negatiuum est, quòd Sco. non cognouerit spatiū imaginariū in Vniuerso, quia quol.11.f. diffiniēdo spatium imaginarium, & potentiale dicit, quòd est illud, in quo potest tātum corpus intercipi, quantū est illud, quòd intercipitur, quando spatium est actu plenum, ergò secundum Scot. in Vniuerso datur spatium, in quo intercipitur corpus, & fit actu plenum per corpus, istud autem est spatium imaginarium, & potentiale; ergò in Vniuerso secundum Scotum datur spatium imaginarium, seu negatiuum, & potentiale. *Confut. 2.*

Prætereà si non daretur in Vniuerso spatium imaginarium, sed spatium esset tantum corpus interceptum, vt isti dicunt, sequeretur, quòd locus in ordine ad spatium non posset esse immobilis, quia corpus interceptum non est immobile; ergò nec locus erit immobilis in ordine ad spatium, quia ideò locus est immobilis, quia dicit ordinem ad aliquod immobile. *Confuta. 3.*

Secundò ostendo opinionem istorum non esse magis solidam, desumentem immobilitatem loci, non ex ordine loci ad spatium negatiuum, sed ad partes virtuales diuinæ substantiæ. Nam diuina substantia est vbique diffusa plusquam corpora crearentur; aliter de nouo diffundaretur ad creationem corporis; ergò partes virtuales diuinæ sub- *Ostend. opinionē, Aduers. esse inualidam.*

ſtantiæ debent concipi in ordine ad partes ſpatij imaginarij, quæ partes tàm diuinæ ſubſtantiæ, quàm ſpatij imaginarij ſunt inmmobiles.

Tunc ſic arguo. Solidiùs loquuntur de immobilitate loci, qui illam deſumunt à termino, ſinè quò partes virtuales diuinæ ſubſtantiæ non concipiuntur, quam qui deſumunt à partibus virtualibus diuinæ ſubſtantiæ, ſine quibus haberi poteſt immobilitas loci, ſed ſine ſpatio imaginario non concipiuntur partes virtuales diuinæ ſubſtantiæ; ergò ſolidiùs loquuntur de immobilitate loci, qui illlam à ſpatio imaginario deſumunt, quàm qui deſumunt à partibus virtualibus diuinæ ſubſtantiæ. Ad quid igitur diuidere ſubſtantiam impartibilem ſecundum partitionem ſpatij immobilis, & inueniatur loci immobilitas ſi ſine illis partibus imaginatis poteſt haberi talis immobilitas in ordine ad ſpatium immobile, quod eſt aliquid etiam ſecundum iſtos Doctores, & recedere vt Peripatetici, & Scotiſtæ à principijs Ariſtotelis, & Scoti?

Præterea ſolidius loquuntur qui deſumunt immobilitatem loci ab aliquo reali non ficto, quam ab aliquo penitus ficto; ſed ſpatium imaginarium eſt aliquod reale non fictum, quia etiam ſecundum ipſos eſt negatio realis extra genus, quòd ſpatium ideò dicitur imaginarium, quia imaginamur eſſe veluti quoddam extenſum, partes verò virtuales diuinæ ſubſtantiæ ſunt penitùs fictæ: ergò ſolidiùs loquuntur, qui deſumunt immobilitatem loci à ſpatio imaginario, & negatiuo, quam à partibus virtualibus diuinæ ſubſtantiæ.

Doctrina Aduerſ. nō ſtat cum com. opinione. Tertiò oſtendo, quòd hæc eorum opinio in doctrina ipſorum ſuſtineri nequeat. Immobilitas eſt quædam conſiſtentia realis, & poſitiua, quæ non poteſt deſumi ex ficto, & imaginario, niſi ſit immobilitas imaginata ex ipſis in hac Diſputatione num. 32. Sed partes virtuales diuinæ ſub-

ſtantiæ

stentiæ indiuisibilis sunt omninò imaginariæ, & fictæ: ergò à partibus virtualibus diuinæ substantiæ non potest desumi nisi immobilitas imaginata.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Locus est immobilis per relationem præsentialitatis ad spatium imaginarium.

Elicitur ex Scoto 2.d.2.q.6.D.e.f.

PRo cuius declaratione Primò Not. quòd cum locus dicat materialiter superficiem, formaliter verò continentiam immobilem, ista continentia fundabit relationem præsentialitatis ad aliquod immobile, quòd est spatium negatiuum, & imaginariam, quæ relatio est realis, quia facta sine opere intellectus, & positiua, quia fundata in relatione positiua, est verò negatiua tantum ratione termini, quia terminatur ad spatium imaginarium, quod importat negationem extra genus, vt sæpè dictum est in præcedenti conclusione, & per consequens connotabit relationes reales propinquitatis, & distantiæ ab aliis corporibus fundatas, vel in continentia, vel in superficie; & hæc præsentialitas ad spatium immobile competit loco cuiuscumque corporis, quia est de ratione loci in sua communitate accepti, quòd sit immobilis, per hoc enim locus à Vase essentialiter distinguitur ex Aristot. 4. Phys. t. 41. & Scot. 2. d. 2. q. 6. D.

Quid dicat continentia immobilis.

Secundò Not. quòd Philosophi desumentes immobilitatem ex ordine ad centrum, & polos, quia secundum Aristotelem sunt immobiles, doctè loquuntur, & in tantum locus dicit hunc ordinem ad centrum, & polos, quatenus dicit relationem præsentialitatis ad spatium immobile: Vnde casus positus à Phil. quos sequuntur Meld. & Cat. scilicet

cet quòd Deus possit transferre Vniuersum ab hoc spatio ad aliud spatium imaginarium, & per consequens simul moueri corpora, remanente eodem ordine ad centrum, & polos, est contra suppositum, quia supponunt cum Aristotele polos, & centrum esse omninò immobile, posita enim mobilitate polorum, & centri, isti Philosophi non posuissent immobilitatem loci in ordine ad polos, & Centrum, & licet Scot. 2. d. 2. q. 6. D. arguat contra ponentes immobilitatem ex ordine ad polos, & centrum hoc est quia tales existimabant, mota superficie ambiente aliquod corpus remanere eandem relationem in superficie succedente in eodem spatio, quòd est impossibile, quia tunc dicit Scotus relatio migraret de subiecto in subiectum; sustinentes verò talem relationem non remanere, sed corrumpi, non sunt contrarii Aristoteli, nec Scoto; Vnde superficies continens corpus cum præsentialitate ad spatium negatiuum immobile, est omninò immobilis immobilitate apposita motui locali, siue per se, siue per accidens, est verò simpliciter corruptibilis, quia mota superficie circa Turrim, corrumpitur continentia terminata ad Turrim, & respectus præsentialitatis ad tale spatium, tamen superficies succedens in eodem spatio dicitur idem locus numero per æquiualentiam in ordine ad motum localem ex Scoto loco citato, quia inter superficies aeris succedentes circa Turrim nullum est spatium interceptum.

Mobile est duplex. Tertiò Not. quòd mobile est duplex, per se, & per accidens; mobile per se est illud quod secundum se, & per motum sui mouetur, mobile verò per accidens, est quod mouetur ad motum alterius, vt omnia accidentia, quæ sunt in homine mouentur ad motum ipsius hominis; In proposito locus nec est mobilis per se, quia est superficies, quæ est aliquid corporis, nec per accidens, quia superficies cum continentia immobili, vt prius explicatum est, non potest moueri ad motum corporis, sed potiùs moto corpore, cuius

ius locus est vltima superficies, non amplius ista superficies habet rationem loci, quia corrumpitur continentia immobilis, à qua superficies dicitur formaliter, & essentialiter locus, remanente verò eadem superficie, & variatis pluribus corporibus in eadem superficie succedentibus, non variatur locus ex Scoto quolib.ij.H. quia licet varietur continentia, & relatio adueniente nouo locato, semper tamen remanet idem locus. Exemplum. Corpus habens albedinem, si secundum eam est simile multis, habet multas similitudines, quia similitudo numeratur termino numerato, sed tamen ipsum non est multa similia, sed vnum simile, sicut habens multas scientias est vnum sciens, quià cócretum non numeratur ad solam numerationem formæ, sed oportet, quòd cũ hoc sit numeratio suppositi habẽtis formã; His not.

Probatur Conclusio. Primò ex Scoto 2.d.2.q.6.e. si locus esset mobilis, tunc esset in aliquo loco siue per se, siue per accidens à quo deberet moueri ad alium locum, & sic loci esset locus in infinitum, quod est absurdum.

Posset responderi ad hanc rationem Scoti, quòd vtique esset locus loci, sed non esset processus in infinitum, quia cum corpora sint numero finita, standum esset ad vltimum corpus, sicut continentis est continens, & tamen non est processus in infinitum in corporibus continentibus, sed standum est ad vltimum Cœlum, quod est continens, non contentum, locans, non locatum; In proposito superficies, & locus esset in loco per accidens ad locationem sui corporis, & illa alia superficies vsque ad vltimum locum, Tamen dicendum pro Scoto, quòd locus, vt locus non habet locum, quia sic vt continens esset contentum reduplicatiuè, & sic non differret formaliter esse locum, & locatum, & hoc modo intelligitur Scotus; Non est tamen inconueniens, quòd illa superficies, quæ est locus, & continens sit contenta, & locata per accidens ad locationem corporis, cuius est superficies, & sic si locus, vt locus, esset mobi-

mobilis, locus vt locus haberet locum, in quo esset, & à quo posset moueri ad alium locum in infinitum, quòd est falsum.

Secunda Ratio, qua probat Scot. loci immobilitatem, est quia sic quiescens moueretur localiter. Nàm quod habet alium, & alium locum successiuè, moueretur localiter, fixum autem posset habere alium, & alium continentem, si moueretur locus per accidens.

Sed hæc ratio non videtur cocludere, quia posita etiam immobilitate loci adhuc fixum in terra habet alium.&alium continentem; ergò quiescendo mouetur.

Ideò ad hanc rationem potest responderi, quòd non moueretur fixum, & quiescens, quia loci succedentia essent vnus locus per æquiualentiam in ordine ad motum localem, quia inter loca succedentia ad continendum fixum in Terra non esset spatium interceptum, quòd requiritur ad hoc, vt aliqnid dicatur localiter moueri.

Dicendum est igitur quòd Scotus format hanc rationem non in propria sententia, quia dat doctrinam ad ipsam soluendam, & sustinet ibi fixum non moueri localiter per diuersas superficies circa tale fixum succedentes: Tamen potest ex doctrina eius formari talis ratio efficacissima.

Quòd dicit essentialiter ordinem ad aliquid immobile illud est necessariò immobile, sed locus dicit essentialiter ordinem ad aliquid immobile, scilicet ad spatium, ergò erit necessariò immobilis: minor probatur, quia superficies cum sola continentia non differt à Vase, quod est mobile: ergò dicit essentialiter aliud, per quod locus à Vase distinguitur, & dicitur immobilis, quòd non potest esse, nisi præsentia ad aliquid immobile, quod est spatium.

Arg. Mel. & Cat. Contra arguunt Meld.& Cat. ibi num.34. his rationibus, & Primò, quia tale spatium omninò non datur corporibus coexistens, ergò ab ipso immobilitas loci desumi nō potest.

Re-

Respondeo negando Antecedens, quia si ex Ipsis in hac Disputatione q.*6*.n.*93*.& *94*. Deus coexistit spatio imaginario, quòd est negatio realis extra genus, ità negatio potest dici quod coexistat corporibus, quia quod aliquo modo est, potest alteri coexistere; Et si spatium imaginarium, & negatiuum non potest alteri coexistere, tamen superficies, & corpora tali spatio coexistunt, & sunt præsentia in doctrina istorum, & sic negatur consequentia, quia superficies cum illa præsentia, quæ est relatio realis, & positiua, dicitur immobilis. *Responsio Auctoris.*

Secundò immobilitas est consistentia quædam positiua; ergò à negatione attendi non potest. *2. Argum.*

Respondeo negando consequentiam, quia formalitas motus est consistentia positiua, & tamen formaliter dicit secundum Scotum, vt dicam in proprio loco, relationem informationis, ad non informationem, non enim est inconueniens àd negationem esse relationem realem, & positiuam. *Responsio Auctoris.*

Tertiò, non maiorem habet realitatem hòc spatium imaginarium, si daretur corporibus coexistens, quam puncta imaginaria Thomistarum, ergò si ab istis non rectè sumitur locì immobilitas, vt Neoterici fatentur, ita nec à spatio desumi valebit. *3. Argum.*

Respondeo negando Antecedens etiam in doctrina ipsorum, quia illa puncta sunt omninò ficta, vt dicunt ibi n. 32. & spatium imaginarium est aliquid præter opus intellectus, & negatio realis, vt dicunt q. *6*. huius disputationis n.*93*.*94*.& §.per consequens.maiorem realitatem dicit spatium imaginarium, quia dicit negationem realem, quam dicant puncta imaginaria, cum sint omninò fictitia, & sic falsa est consèquentia, & hac doctrina soluitur quartum argumentum, quod est idem cum hoc tertio. *Responsio Auctoris.*

Vltimò arguunt. Hæc immobilitas superficiei ex spatio desumpta non est, nisi consistentia eius in tali spatio, *4. Argum.*

ideſt intima eius localis præſentia ad tale ſpatium ; cum qua omninò moueri repugnat ; ergò loci datur locus , & loci immobilitas ex ordine ad alium locum deſumenda erit , atque ita propriè ſpatium erit locus , non ſuperficies , quod eſt falſum .

Reſponſio Auctoris. Reſpondeo quòd immobilitas ex ſpatio deſumpta formaliter dicit præſentiam localem , ideſt præſentiam loci ad tale ſpatium ; ſed negatur conſequentia, ſcilicet quòd loci detur locus , & quòd ſpatium ſit locus . Non enim præſentia loci dicitur præſentia ad locum , ſed præſentia locati, quia ſic etiam partes virtuales ſubſtantiæ diuinæ eſſent locus , quia ſuperficies dicit præſentiam ad tales partes virtuales ſecundum ipſos.

CONCLVSIO TERTIA.

Vbi eſt Relatio ſuperaddita rei exiſtenti in loco.

Eſt Scot.quol.ij.A.& 4. d.x.q.p.G.H.I.

Sententia Auctoris. Cap. Vnicum.

PRo cuius declaratione Not.primò ex Sco.loco cit.& ex Ariſtotele in Prædicamentis , quòd Vbi eſt circumſcriptio paſſiua fundata in re locata ad ſuperficiem locantem . ſicut circumſcriptio actiua è conuerſo fundatur in ſuperficie locante ad rem locantem, quæ circumſcriptio paſſiua eſt præſentia , quam habet corpus ad locum modo quantitatiuo, ſcilicet tanquam coextenſum, & commenſuratum ex Sco.loco citato I. ſpiritualia verò quando ſunt in loco , dicunt præſentialitatem ad locum modo inextenſo, ſicut etiam ſubſtantiæ materiales , ſi eſſent ſine quantitate, ac propterea eorum Vbi non poteſt eſſe circumſcriptio . Quæ præſentialitas dicitur locus intrinſecus , quia eſt forma,

ma, per quam corpus dicitur esse in loco, & est relatio fundata in corpore, superficies verò locans dicitur locus extrinsecus eò quia non est in corpore locato, sed extra ipsũ.

Secundò Not. ex Sco. 4. d. 10. q. 2. R. quòd Vbi dicitur fundamentum propinquitatis, & distantię, non quia relatio distantiæ sit solũ inter duo Vbi, & non in corporibus distãtibus, ita quòd corpora locata denominentur propinqua, & distantia denominatione tantùm extrinseca per relationem inter duo Vbi, quia secundum Scotum loco citato, propinquum & distans fundantur in corpore vbicato; sed dicitur Vbi fundamentum propinquitatis, & distantiæ eò quia corpus vbicatum non fundat relationem propinquitatis, & distantiæ, nisi quia ipsum Vbi est propinquum, & distans; Hinc possum addere fundamentum propinquitatis, & distantiæ esse superficiem ambientem, & locantem, quia ideò Vbi quod est relatio est propinquum, & distans, quia superficies locans est propinqua, & distans, quòd debet intelligi tàm de Vbi reali simpliciter, quòd est relatio circumscriptionis passiuæ ad superficiem ambientem, quàm de Vbi reali secundum quid, quod est relatio præsentialitatis corporis ad spatium imaginarium; Vnde si plura corpora essent in vacuo, & spatio imaginario essent inter se propinqua, & distantia, quia eorum præsentia esset propinqua, & distans, & præsentia esset propinqua, & distans, quia spatia, quibus essent præsentia, essent propinqua, & distantia.

Quomodo Vbi sit fundamentum propinquitatis, & distantiæ.

Tertiò Not. ex Sco. quol. ij. supra G. quòd distantia dicit formaliter respectum vnius extremi ad aliud extremum distãns, & si ex sola positione terminorum diceretur relatio positiua, posset dici quòd distantia inter duo corpora, inter quæ mediat spatium negatiuum, est positiua; sed si etiam vltra hoc requiratur medium positiuum, & actuale, illa distantia diceretur priuatiua, & negatiua; Vnde dici potest, quòd relatio distantiæ, sicut & propinquitatis intrinsecè est

Quomodo distãtia sit positiua, et negatiua.

positiua, quia nulla relatio est negatiua, nisi negatio relationis, quæ potest appellari relatio negatiua; si verò consideretur intrinsecè, & ratione medii, distantia erit negatiua, quando medium est negatiuum, & positiua, quando medium est positiuum; distantia verò, & propinquitas, quæ est inter duo entia negatiua, & inter duo spatia imaginaria, quæ important negationem extra genus, potest dici, quòd sit intrinsecè positiua, quia non inconuenit negatiuum fundare relationem positiuam, sicut duę priuationes inter se realiter distinguuntur, distinctio illa inter duas priuationes est positiua, non negatiua, licet magis dicatur non identitas, patet hoc de priuatione, quæ est principium motus, & per consequens fundat relationem positiuam principii: distantia verò, & propinquitas inter duo spatia negatiua dicitur negatiua ratione extremorum, quæ sunt negationes, & ratione medij negatiui; si tamen inter duo spatia negatiua intercederet spatium positiuum, tunc illa distantia diceretur positiua etiam ratione extremi, & si videatur difficile, quòd relatio positiua resultet in extremis negatiuis, potest dici, quòd duo spatia imaginaria distantia, dicuntur distantia negatiuè, idest non propinqua, & duo spatia imaginaria propinqua dicuntur propinqua negatiuè, idest non distantia; quare distantia in spatiis imaginariis erit negatio propinquitatis, & propinquitas erit in illis negatio distantiæ. Hoc notato.

Probatur Conclusio, quòd mouetur ad aliquod, recipit illud, quòd prius non habebat, quia moueri est recipere, quod est pati; ergò quòd mouetur localiter recipit illud, quòd prius non habebat, ergò terminus istius motus, qui est Vbi, erit aliquod superadditum corpori locato: sed istud non potest esse aliquod ens absolutum; ergò erit relatio; minor sub illata probatur, quia Arist. tertio Phys. ait, quòd ad quatuor prædicamenta est motus, scilicet ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & Vbi; ergò Vbi non erit

sub-

substantia, nec quantitas, nec qualitas, & per consequens erit relatio, quia præter illa tria non datur aliud ens absolutum, & omnia alia ab ipsis sunt relatiua.

Contra arguitur primò. Aristoteles 8. Met.t.9. ait per motum localem non mutari intrinsecè ipsum mobile, sicut mutatur per alios motus, quia in alijs motibus acquiritur noua forma accidentalis, non autem in motu locali.

Respondeo negando quòd Aristoteles dicat, quòd in motu locali non acquiratur noua forma, aliter quod moueretur localiter non moueretur, quia non se haberet aliter, quàm prius, sed dicit, quòd mobile localiter non mutatur sicut in alijs motibus, quia in alijs motibus est acquisitio formæ absolutæ, & ideò illi motus sunt magis apparentes, quam motus localis, in quo acquiritur tantum relatio, quæ est minima entitas insensibilis.

Secundò, si Vbi est aliquid superadditum locato, tunc illud magis diceretur esse in loco per locatũ, quam è conuerso, quia accidẽs est in loco, quia subiectũ eius est in loco, vt albedo in homine dicitur esse in loco, quia homo est in loco.

Respondeo communiter cum alijs, negando consequentiam; Et cũ probatur, quia accidens est in loco ratione subiecti: Respondetur quod verum est de quocumque accidente, quòd non est ratio, qua aliquid dicitur esse in loco, sicut est Vbi, & præsentia locati ad locum; sicut omne accidens mouetur ad motum subiecti; motus autem, qui est relatio subiecti ad formam, vt nouam, non dicitur moueri, quia est ratio, qua mobile dicitur moueri.

Tertiò, si Vbi esset aliquid supradditum, sequeretur quòd id corpus posset simul, & semel idem Vbi acquirere & deperdere, & simul habere idem Vbi, & non habere quod implicat: Consequentia patet, quia si Nauta in Naui à prora ad puppam ambulat, in tali casu, cum mobile acquirit vnum Vbi per vnum motum, ab eodem simul recedit per alium motum, & sic in eodem tempore simul habet,

bet, & non habet idem Vbi.

Respondeo negando Consequentiam, Ad probationem dico, quòd Nauta in Naui habet duos motus, vnum per se, qui est à prora ad puppim, alium per accidens, dum è contrario mouetur ad motum Nauis, cum qua facit vnum mobile totale; In proposito si Nauta in Naui à prora ad puppim ambulet, in tali casu cum acquirit vnum Vbi per accidens ab illo non recedit, sed habet idē Vbi per accidēs, quòd prius cum Naui habebat, recedit verò per se à prora, & à præsentialitate ad proram, & acquirit nouam præsentialitatem ad puppim, quę recessio à prora ad puppim stat cū eadē præsentialitate, quam habet Nauis ad suum locum, & Nauta, qui mouetur ad motū Nauis nō potest recedere, vel accedere, nisi Nauis recedat, vel accedat ad hunc vel *illum locum.*

Quartò, & sequentibus argumentis probatur *Vbi*, *non* esse relationem, quia ad relationem non est motus ex Aristotele 5. Phys. t. 10. sed ad Vbi est per se motus: ergò Vbi non est relatio.

Respondetur ex Scoto quolib. ij. K. L. quòd Aristoteles loquitur de relationibus intrinsecus aduenientibus, quæ pertinent ad quartum prædicamentum, non autem de relationibus extrinsecus aduenientibus, & ratio est, inquit Scotus, quia relatio intrinsecus adueniens cum sequatur necessariò extrema posita, nunquam potest ipsa per se acquiri, sed tantummodo per accidens, alio scilicet absoluto acquisito in altero relatorum, & talia, quæ non acquiruntur nisi per accidens, scilicet alio acquisito, negat Philosophus per se terminare motum, respectus autem non necessariò consequens extrema potest habere propriam nouitatem absque nouitate vnius vel alterius extremi, & ita potest habere propriam acquisitionem, cuiusmodi est Vbi; & sic concessa minori, negatur Consequentia.

Quintò, si plures aeris superficies se compenetrarent, & sic compenetratæ idē corpus ambirent, tunc Corpus haberet

beret plura Vbi quia plures relationes ad plures superficies, quod est falsum, quia Corpus ita est in vno loco, si ambiatur ab vna superficie, quam si ambiatur à pluribus.

Respondent Meld. & Cat. ibi n. 49. quòd plures superficies inuicem compenetratæ circa idem corpus, dicerentur idem numero locus, quia illud contineret cum ordine ad easdem partes diuinæ substantiæ, iuxta quem ordinem presertim attendi debet vnitas loci, & multiplicitas. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc responsio non soluit argumentum, quod procedit de Vbi intrinseco, non extrinseco, quod Vbi intrinsecum non dicit relationem ad partes diuinæ substantiæ. *Confutatio*

Præterea sibi contradicunt, quia sustinent immobilitatem, quæ secundum ipsos est per ordinem ad partes diuinæ substantiæ non esse de essentia loci, & hic dicunt locum habere vnitatem ab hoc ordine ad partes diuinæ substantię: Tunc sic. A quo aliquid habet vnitatem, ab eo habet entitatem, quia vnitas est passio entis; sed per vos locus habet vnitatem ab ordine ad partes diuinæ substantiæ, secundum quem locus est immobilis; ergò ab illo habet entitatem: ergò ille ordo & immobilitas esset de essentia loci. Dicerem ergò quòd tunc corpus non haberet vnum Vbi intrinsecum, sed plura, quia plures vbicationes, quæ plures vbicationes vtique possunt dici Vnum Vbi extrinsecè, quia essent terminatæ ad plures superficies, vt habent præsentialitatem ad idem numero spatium, & hoc non esset inconueniens. *Contradictio Meld. & Cat.* *Responsio Auctoris.*

Sextò, si existente corpore circumscriptiuè in loco, Deus annichilaret superficiem ambientem, tunc corpus non esset præsens per relationem ad superficiem, quia illa esset annichilata: ergò per aliam præsentiam absolutam.

Respondeo quòd corpus remaneret præsens spatio, sed negatur, quòd hæc præsentialitas sit entitas absoluta, sed

esset

esset relatio ad spatium imaginarium; & Argumentum nihil valeret, loquendo de Vbi circumscriptiuo.

CONCLVSIO QVARTA.

Corpus est in loco circumscriptiuè tantùm per quantitatem.

Est Scot.2.d.2.q.6.C. & quol.ij.B. & alibi sæpè.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. in hac disputatione q. 5. a. p. numu.66. sustinent, quòd Vbi circumscriptiuum est ratio formalis essendi in loco circumscriptiuè, corporeitas verò ratio fundamentalis, si intelligatur Vbi, quòd affert tantum præsentiam extensam; si verò vltra hoc addat impenetrabilitatem naturalem, ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptiuè est sola quantitas, & hoc quia sustinent substantiam materialem habere dimensiones sine quãtitate: Vnde ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptiuè penetrabiliter est corporeitas ex Scoto quol.ij.a.p, impenetrabiliter verò est sola quantitas, in quo sensu loquitur Scotus 4.d.10.q.3.Sed ista opinio est omninò falsa in via Aristotelis, & Scoti, & est confutata in disputatione de Continuo, vbi pluriès ostenditur substantiam, & accidentia materialia sine quantitate non esse extensa, & quòd nullum potest dari extensum, quin sit naturaliter impenetrabile.

Fuit confutata in disput.deContinuo.

Ostenditur mala Scoti intelligentia.

Prætereà falsum est, quòd Scotus quol.ij.B.quando dicit, quòd corporeitas est ratio fundamentalis respectu huius, quod est locabile, & respectu huius, quòd est locari, intelligat corporeitatem esse aliquid distinctum à quantitate, idem enim est in proposito esse corporeum, & quantum, quia datur Corpus de genere quantitatis, quòd dicitur

citur

citur corpus dimensionatum secundum longitudiuem, latitudinem, & profunditatem, & hoc patet ex eodem Scot. 2. d. 2. q. 6. C. vbi habet quòd esse in loco circumscriptiuè competit corpori in quantum quantum, vel in quantum corpus, vbi esse quantum, & corpus accipitur à Scoto pro eodem, quia esse quantum, & esse corpus de genere quantitatis idem sunt.

Prætereà situs de prædicamento situs præsupponit positionem, quæ est differentia quantitatis ex Scoto 4. d. x. q. p. M. Sed omne corpus circumscriptiuè locatum est necessariò situatum ex istis scriptoribus ibi n. 71. ergò substantia materialis non potest esse locata, nisi sit situata; sed non potest esse situata, nisi habeat positionem, quæ est differentia quantitatis, & per consequens quantitatem; ergò non potest esse locata hoc modo, nisi habeat quantitatem; ergò vanum est, & contra Peripateticos Scotistas distinguere de duobus sitibus, quorum vnum correspondeat Vbi corporeo, & alter correspondeat Vbi quantitatiuo, cum Vbi corporeum, & quantitatiuum sint vnum, & idem, & cum substantia sine quantitate non sit extensa, nec situata, quia situs, vt dictum est ex Scoto loco citato, qui est prædicamentum, necessariò præsupponit quantitatem. *Cōfutatiò efficacissima.*

Sententia Auctoris. Caput Secundum

Corpus est in loco circumscriptiuè tantùm per quantitatem.

Est Scot. 2. d. 2. q. 6. C. & quol. 11. B. & alibi sæpè.

PRo cuius declaratione Not. Primò, quòd corpus aliud est naturale, & est omne constitutum ex materia, & forma, ad cuius entitatem sequitur necessariò quantitas; Aliud est Artificiale, & hoc est compositum ex naturali *Corpus est duplex.*

corpore, & accidente arte fabricatum; vt statua, quod cum sit vnum per accidens non potest per se moueri, & locari, sed tantum per accidens ratione materiæ, & corporis naturalis inclusi; Statua enim non mouetur deorsum, nisi quia lignea, vel terrea est, & est in loco solùm ratione quantitatis ligni, vel terræ; In præsenti est sermo de corpore naturali.

Corpori sublunari sex conueniunt.

Secundò notatur ex Sco.2.d.2.q.6.C.G.H. quòd cuilibet corpori præter vltimum, cuius non est aliud extra continens sex conueniunt. Primò esse in loco. Secundò esse in loco actuali. Tertiò esse in loco determinato. Quartò esse in loco commensuratiuè. Quintò esse in loco determinato hoc, vel illo. Sextò esse in loco naturaliter, vel violenter: quatuor prima conueniunt corpori in quantum quantum, vel in quantum corpus. Quintum competit corpori ab agente locante, quia scilicet agens naturale non habet virtutem locandi idem corpus in diuersis locis. Sextò competit corpori in quantùm est corpus naturale, scilicet in quantùm habet formam substantialem determinatam, & qualitates determinatas, & vt sic natum est ab aliquo locante conseruari, & saluari, & ab aliquo corrumpi, & quando continetur ab vltimo illius, quod natum est ipsum saluare, dicitur esse in loco naturali, licet naturalitas multum accidat rationi loci.

Esse in loco intelligitur dupliciter.

Tertiò Not. ex Scoto 2.d.2.C.D. quòd esse alibi in loco potest intelligi dupliciter. Vno modo circumscriptiuè idest esse in loco modo extenso, & hoc competit tantum habenti quantitatem; Alio modo diffinitiuè, & est esse ita hic, quod non alibi, idest esse in loco determinato; & hoc competit non habenti quantitatem: Sco. enim habet ibi, quòd Angelus, qui non est quantus, est in loco diffinitiuè, non circumscriptiuè, vt innuat rationem essendi circumscriptiuè esse solam quantitatem etiam in substantijs materialibus, quia inquit, quòd si materia esset sine forma, esset in

loco

loco diffinitiuè, sicut Angelus, qui cum non sit quantus, non est in loco circumscriptiuè.

Quartò Not. quòd duplex est ratio formalis: Alia est ratio formalis proxima, Alia est ratio formalis remota, & fundamentalis ex Scoto 4.d.10.q.3.C. & d.13.q.3.P. Ratio formaxis proxima dicitur potius ratio denominandi, vt simile est simile similitudine, tanquam ratione formali proxima denominandi. Ratio formalis remota est fundamentum proximum relationis, seù ratio fundandi relationem, vt qualitas, quæ est ratio fundandi similitudinem est ratio essendi simile; sic in proposito quantitas est ratio remota, & fundamentalis essendi in loco, vbi verò passiuum est ratio formalis proxima essendi in loco denominatiuè; Et caussa istius multiplicitatis rationis formalis accidit quando aliquod abstractum in ablatiuo construitur cum aliquo concreto denotante respectum ex Sco. 4.d.13.q.3.P. Hæc enim est vera, inquit Scotus simile est simile similitudine, intelligendo ablatiuum construi in ratione formæ proximè denominantis; Et hæc est vera simile est simile qualitate intelligendo ablatiuum construi in ratione principij formalis remoti. Tamen hæc ratio proxima formalis, vt innuit Sco. locis priùs cit. non dicitur propriè ratio essendi, sed ratio denominandi, ratio verò fundamentalis, seu ratio proxima fundandi dicitur propriè ratio essendi; Vnde quantitas erit ratio propriè essendi in loco circumscriptiuè, quia nihil actualiter extenditur, nisi sit quantum, vt diffusè probatum est disput. de Continuo: Vbi verò, siue circumscriptio passiua est ratio denominandi, idest est qua corpus quantum denominatur esse in loco. His not.

Quotuplex sit ratio formalis, & quid sit.

Probatur Conclusio, omne illud, quòd est corpori ratio extendendi, idem erit ratio formalis essendi in loco circumscriptiuè, patet, quia esse hoc modo in loco, est esse extensiuè in loco; sed sola quantitas est ratio formalis, per quam corpus extenditur, & facit latera continentis dista-

re ex Sco .2.d.2.q.6.C. ergò quantitas est præcisa ratio formalis essendi in loco circumscriptiuè.

Argumenta contra hanc conclusionem & Respõs. sunt in disp. de Continuo.

Contra hanc conclusionem sunt omnia argumenta Mel. & Cat. probantium, substantiam sine quantitate esse extensam; sed omnia adæquatè sunt soluta disputat. de Continuo; Et ideò ne multoties idem repetatur; relinquuntur.

CONCLVSIO QVINTA.

Corpus existens circumscriptiuè in loco nullo modo potest habere cum suis partibus essentialibus, & accidentalibus materialibus, nisi tantùm vnum Vbi.

Est Sco.2.d.2.q.6.E.G.H.& 4.d.x.q.6.f. & omnibus in locis, in quibus asserit substantiam esse tantum diuisibilem, & extensam per quantitatem.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp.ij.q.5.a.p.nu.67. & infrà sustinent, quòd loquendo de Vbi circumscriptiuo, solùm præsentiam diuisibilem afferente,, siue impenetrabiliter, nedum multiplicandum est Vbi pro earum rerum multitudine in ordine ad partes virtuales diuinæ substantiæ, aut ad spatium, sed etiam in ordine ad superficiem ambientem, ita quod quando corpus est in loco, non solùm partes essentiales, sed etiam omnia accidentia materialia in ipso habent proprium Vbi.

Ostenditur falsitas opinionis.

Sed hæc opinio nititur falso fundamento cum præcedenti, quia sustinent substantiam, & omnia accidentia materialia habere sine quantitate propriam extensionem impenetrabilem, quod improbatum est disp. de Continuo.

Suppo-

Supponit etiam vnum falsum, quòd Vbi circumscriptiuum dicat ordinem ad partes virtuales diuinæ substantiæ, vel ad spatium, quia Vbi circumscriptiuum dicit tantùm relationē ad superficiē circūscribentē, partes.n.virtuales diuinæ substantiæ, & spatium non possunt circumscribere. *Hæc opinio supponit falsum.*

Contra hanc suam opinionem arguunt ipsis referentibus, Vasquez, & Ruuius. Illis debetur distincta per se præsentia, quæ mouentur localiter per se, quia Vbi est terminus motus, sed partes essentiales, & accidentia compositi non mouentur per se, sed per accidens ex Arist.5.phys.cap.1.& 7.Top.cap.3.& ex Sco.2.d.2.q.6.E. *Cōfutatio aliornm.*

Respondent quòd Aristoteles, & Scotus volunt intelligere, quòd partes, & accidentia in corpore non mouentur per se idest solitariè, quia hoc modo solùm suppositum cuius sunt partes, & accidentia, mouetur per se, & per se locatur, non tamen per accidens moueri dicuntur, & locari, eò quia non recipiant in se intrinsecè motum, & terminum motus, sic enim per se mouetur non minus, quam totum, & ità colligitur, inquiunt ex Scot. 4. d. 10. q. 6. D. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc ratio est contrà Aristotelem, & Scot. locis citatis: Nam Aristot.5.phys.cap.1.dicit, quòd illud mutatur per accidens, quod coniungitur illi, quod per se mutatur, & excludit quamcumque mutationem per se, quia dicit, quòd musicum non ambulat, sed illud, cui accidit musica, sed non potest musica aliquo modo per se deambulare: ergò hic Aristoteles intelligit, quòd accidens in subiecto mouetur per accidens absolutè, vt excludit omnem perseitatem. Item falsum est, quòd Arist. in 2.top. cap.3.dicat ea, quæ sunt in mobili non moueri per se, idest solitariè, quia intelligit, quòd omninò mouentur per accidens: Nam loquitur de Ideis, quæ ab aliquibus ponuntur in nobis, & illas immobiles esse, & dicit, quòd si sunt in nobis, accidit eas moueri, & reddit rationem, quia motis *Confutatur tāquā contra Arist & Sco. locis ab ipsis citat.*

nobis necessarium est, & quæ in nobis sunt omnia simul moueri; ergò non intelligit Aristoteles, quòd Ideæ in nobis sint mobiles per accidens, idest solitariè, quia supponuntur immobiles per se.

Nec Sco.4.loco ab ipsis cit. dicit quòd partes, & accidentia totius moueantur per accidens; idest non solitariè, tamen per se recipiant Vbi, sed totum oppositum elicitur ex dictis eius; Inquit enim quòd illud, quod non potest mouere aliquod, si esset per se, nec potest mouere illud per accidens, quando est coniunctum cum alio, cum quo non facit vnum sicut actus, & potentia, quia & si aliquod, quod est actus alicuius non posset per se moueri ab aliquo, tamen posset moueri per accidens ab eodem potente mouere totum, cuius est iste actus; ex quibus elici tantùm potest, quòd dicit Aristoteles, scilicet quòd *illud simpliciter* mouetur per accidens, quod est coniunctum *alicui* quod per se mouetur; etiam si illud, quod coniungitur non sit actus, vel potentia, sed aliquod totum, & dat exemplum Sco. de Corpore Christi, & Hostia, & littera E.F. de Ang. & lapide. Vnde saltem secundum Aristotelem, & Scot. illud mouetur per accidens, vt excludit omnem perseitatem, quòd est in eo, quod per se mouetur, vt patet ex Sco. loco cit. f. vbi respondendo ad illam propositionem: quod mouet aliquod per se, mouet per accidens quicquid est in illo. Respondet. *Ad primum dico, quòd illa propositio falsa est, nisi intelligatur de illo, quod est in moto, vel sicut actus in potentia, vel sicut pars in toto, vel sicut aliquod necessitate naturali coniunctum.* Hæc Sco. & subiungit, quòd illa propositio est falsa, quando illud quod coniungitur per se mobili, coniungitur per eius voluntatem, & non est in potestate mouentis, vt mouens hostiam, non mouet per accidens Corpus Christi in hostia, & mouens lapidem, cui est præsens Angelus, non mouet per accidens Angelum: Quare si Angelus, & Corpus Christi essent in potestate virtutis

Quod mouet aliquid per se, mouet per accidens quicquid est in illo, quomodo intelligatur

tutis

tutis motiuæ Sacerdotis, vel mouentis lapidem, etiam in sententia Scoti moueret Corpus Christi, & Angelum per accidens,& tamen Corpus Christi, & Angelus haberēt propriam rationem mouendi, & locari; & Sco.2.d.2.q.6.E.declarando motum quomodocumque per accidens,dicit quòd illud mouetur quomodocumque per accidens, quòd mouetur per aliud, nam primò corpus mouetur, & per hoc superficies, & per hoc Albedo, & per hoc similitudo, ex qua doctrina Scoti formo Argumentum.

Quicquid est in aliquo, quòd mouetur per se, vel tanquàm pars, vel tanquam actus, & potentia, mouetur per accidens, vt excludit quamcumque perseitatem, quia mouetur ad motum alterius; sed partes essentiales, & accidentia sunt huiusmodi: ergò mouentur omninò per accidens, & per consequens quicquid est in loco per locationem alterius, non per se locatur, sed per accidens: Nam vtique manifestum est, quòd est in alio non esse solitariè, sed quia est in alio, ideò mouetur per accidens,quia ad motum alterius, & quòd locatur ad locationem alterius, omninò per accidens locatur, & per consequens quando corpus locatur, nullo modo potest esse nisi vnum Vbi corporis, & omnium eorum, quæ sunt in corpore locato.

Secundò Arguitur. Si Vbi in corpore multiplicaretur ad multiplicitatem eorum quæ sunt in corpore, dum localiter mouetur, non vno motu moueretur, sed tot quot sunt eius partes. *Cōfutatur 2.*

Respondent quòd sicut in composito sunt plures partiales entitates, ex quibus vnum-totum coalescit, ita motus totius suppositi tot motus quasi partiales includit, qui terminantur ad plura Vbi partialia, ex quibus coalescit vnum Vbi vnitate integritatis, & aggregationis, per quod suppositum dicitur esse in vno loco,& vno motu ad vnum locum moueri. *Responsio Meld. & Cat.*

Con-

Confutatur 1. Contra ergò, tam Vbi actiuum, quàm passiuum erit vnum per accidens, quia vnum aggregatione, ergò non poterit deffiniri, quia solùm vnum per se est diffinibile.

Confut. 2. Item sequeretur, quòd superficies circumscriberet corpus, quia partes superficiei circumscriberent, & corpus esset circumscriptum, quia partes corporis essent circumscriptæ, & sic locus locaret, quia partes loci locarent, & corpus esset locatum, quia partes corporis essent locatæ.

Confut. 3. Prætereà, Vbi est fundamentum propinquitatis, & distantiæ ex Scot. 4. d. 10. q. 2. R. & ipsi confirmant in hac Disputatione num. 40. quæ propinquitas, & distantia sunt etiam secundum ipsos relationes intrinsecus aduenientes; sed relatio realis intrinsecus adueniens, *cum sit vna entitas* per se, non potest fundari in vno per *accidens*; ergò Vbi fundans talem relationem non erit vnum aggregatione, & per accidens, sed vnum per se. Ergò Vbi erit relatio actu per se fundata in toto corpore locato, & terminata ad totam superficiem locantem.

Confut. 4. & ostenditur contradictio. Præterea sibi contradicunt in hoc articulo num. 71. vbi dicunt, quòd Vbi differt à situ, vt colligitur ex Sco. 4. d. 10. q. p. M. quia Vbi passiuum resultat in re locata ex habitudine ad totum locum, situs verò ex habitudine partium rei locatæ ad partes loci, & loquuntur de Vbi in communi ad Vbi, quod affert penetrabilitatem, & ad Vbi quod affert impenetrabilitatem; ergò Vbi passiuum erit relatio totius corporis ad totum locum; ergò vna relatio per se, & non vna aggregatione ex pluribus Vbi partialibus, hoc est enim ridiculum, & vanum in doctrina Aristotelis, & Scoti.

Confut. 5. ad hominem. Præterea ad hominem. Si Vbi corporis esset vnum aggregatione ex pluribus Vbi partialibus; ergò non differret Vbi à situ, quod est contra ipsos loco iam cit. probo Consequentiam, quia situs non est nisi ille ordo partium loca-

locatè ad partes loci, qui ordines sunt Vbi partialia, & sic Vbi nihil addit supra situm.

Item arguo. Ego immediatè contra Conclusionem: Penetrabilitas naturalis est passio substantiæ materialis impenetrabilitas est passio quantitatis, vt ipsi dicunt. ergò Vbi non potest afferre penetrabilitatem, vel impenetrabilitatem, quia illam supponit in fundamento; Relatio enim supponit fundamentum, passiones eius, & quicquid consequitur naturam eius; ergò Vbi abstrahit à penetrabili, & impenetrabili, cum relatio non sit penetrabilis, vel impenetrabilis; ergò superfluè fingunt duo Vbi. Vnum correspondens substantiæ materiali secundum propriam extensionem corporalem, & aliud correspondens substantiæ Quantæ. Sed hoc prouenit ex falso fundamento, quia volunt sustinere substantiam sine quantitate esse extensam, latam, & profundam, quòd Peripateticis, & Scotistis est omninò inaudibile, vt patet in disputat. de Continuo: Præterquam quòd si etiam partes corporis, & eius accidentia haberent propriam quantitatem, secundum quam separata possent per se locari, attamen quia sunt in corpore, mouentur, & locantur ad motum, & locum corporis, & sic per accidens, quia per aliud, & hoc

Confutatur immediatè opinio Mel. & Cat.

Probo ad hominem, quia isti Scriptores in hac disputatione num. 17. in fine, dicunt, quòd si vesica arena plena in flumen proijcitur; tunc arena non per se mouetur, & non esset in alio, & alio loco, quia tunc non moueretur, vt aliquod totum, sed tantum moueretur, & esset in loco per accidens ratione totius constantis ex continente, et contento.

Tunc sic; sed partes essentiales, & accidentia corporis quando corpus mouetur, non habent rationem totius; ergò partes essentiales, & accidentia corporis mouentur tantum per accidens ad motum corporis.

Nec valet dicere, quòd mouentur per accidens, idest

non solitariè, tamen per se mouentur secundum propriam rationem, quia tunc arena in Vesica circumscripta à superficie Vesicæ per se mutaretur, & reciperet aliud Vbi existens circumscripta ab eadem superficie Vesicæ, quòd ipsi negant: Et maximè argumentum vrget, quia tàm Vesica, quàm Arena habent propriam quantitatem, secundum quam separatim possunt esse in loco circumscriptiuè impenetrabiliter.

Præterea quòd accidentia materialia semper moueantur per accidens, & per consequens quod semper sint in loco per accidens est manifestè Aristot. quarto phys. t. 32. vbi asserens, quod aliqua mouentur per se, aliqua per accidens, & quæ mouentur per accidens, alia possunt moueri per se, vt partes in corpore, alia nunquam possunt moueri per se, sed semper per accidens, vt Albedo, & scientia; ergò secundum Aristotelem non possunt moueri per se, sed tantum quia in aliquo sunt, quod per se mouetur; Hæc sunt verba clarissima Aristotelis. *Est autem quod mouetur aliud quidem per se actu, aliud verò per accidens; Eius autem, quod secundum accidens, aliud quidem potest moueri per se, vt partes corporis, & in Nauigio clauis, alia verò non possunt, sed semper secundum accidens, vt albedo, & scientia, hæc enim sic mutantur secundum locum, quia id, in quo sunt, mutatur. Hæc ille.*



Senten-

Sententia Auctoris. Caput Secundum

Corpus existens circumscriptiuè in loco nullo modo potest habere cum suis partibus essentialibus, & accidentalibus materialibus, nisi tantùm vnum Vbi.

Est Sco.2.d.2.q.6.E.G.H.& 4.d.x.q.6.f. & omnibus in locis, in quibus asserit substantiam esse tantum diuisibilem, & extensam per quantitatem.

PRo cuius declaratione Not. quòd mobile per se est illud, ad motum cuius alia mouentur, mobile verò per accidens, quod mouetur ad motum alterius; sic illud erit in loco per se, ad cuius locationem cętera locantur. Illud verò erit in loco per accidens, quod locatur ad locationem alterius: In proposito corpus dicitur mobile, & locatum per se, partes verò essentiales, integrales, & accidentia corporis dicuntur mobilia per accidens, & locata, maximè sustinendo cum Scoto substantiam, & accidentia quæcumque non habere extensionem sine quantitate, & nullam posse dari extensionem nisi naturaliter impenetrabilem, vt diffusè dictum est in disputatione de Continuo. Hoc not.

Mobile duplex per se, & per accidens.

Probatur Conclusio Primò. In quibus reperitur tantùm vna ratio essendi in loco, illa non habent nisi vnum Vbi, & non locantur, nisi ad locationem illius, quòd habet illam rationem essendi in loco; sed partes essentiales corporis, & accidentia eius non habent nisi vnam rationem essendi in loco, quæ corpori competit; ergò non habent nisi vnum Vbi, & non locantur nisi ad locationem corporis, minor probatur, quia ratio essendi in loco est præcisè quantitas ex Sco.2.d.2.q.6.C. quæ tantum corpori competit.

Secundò, quòd mouetur, vt alquod totum, mouetur per se, & quod mouetur vt pars illius totius, vel aliquid illius, mouetur tantum per accidens ex Aduersarijs Scotistis in hac disputatione num. 17. Sed corpus est totum, partes essentiales, & accidentia in toto non mouentur, vt totum: ergò solùm corpus mouetur per se, partes verò, & accidentia tantùm per accidens: ergò omnia ista simul cum toto non possunt habere, nisi tantum vnum Vbi.

Arguunt Meld. & Cat. Contra arguunt Meld. & Cat. in hac disputatione nu. 69. Conseruari potest quantitas cum eodem suo Vbi, *ablata* substantia, & è conuersò, substantia sine quantitate modò extenso, & diuisibili ob suam extensionem entitatiuam, & eodem modo etiam conseruari potest albedo, ablala substantia, & quantitate; ergò signum est, quòd vnumquodque illorum habet proprias præsentias, & *vbicationes*.

Confirmatur ex mysterio Eucharistiæ, vbi credimus accidentia remanere cum eadem præsentia ad spatium, quam prius habebant, quando erant in subiecto: ergò cum ex vi consecrationis nulla fiat in eis variatio quò ad locum, & præsentiam in loco, fatendum est, quòd non erant in loco per præsentiam subiecti, sed per propriam Vbicationem.

Respondeo negando, quòd quantitas possit conseruari cum eodem suo Vbi, ablata substantia, quia quantitas cum substantia non habebat locum, sed erat ratio essendi in loco, & ratio essendi in loco non est locatum, etiam secundum ipsos. Item falsum est, quòd substantia, & albedo sine quantitate possit conseruari cum modo extenso, & diuisibili, quia sola ratio extendendi est quantitas, substantia verò, & accidentia materialia sunt tantùm per accidens extensa ratione quantitatis ex Sco. pluribus in locis citatis in disputatione de Continuo; quare falsa est Consequentia, quia illa accidentia habebant tantùm

præ-

præsentiam circumscriptiuam per accidens, & locabantur, ad locationem corporis quanti.

Ad Confirmationem Respondeo; quòd in mysterio Eucharistiæ non credimus, quia falsum crederemus, accidentia remanere cum eadem pręsentia circumscriptiua, nec ad spatium. quam prius habebant, quia nullam habebant, nisi per accidens; Ad Consequentiam respondeo, quòd ex vi consecrationis fit variatio quò ad locum, quia quæ erant in loco per accidens, fiunt in loco per se, quia accidentia sinè substantia habent rationem per se locati, & sic fatendum est, quòd in subiecto habebant Vbicationem; Nec valet dicere quòd si quantitas V. G. sine subiecto habet propriam Vbicationem, ergo etiam in subiecto habebit illam, quia quod est in alio tanquam pars essentialis vel potentia, vel actus, non potest moueri, vel locari nisi ad locationem illius, in quo sunt ex Scoto 2.d. 2.q.6. E. & 4. d. x.q 6.D.

Arguit Auersa.

Secundò arguit Auersa, si corpus hic existens replicaretur à Deo in alio loco sine aliqua sua forma accidentali, quam hic habet V. G. sine albedine, & deinde etiam ipsam albedinem replicet in corpore, alibi existente, vtique in hac consequenti replicatione fit sola præsentia formæ in illo secundo loco; Vnde & ibi erit per suam distinctam præsentiam, & non erit presens ad præsentiam corporis.

Respondeo quòd licet Deus posset replicare corpus sine albedine, quam hic habebat, & replicaret illam albedinem in corpore alibi existente, falsum est quòd in illo secundo loco fiat tantū præsentia formæ, & sit ibi per suā pręsentiam distinctam, quia si forma, vt albedo solitariè accepta replicaretur in corpore alibi existente, prius intelligeretur replicata in corpore, quam fieret præsens loco, ac propterea locaretur ad locationem corporis, & non per propriam præsentiam; Et si etiam concederetur hoc falsum, quòd ibi esset albedo per propriam præsentiam, nunquam tamen locaretur circumscriptiuè, quia albedo, & quodcum-

que

que ens non potest esse extensum, nisi ratione quantitatis; quæ soli corpori competit, & ideò omnia, quæ sunt in corpore quanto, locantur circumscriptiuè ad locationẽ illius, & per consequens non poterit esse nisi vnum Vbi circumscriptiuum corporis locati, & omnium eorum, quæ sunt in corpore.

Arguit Amicus. Tertiò Arguit Amicus; si aliquod accidens de nouo produceretur in subiecto, non potest dici fieri præsens eidẽ loco per Vbi ipsius quãtitatis, quia modus non potest modificare, nisi rem, quam afficit, quia forma non potest denominare, nisi subiectum in quo est, ergò

Respondeo negando Antecedens; Et cum probatur, quia modus non potest modificare, nisi rem, in qua est, negatur, quia non solum quantitas denominatur *alba* per albedinem, sed albedo dicitur quanta, & extensa per quantitatem, & Vbi modificat albedinem per accidens, & omnia, quæ sunt in corpore, quia denominando corpus esse præsens, denominat omnia, quæ sunt in corpore esse præsentia, & sic omnia ista locantur ad locationem corporis.

CONCLVSIO SEXTA.

Vltima Sphara non est in loco.

Est Sco. 2. d. 2. q. 6. C. & quol. ij. B.

Opinio Aliorum. Caput Primum.

Opinio Meld. & Cat. MEld. & Cat. in hac disp. cõueniunt in eadem assertione sed ut videantur in aliquo singulares, ferè semper in illo contradicunt Scoto. Nam num. 54. asserunt Doctores malè Scotizare, qui dicũt vltimam sphæram esse in loco quò ad locare ex Sco. quol. ij. cum sit manifesta contradictio, quia nun-

nunquam continens est in contento tanquam in loco, sed dicit Scotus, quòd, vltima sphæra mouetur localiter quoad locare.

Sed si rectè Scotum inspexissent, oppositum inuenissent; Nam Scotus loco ab ipsis citato quol.ij.C. habet hæc verba: *Si primum Cœlum mouetur tantùm secundum locare, & non secundum locari, Cœlum erit in loco per centrum, quia suum esse in loco est locare locabile fixum in loco*; Hæc Sco. qui colligit, quòd ex quo primum Cœlum mouetur localiter secundum locare, sic etiam est in loco secundum locare; Et sic secùndum Scotum esse in loco potest accipi dupliciter: Vno modo actiuè scilicet secundum locare, alio modo passiuè, scilicet secundum locari, quod est ab alio contineri; Cœlum autem primum cum non habeat continens, sed tantum contineat, erit in loco actiuè, non passiuè, & secundum locare, non secundum locari. *Confut. 1. Infideliter adducunt Scotum.*

Præterea motus localis terminatur ad locum, sed motus vltimæ sphæræ est localis, ergò terminatur ad locum, non passiuum; ergò actiuum; ergò suum esse in loco erit locare, non locari. *Confut. 2.*

Sententia Auctoris Caput Secundum.

Vltima Sphara non est in loco.

Est Sco. 2.d.2. q.6. C. & quol.ij. B.

PRo cuius declaratione Not. Primò ex Sco. quol. ij. loco cit. quòd esse in loco potest intelligi tripliciter; vno modo actualiter, & est actu fundare relationem circumscriptionis ad locum, seù ad superficiem ambientem, vel actualiter fundare relationem præsentiæ ad spatium, loquendo de loco non simpliciter reali, sed imaginario; Alio modo esse in loco potentialiter, & est non habere repugnantiam *Esse in loco potest accipi tripliciter.*

ad

ad esse circumscriptiuum, sicuti est vltimum Cęlum, quod licet actualiter non circumscribatur ab alio Cœlo, quia est vltimum, tamen sibi non repugnat circumscribi, quia si Deus aliud Cœlum crearet, circumscriberet actualiter Cęlum, quod nunc est vltimum. Tertio modo aptitudinaliter, & est habere aptitudinem ad locari, & hoc conuenit omni corpori, omne enim corpus est aptum locari, & circumscribi ab alio.

Secundò Not. quòd cum motus localis non possit esse sine termino, qui est Vbi, & cum duplex sit Vbi, actiuum, & passiuum; motus ad Vbi passiuum erit motus omnium corporum grauium, & leuium, quæ de loco ad locum mouentur, qui motus dicitur rectus; Alter est motus ad Vbi actiuum, & est motus Cœlorum, *qui dicitur circularis*, & motus circa corpus locatum; Vnde vltima sphæra cum non habeat corpus continens, sed illa contineat omnia corpora, non potest dici esse in loco, vt locus diffinitur ab Aristotele, nec in loco per superficiem conuexam, quia locus est extra locatum, & nihil est locati; Nec est in loco per partes, quia sicuti totum Cœlum per se mouetur, totum Cœlum est per se in loco, & non per aliud, erit igitur in loco secundum locare, sicut mouetur secundum locare, & non secundum locari; Et licet Cœlum semper ambiat idem locatum, & dicat eandem relationem ad spatium, vel centrum, per quod Cœlum vt locus, est immobile immobilitate opposita motui locali eorum, quæ motu recto mouentur, tamen dicitur moueri localiter, quia ambit idem locatum secundum diuersas præsentias omnium suarum partium per circumuolutionem, idest ambit idem locatum, sed circà illud diuerso modo se habet, dum circulariter mouetur, & ista habitio diuersorum, seu relatio totius Cœli ad totum locatum secundum diuersas partium præsentias est terminus motus circularis, nec alio modo explicari potest: Vnde quando dico, quòd vltima sphæra non est in loco, intelligi-

Vltima sphæra nõ est in loco, vt de loco loquitur Arist.

telligitur de loco passiuè, non actiuè.

Tertiò Not. quod aliter Philosophus, aliter Theologus loquitur de vltima sphæra; Nam Aristoteles per vltimā sphęram intellexit vltimam sphæram, quæ mobilis est localiter; Theologus verò intelligit Empyreum sedem Beatorum, quod est immobile; vt Tataretus ait, quod si loquamur de sphæra secundū Theologos, cum sit immobilis, nullo modo erit il loco, sed loquendo secundum Aristotelem, vltima sphæra, quæ est mobilis, necessario est in loco, saltem quoad locare; Et ratio esse potest, quia motus localis terminatur ad locum: Dicerem tamen ego, quòd licet motus localis in sphæra ponat maiorem necessitatem ad asserendum vltimam sphæram esse in loco saltem quoad locare per eandem rationem, eò quia motus localis terminatur ad locum, tamen quia locare abstrahit à motu, etiam si vltima sphæra sit immobilis, semper dicitur locare, ac propterea indifferenter dicitur esse hoc modo in loco, siue moueatur; siue non; Vtiquè verum est, quòd si sphæra moueatur, locat secundum diuersas præsentias partium, si verò non moueatur, locat secundum eandem partium præsentiam.

Vltima sphæra est diuersa secundū Philosophos & Theologos.

Vltima sphæra siue sit mobilis, siue non dicitur esse in loco actiuè.

Quartò Not. quòd vltima sphæra potest dici esse in loco negatiuo, quia est præsens spatio negatiuo, quòd dicit negationem extrà genus, non quia repleat spatium, sed quia coexistit spatio sicut Meld. & Cat. dicunt in hac disp. q. 6. quòd Deus coexistit spatio imaginario; Nec valet dicere cum istis Doctoribus ibi, quòd spatium imaginarium sit incompossibile cum corpore, quia licet imaginarium spatium sit negatio corporis, potest stare negatio tanti corporis, quantum est corpus, quòd actualiter replet, vt dictum est de immobilitate loci; Et sibi contradicunt in hac disp. n. 56. vbi habent, quòd loquendo in sententia illorum, qui dicebant spatium esse locum, tunc certum est omnia esse in loco: Infero ego: ergò omnia sunt in spatio, & sic spatium non est incompossibile corpori: Præterea si spatium imagina-

Vltima sphæra potest dici quod sit in loco negatiuè.

Contradictio Meld. & Cat.

rium esset incompossibile corpori, non tamen esset incompossibile esse extrà corpus, sic enim Deus non esset extra Cœlum in spatiis imaginariis, quòd est contra ipsos in hac disp. q. 6. per totum, quia sic non daretur spatium imaginarium: His not.

Probatur Conlusio. Quòd non habet corpus extrà se continens ipsum, non est in loco, sed vltima sphæra est huiusmodi; ergo non est in loco; maior patet, quia esse in loco est esse in continente, sed vltima sphæra, cum sit vltima, omnia continet, & non continetur: ergò non *est in* loco.

Contra Arguitur Primò. omne corpus est in loco secundum Arist. 3. phys. t. 54. & quarto phys. t. p. & 13. & maximè Cœlum t. 32. quia semper Cœlum mouetur localiter, & t. 45. explicat quomodo Cœlum sit in loco, & dicit, quòd est in loco per accidens, scilicet per partes; ergò *conclusio* est expresè contrà Arist.

Omne corpus est in loco quomodo intelligatur.

Respondeo, quòd Arist. in 3. phys. t. 54. cum dicit, quòd omne corpus est in loco, loquitur de corpore sensibili, quòd est sublunare, habet enim hæc verba: *Amplius omne corpus sensibile est in loco.* In 4. phys. t. p. volens probare, quòd locus sit, probat per hanc famosam propositionem: *Etenim quæ sunt, omnes existimant alicubi esse:* sicut etiam famosè loquitur t. 13. & 32. quia putabant Antiqui Philosophi, quòd non possit esse motus localis sine loco, si igitur Cœlum semper mouetur, maximè erit in loco: Ex quo elicit Arist. locum esse: Et cum in t. 45. dicit, quòd Cęlum est in loco per partes, intelligit de Vniuerso, quia loquendo de vltimo Cœlo, dicit quòd non est in loco, quia non habet aliud, quod contineat ipsum; vnde ad omnes Aristot. auctoritates responderi debet, quod quando Arist. dicit, quòd Cœlum est in loco, vel loquitur de vniuerso, & sic est in loco per partes, quæ sunt corpora contenta ab vltima sphæra; vel non loquitur de vltima sphæra, quia talis secundum ip-

ſum

sum Aristotelem non est in loco, cùm non contineatur ab alio corpore; vel loquitur famosè secundum opinionem Antiquorum.

Secundò, vltimum Cælum mouetur localiter; ergò est in loco, in quo fit hic motus, quia locus inuentus est propter motum localem ex Aristotele 4.phys.tex.32.

Respondeo, quòd vltimum Cœlum mouetur localiter secundum locare, non secundum locari, & ideò est in loco secundum locare tantùm ex Scoto quol. ij. C. motus enim vltimi Cœli est ad Vbi actiuum, non passiuum.

Tertiò Corporeitas est ratio essendi in loco circumscriptiuè; ergò omnia corpora sunt in loco necessariò.

Respondet Scotus quol.ij.B quòd corporeitas est ratio fundamentalis respectu huius, quòd est esse locabile, & respectu huius, quod est locari, quia cuius est potentia, eius est & actus: sed respectu primi scilicet locabilis est ratio necessaria, respectu secundi scilicet locari non est necessaria; Vnde hæc est per se Corpus est locabile; sed hæc: Corpus locatur: est per accidens: sicut: Homo est risibilis: est per se secundo modo; hæc autem contingens: Homo ridet: quare negatur consequentia, quia corpus ratione corporeitatis necessariò est locabile, sed non necessariò locatur, quia potest stare corpus sine loco actuali, quia sine continente, vt patet de vltima sphæra.



CONCLVSIO SEPTIMA.

Duo corpora non possunt esse in eodem loco naturaliter.

Est Scoti 4.dist.p.q.5. f.& dist. 49. q.16. A.B.C.

Sententia Auctoris. Caput Vnicum.

Qualis sit repugnantia duorũ corporũ in eodẽ loco videtur Scotus diuersus, sed est vniformis.

PRo cuius declaratione Not. primò, quod ideò duo corpora naturaliter non possunt esse in eodem loco, quia sunt incompossibilia, & sic vnum expellit necessariò aliud in eodem loco; qualis autem sit ista repugnantia, videtur esse diuersus Scotus locis citatis. Nam in 4. dist. 49. cit. dicit, quòd non potest esse formalis, quia talis inter qualitates solum reperitur, sed tantùm dicitur virtualis, sed in 4.dist.1. cit. dicit esse repugnantiam, & incompossibilitatem formalem, habet enim, quòd corpora videntur habere incompossibilitatem respectu eiusdem vbi, sicut qualitates contrariæ respectu eiusdem subiecti; sed si rectè doctrina Scoti perpendatur, nullam repugnantiam inuoluit: Nam cum dicit Scotus duo corpora esse incompossibilia formaliter, sicut duæ qualitates contrariæ, non intelligit simpliciter, & quoad entitatem corporum, quia nec substantiæ, nec quantitati est aliquid contrarium secundum Aristot. in prædicamentis; sed intelligit similitudinariè, & in ordine ad expulsionem: Habet enim Sco. in 4.dist.p. cit. hæc verba: *Vbicumque est formalis incompossibilitas in Creatura, idest incompossibilitas per formas, vnum illorum non expellit aliud actiuè, sed tantum formaliter, agens autem inducens vnum effectiuè expellit aliud effectiuè, corpora autem videntur habere incompossibilitatem respectu eiusdem Vbi, sicut qualitates contrariæ respectu eiusdem subiecti; sicut ergò idem corpus effectiuè inducit calorem, ita frigus expellit, non*

autem

autem effectiuè calor expellit frigus, sed tantùm formaliter: Ita in proposito de expulsione corporis ad vbi per aliud corpus: Hæc Scotus. Vult igitur dicere Scotus, quòd duo corpora repugnant formaliter in eodem loco, quia vnum formaliter expellit aliud, ideſt per formam, quæ eſt quantitas, non autem effectiuè, quia ſic expellit mouens corpus ad eundem locum, in quo eſt aliud corpus, quod expellit, ſicut vna qualitas contraria non expellit aliam effectiuè, ſed tantum formaliter; Cum hoc tamen ſtat, quod eadem duo corpora ſint in eodem loco virtualiter incompoſſibilia: Vnde.

Secundò Not. ex Scoto 4. diſt. 49. cit. quòd aliqua poſſunt eſſe repugnantia dupliciter, ſcilicet formaliter, & virtualiter. Virtualiter repugnat cauſa naturalis, & oppoſitum ſui effectus V. G. ſi Cœlum de hac materia produceret vermem, & ſi agens fortius superueniret, & in eandem materiam induceret formam aliquam oppoſitam formæ vermis, iſtud ſuperueniens virtualiter opponeretur Cœlo; formalis verò repugnantia eſt illorum, quæ ſecundum ſe, & ſuos effectus opponũtur, vt albũ, & nigrum, ſed in propoſito inter dimenſionẽ, & dimenſionẽ non eſt repugnantia formalis, quia talis non eſt niſi reſpectu eiuſdem ſubiecti, ſi ergò ſunt repugnantia, hoc non eſt niſi reſpectu loci, ex eo ſcilicet quòd locus eſt ſpatium capax corporis, & vnum corpus replet, locum vnum quantum natus eſt repleri, & per conſequens aliud corpus quo ad hoc opponitur ſibi, quia non poteſt habere ſuum effectum in illo loco, eò quia non poteſt replere locum, cum ſit repletus: opponuntur igitur virtualiter, ideſt per effectus eo modo, quo quantitas poteſt habere efficientiam in loco, quæ eſt replere locum; Nam poſita repletione loci ab vno corpore, vt dictum eſt, aliud corpus non poteſt replere locum, quia iam repletus eſt quantum natus eſt repleri.

Quid ſit repugnantia formalis, & virtualis.

Corpus opponitur alteri in eodem loco virtualiter.

Tertiò Not. pro quibuſdã apparentibus experientiis, quæ ſolent

solent adduci ab omnibus ferè scriptoribus contra huius modi conclusionem, quòd cum notum sit naturaliter duo corpora non posse in eodem loco existere, si aliquando videantur simul esse, est quia decipitur sensus; Aliquando enim simul videtur esse vinum cum pane, ignis simul cum ferro, spiritus vitalis cum partibus animalis, sed, vt innuit Sco. quarto dist. 49. q. 16. cum omnia ferè corpora habeant quasdam partes solidas, & quasdam porrosas, vnum corpus in partibus porrosis alterius corporis existit, vt aer in porris, vel spiritus tenuuiores alterius corporis extramittuntur. Aliquando videtur esse aqua simul cum farina, sed hoc non fit per penetrationem, sed per iuxta positionem: Aliquando in condensatione videntur partes corporis simul penetrari, cum magis dicantur constipari, & constring: Aliquando videtur ventus simul cum aere esse cum, tamen ventus ab aere non differat, vel si ventus est exalatio calida, & sicca circa terram lateraliter mota, & ab aere differt, scindit partes aeris, & aerem expellit; Aliquando videtur cinis esse simul cum aqua in aliquo vase, sed tunc extrahuntur tenuuiores partes cineris, & in porris partium solidarum cineris etiam immittitur aqua: Aliquando paruum metallum videtur esse simul cum aqua in eodem vase, & tamen aqua cedit metallo intumescendo, & si labia vasis madefiant, statim dilabitur aqua: Ex quibus experientiis potius dignoscitur duo corpora naturaliter non posse simul esse in eodem loco, sed vnum necessariò expellere aliud. His notatis.

Doctrina pro apparētibus experientijs contrà conclusionem.

Probatur Conclusio. Duo corpora sunt quanta; ergò impenetrabilia naturaliter, quia quantitas est ratio impenetrabilitatis naturalis, effectus enim formalis corporis quanti est expellere aliud in eodem loco, quia vnum corpus replet locum quantum natus est repleri.

Contrà arguitur primò. Plura accidentia materialia eiusdem corporis sunt ad inuicem compenetrata cum eo in

eodem

eodem spatio, vt patet de albedine, & dulcedine in lacte.

Respondent Meld.& Cat.in hac disp.num.104.contra se ipsos, & optimè, penetrationem propriè spectare ad rès corporeas distinctas quantitatem habentes, qualia non sunt plura accidentia materialia eiusdem corporis, quæ vnica quantitate extenduntur, & ideò propriè dici non debent ad inuicem compenetrata, sed potius simul esse in eodem subiecto. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc responsio includit contradictionem in doctrina ipsorum, quia sustinent accidentia materialia habere propriam extensionem sine quantitate: ergò non extenduntur, vt hic dicunt, vnica quantitate, aliter huiusmodi accidentia non haberent propriam extensionem. *Confutatur, & ostēditur contradictio.*

Nec possunt respondere, quòd omnia illa accidentia in vno subiecto extenduntur vnica quantitate impenetrabiliter, quia sic essent impenetrabilia, & non possunt esse simul cum subiecto in eodem loco; ergò tenentur dicere, quòd illa accidentia materialia non habent propriam extensionem, sed extenduntur ad extensionem quantitatis, quòd est contra ipsos pluribus in locis.

Præterea probo, quòd si accidentia materialia haberent propriam extensionem absque extensione quantitatis, tunc penetratio non solùm spectaret propriè ad quantitatem, sed etiam ad accidentia materialia secundum se: Nam sicuti impenetrabile est illud, quod replet locum quantum natus est repleri, quem locum non potest simul replere aliud corpus, ita corpus penetratur quando simul cum alio corpore replet locum: sed si accidens materiale esset sine quantitate extensum, repleret locum quantum natus est repleri etiam secundum ipsos in hac quæstione, vbi uolunt, quòd replere locum competat non solùm quantitati, sed etiam omnibus substantiis, & accidentibus materialibus, quia impossibile est esse aliquod trina dimensione in loco exten-

sum,

ſum, & quòd non faciat latera continentis diſtare; & per conſequens non repleat locum: ergò aliud accidens non poſſet ſic replere; ergò ſi repleret, penetraret: ergò penetratio non ſolùm propriè ſpectaret ad corpora habentia diſtinctam quantitatem, ſed etiam ad accidentia materialia ſecundùm ſe conſiderata: Impenetrabilitas enim ſecundum Scotum 4.diſt.49.q.16. nihil aliud eſt quam incompoſſibilitas duorum effectuum, qui ſunt duæ repletiones ſimul eiuſdem loci.

Secundò poſſunt naturaliter partes vnius Corporis penetrari, vt patet de condenſatione; ergò etiam corpora diſtincta poterunt naturaliter penetrari.

Reſpondeo negando antecedens; quia in condenſatione partes vnius corporis non *penetrantur*, ſed reſtringuntur, & conſtipantur, & ſic falſa eſt conſequentia.

Tertiò, ſuperficies duorum corporum ſimul ſe tangentium penetrantur, quia ſunt ſimul in eodem ſpatio; ergò etiam partes illorum corporum ad inuicem penetrantur; Conſequentia probatur, quia ſicut indiuiſibile non eſt extra partem, ita non eſt extra locum partis; ergò quòd eſt ſimul cum indiuiſibili, eſt etiam ſimul cum parte: ergò partes, quæ ſunt ſimul cum ſuis ſuperficiebus ſimul ſe tangentibus, erunt etiam ſimul in eodem loco.

Reſpondetur communiter, quòd ſuperficies, quibus ſe corpora tangunt, debent dici ſimul, & non compenetratæ, quia ex eo capite quo ſunt ſimul non ſunt extenſæ, & diuiſibiles. *Reſponſio communis*

Sed hæc reſponſio patitur difficultatem, quia duæ ſuperficies vnius palmi ſecundum longitudinem, & latitudinem ſimul ſe tangentes, ſunt ſimul ſecundum talem longitudinem, & latitudinem; ſed ſunt diuiſibiles ſecundũ longitudinem, & latitudinem, ergò ex eo capite, quo ſunt ſimul ſunt extenſæ, & diuiſibiles.

Reſponſio Auctoris. Ideò debet clarius Reſponderi, quòd hæc ſuperficies ſimul

ſimul ſe tangentes non ſunt compenetratæ; quia non ſunt profundæ, penetratio enim eſt ſecundum profunditatem, quam non habent ſuperficies: Et ſic ſola corpora poſſunt compenetrari: Alia autem ſi ſunt in eodem loco, dicuntur eſſe ſimul ſine penetratione. Ad ſimultatem autem duarum ſuperficierum non ſequitur ſimultas partium in eodem loco: Ad probationem dico, quòd indiuiſibile non eſt extra partem, quia eſt terminus, vel copulans vnam partem cum alia, & per conſequens non eſt extra locum partis, quia eſt in eodem loco, vbi eſt pars, & hoc per accidens, quia eſt in illo loco ad locationem partis, per ſe tamen ipſi correſpondet aliquod indiuiſibile in loco, vt puncto in corpore correſpondet punctus in loco, & ſuperficiei correſpondet ſuperficies: & ſic negatur vltima conſequentia.

CONCLVSIO OCTAVA.

Duo Corpora poſſunt eſſe ſimul in eodem loco per diuinam potentiam.

Eſt Scoti 4. diſt. 49. q. 16. & quol. ij. M.H.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld. & Cat. diſp. ij. Phyſ. q. 7. num. 107. eandem ſuſtinent Concluſionem, ſed in modo illam explicandi differunt à Scoto, & ſeipſos redarguunt propter fundamentum à Neotericis Thomiſtis acceptum de impenetrabilitate, quòd non ſolùm cum Doctrina Scoti, ſed nec etiam cum dictis eorum poteſt ſubſiſtere; Inquiunt enim, quòd duo corpora naturaliter nequeant ſe in eodem ſpatio compenetrari, planum eſt ex eorum quantitate prouenire in hunc modum. Ex quantitate oritur duplex potentia, & aptitudo: Prior eſt aptitudo occupandi locum diuiſibiliter, cuius *Opinio Meld. & Cat.*

aptitudinis actus est actualis occupatio loci, & repletio quæ non est nisi actualis extensio in ordine ad locum, & dicitur vbi circumscriptiuum; Posterior aptitudo, quæ quasi ex priori proximè emanare videtur, est potentia expellendi aliam quantitatem ab eodem spatio, in quo est, quæ aptitudo dicitur impenetrabilitas, cuius actus est actualis expulsio alterius quantitatis ab eodem spatio: Et hæc aptitudo ideò à priori emanare censetur, quia vnum corpus ideò aliud à proprio loco expellit, quia locum illum replet, & occupat; quę passiones sunt à quantitate inseparabiles, & ei realiter identificatæ.

Cōfutatur & ostenditur manifesta eorum contradictio.

Sed isti Doctores sunt in Doctrina inconstantes, quia disp.9.Phys. num.17. dicunt, rationem replendi locum esse priorem ratione expellendi corpus prioritate vniuersalitatis, quia etiam cæteris rebus corporeis conuenit, sicut animal in homine dicitur prius rationalitate; Vnde impenetrabilitas, quæ secundum istos est aptitudo ad expellendum, se habet veluti ratio specifica contrahens rationem replendi locum.

Tunc sic arguo. Passio, quæ oritur à quidditate specifica, & à specie, nullo modo potest generi conuenire, & aliis speciebus sub illo genere contentis; sed aptitudo ad replendum locum secundum istos Scriptores disp. ii. num. 107. oritur à quantitate, est inseparabilis à quantitate, & realiter cum quantitate identificata; ergò hæc aptitudo non potest aliis rebus corporeis conuenire, quæ in doctrina istorum sunt substantia, & accidetia materialia sine quantitate, & si aliis rebus corporeis conuenit, non potest oriri à quantitate, quòd est contra ipsos; Minor est eorum, maior est euidentissimè Aristotelis primo post. cap. 5. vbi habet, quòd si passio inferioris demonstraretur adæquatè de Superiori esset error, & patet, quia risibilitas, quæ est passio hominis, non potest animali adæquatè conuenire, nec aliis speciebus animalis competere, non enim equus,

vel

vel Bos est risibilis.

Si respondeant, quòd aptitudo ad replendum locum est duplex; Alia ad replendum locum impenetrabiliter, & hæc solum conuenit quantitati; Alia ad replendum locum penetrabiliter, & hæc omnibus rebus corporeis conuenit. *Responsio pro Mel. & Cat.*

Contrà; ergò aptitudo in quantitate ad replendum locum non est aptitudo distincta ab aptitudine ad expellendum, quæ dicitur secundum eos impenetrabilitas; sed hoc est falsum, quia Ponunt impenetrabilitatem esse distinctam aptitudinem ab illa, quæ est ad replendum locum: Non igitur dabitur repletio penetrabilis, & impenetrabilis secundum eos, sed abstrahit à penetrabilitate, & impentrabilitate cum maximè secundum istos Scriptores aptitudo ad replendum sit veluti commune contractum per aptitudinem ad expellendum tanquam differentiam specificam, & omne commune essentialiter abstrahat à differentiis contrahentibus. *Cõfutatur.*

Præterea. Si impenetrabilitas oritur ab aptitudine ad replendum locum, vt isti Scriptores suprà dixerunt, & ideò corpus expellit aliud, quia replet locum; ergò non potest dari repletio sine impenetrabilitate naturali; ergò non potest dari repletio penetrabilis naturaliter. *Confut. 2.*

Si dicerent, quòd hoc valet in quantitate, non autem in aliis rebus corporeis sine quantitate. *Responsio pro Mel. & Cat.*

Contra. Aptitudo ad replendum locum secundum istos in hac disp. & disp. 9. locis in principio citatis competit rebus corporeis, & quantitati, & est eiusdem rationis in omnibus, licet hoc alias sit improbatum: ergò si in quantitate impenetrabilitas, & aptitudo ad expellendum emanat ab aptitudine ad replendum emanabit etiam ab aptitudine ad replendum in rebus corporeis sine quantitate, cum sit eiusdem rationis in omnibus; ergò si res corporeæ replent, etiam expellunt, & sunt naturaliter impene- *Confutatio*

trabiles, quòd negant; ergò non potest dari repletio penetrabilis naturaliter.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Duo Corpora possunt esse simul in eodem loco per diuinam potentiam.

Est Scoti 4.dist.49.q.16.& quol.ii.M.N.

Locus est duplex.

PRo cuius declaratione Not. Primò, quòd locus est duplex: Adæquatus, & inadæquatus: Adæquatus est qui ita continet corpus, quòd non aliud potest naturaliter continere, & habet tantam capacitatem continendi, quantum corpus est extensibile; locus inadæquatus est qui excedit extensionem corporis, vel in extensione exceditur â corpore: In proposito duo corpora non possunt esse naturaliter in eodem loco adæquato, possunt tamen esse in loco inadæquato, quia duo corpora vnius palmi possunt esse in eodem loco bipalmari, loquendo verò in ordine ad omnipotentiam Dei duo corpora possunt esse in eodem loco adæquato diuersimodè: Vel quia ambo sint in eodem loco sine modo naturali quantitatiuo, scilicet sine extensione: Vel quia vnum sit extensum in loco, aliud verò inextensè, vt est Corpus Christi simul cū hostia: Vel quia ambo sint in loco extensè, & in hoc vltimo sensu intelligitur Conclusio.

Quomodo repugnent duæ quantitates.

Secundò Not. ex Scoto in 4. loco superius citato F. quòd inter quantitatem, & quantitatem non est repugnantia formalis, nec inter situm, & situm, nec inter vbi, & vbi, quia quæcumque formæ quantumcumque sint contrariæ, si sunt in diuersis subiectis non repugnant; Vnde dato quod in hoc corpore, & illo sint duo vbi, scilicet duæ circumscriptiones passiuæ terminatæ ad eandem superficiem, ista duo vbi

vbi non repugnant formaliter, quia sunt eiusdem speciei; nec repugnant respectu corporis scilicet subiecti, quia hoc vbi est in vno corpore, aliud in alio: Si ergò est impossibilitas, quòd illa duo vbi sint in diuersis, hoc non est propter repugnantiam, quam habent inter se absolutè, nec etiam vt comparata ad subiecta, ergò oportet, quòd propter comparationem eorum ad eundem terminum, respectu cuius accipiuntur, sed nec sic est impossibilitas, cum non sit impossibile duos respectus extrinsecos esse in diuersis ad vnum terminum, sicut non est impossibile de respectibus intrinsecus aduenientibus, quia duo respectus similitudinis possunt esse ad vnum simile: Vnde effectus quantitatis vtique est replere locum, vt dictum est cum Scoto in præcedenti conclusione, sed effectus distinctæ quantitatis est replere distinctum locum: ergò cum dicit Scotus loco cit. sup. C. quòd si corpus esset in loco repleto alio corpore, tunc illud corpus non haberet suum effectum, non vult intelligere, vt dicit Auersa q. 27. sect. 5. quòd tunc illud corpus non repleret locum, sed vult dicere, quòd non repleret distinctum locum, qui est effectus distinctæ quantitatis, quia secundum Scotum loco citato infrà D. nihil potest esse ratio distincti situs, nisi quantitas distincta; Et immeritò Meld. & Cat. in hac disput. reprehendunt Auersam contra Scotum arguentem, quasi quod imponat Scoto non posse dari penetrationem, nisi impediendo repletionem, sic quòd vnum corpus repleat, aliud non; Nec ipsi soluunt rationem Auersæ, cuius vis argumenti est talis. Si ex Scoto loco cit. supra C. vnum corpus esset simul cum alio in eodem loco, tunc illud non haberet suum effectum, qui est replere locum; stante hoc rectè sequitur; ergò illud non repleret locum: Cui argumento satisfit adæquatè, dicendo ex Scoto, quòd sicut primus effectus distincti corporis non est replere locum, sed replere distinctum locum, sequitur etiam, quòd si vnum corpus esset cum alio in eodem

Immeritò Meld. & Cat reprehendunt Auersam.

dem

dem loco etiam repletiuè, non haberet suum effectum, quia non repleret distinctum locum. Vnde

Non rectè philosophãtur Meld. & Cat. de possibilitate duorum corporũ in eodẽ loco.

Tertiò Not. Meld. & Cat. cum aliis Neotericis Philosophis non rectè speculari dicentes duo corpora posse esse simul, impediendo non quidem repletionem, quæ est effectus distincti corporis, sed solùm expulsionem vnius corporis, ab alio, cum non possit impediri expulsio, nisi impediatur repletio distinctæ quantitatis, & distincti corporis, vnum enim corpus necessariò etiam in ordine ad omnipotentiam Dei absolutam expellit aliud, quia corpus distinctum replet distinctum locum: Vnde duo sunt effectus naturales quantitatis distinctæ, prior est repletio distincti loci, alter est expulsio; Non potest impediri secundus, nisi priori impedito, & ideò Deus potest impedire expulsionem, quia potest impedire distinctam repletionem: Data enim distincta repletione duorum corporum, datur etiam necessariò in ordine ad potentiam diuinam absolutam, expulsio vnius corporis ab alio.

Quid sit impenetrabilitas naturalis.

Quartò Not. quòd sicut penetrare corpus est esse simul cum alio in eodem loco circumscriptiuè, ità non penetrare est negatio illius simultatis: Et sicut penetrabilitas non est, nisi non repugnantia ad esse simul cum alio corpore in eodem loco circumscriptiuè, ita impenetrabilitas naturalis est repugnantia ad esse simul cum alio corpore in eodem loco; Nihil autem repugnat alicui, nisi per aliquod positiuum sibi conueniens, corpori autem hoc repugnat naturaliter, quia habet aptitudinem ad replendum distinctum locum, eò quia habet distinctam quantitatem: Et quia habet aptitudinem ad replendum distinctum locum, consequenter habet aptitudinem ad expellendum aliud corpus ab eodem loco, quem replet; Vnde malè dicunt Meld. & Cat. cum Thomistis, quos sequuntur, impenetrabilitatem esse aptitudinem ad expellendum corpus, quia ideò vnum corpus expellit aliud, quia est impenetrabile. Impe-

netrabilitas igitur erit naturalis repugnantia simultatis cum alio corpore in eodem loco circumscriptiuè, quæ conotat aptitudinem ad replendum naturaliter distinctum locum, ex qua sequitur postea aptitudo ad expellendum: Ideò enim duæ formæ sunt incompossibiles in eodem subiecto, quia sunt oppositæ, & ex quo sunt oppositę vna expellit aliam: sic corpus, ideò est impenetrabile naturaliter, quia replet naturaliter distinctum locum, & ex quo replet distinctum locum expellit etiam aliud in eodem loco.

Quintò Not. quòd si vnum corpus naturale esset penetratum cum alio, posset contrà Auersam loco cit. sine alio corpore moueri ad alium locum absque nouo miraculo, & influxu diuinæ virtutis, quia stante primo miraculo, quo impediebatur distincta repletio loci, & per consequens expulsio, posset illud corpus penetrare aliud corpus in quocunque loco moueretur: Et dato, & non concesso, quòd opus esset nouum miraculum adhuc, vt corpus penetratum cum alio corpore in vno loco, penetraret aliud corpus in alio loco, ad quem moueretur, posset corpus penetrans moueri sine alio corpore penetrato in primo loco, quia Deus posset relinquere partes egredientes à primo loco in suo esse naturali, & sic expelleret aliud corpus in alio loco absque nouo miraculo, & per consequens non secum ferret necessariò aliud corpus penetratum, quia quod facerent duo corpora simul compenetrata in eodem loco, si ad alium locum mouerentur sine nouo miraculo, id faceret vnum corpus, si alio corpore relicto in primo loco, ad alium locum moueretur. His notatis

Si duo corpora essent penetrata, vnum posset sine alio moueri absq; nouo miraculo.

Probatur Conclusio ex Scoto 4. dist. 49. q. 16. G. Impossibilitas quanti ad quantum existendi in eodem loco, non est nisi sicut impossibilitas causæ essendi sine suo effectu naturali: sed non est impossibile causam esse sine suo effectu naturali in ordine ad potentiam Dei absolutam: ergò non est impossibile duo quanta esse sine suis effectibus naturalibus;

bus: minor probatur, quia causa est prior suo effectu naturali, & Deus potest conseruare prius sine posteriori; subinfero: sed effectus naturalis distinctæ quantitatis est replere distinctum locum; ergò Deus potest conseruare distinctam quantitatem sine repletione distincti loci: ergò potest facere, quòd duo corpora sint in eodem loco extensiuè, quia si duo corpora non replent distinctum locum, sequitur necessariò, quòd sunt simul in eodem loco. Prætereà fide tenemus, quòd Christus natus est de Maria Virgine, & remanserunt integra claustra Virginis: ergò oportuit Corpus Christi esse simul cum partibus illius Corporis; ergò tūc fuerunt duo corpora simul. Item Christus resurrexit clauso sepulcro, & intrauit ad discipulos suos ianuis clausis: ergò tunc corpus Christi fuit cum *alio corpore.*

Contrà arguitur primò. Si duo corpora *possunt esse in* eodem loco, ergo & duæ partes eiusdem corporis poterunt se inuicem penetrare, quia sicut naturaliter diuersis corporibus diuersa loca debentur, ita diuersis partibus eius diuersæ loci partes, & per consequens diuersa paradoxa sequerentur, nimirum partem fore æqualem toti, totum includi in quauis minima parte, maximam molem posse transire per foramen acus, & similia.

Afferunt Meld. & Cat. ibi communem Responsionem, quòd sustinendo essentiam quantitatis consistere in extensione aptitudinali, non actuali, conceditur quòd partes vnius corporis possint se inuicem compenetrari in puncto, neque sequi absurdum, scilicet, quòd totum non esset maius sua parte, quia si totum non magis actualiter se extenderet, quàm eius pars V.G. palmaris, haberet tamen aptitudinem ad maiorem extensionem.

Sed hæc Responsio non satisfacit Auersæ. Nam qui negant penetrationem corporum esse possibilem, id solùm negant, stante extensione locali actuali vtriusque corporis: Idcircò Respondet Auesa, stante hac extesione non posse

qui-

quidem omnes prorsus corporis partes penetrari, ita vt indiuisibiliter se haberent in loco, quia id sanè foret contra essentiam huius extensionis, sed tamen posse vnam aliquam partem cum alia penetrari V.G. vnum semipalmum cum alio, & per hoc non destruitur essentia talis quantitatis, & extensionis, quia non est de ratione eius, vt quælibet pars actu sit extra omnem aliam partem in loco, sed satis est, vt sit extra aliquas, quòd adhuc saluaretur esse, si per partiũ penetrationẽ totũ vniuersum in bursa concluderetur.

Contrà hanc Responsionem arguunt Meld. & Cat. eò quia in primis falsò innititur fundamento; scilicet quod ratio quantitatis existit in actuali extensione, quòd est in magno præiudicio Sacramenti Eucharistiæ, atque ideò non saluat Auuersa, quòd in duobus palmis, vel semipalmis ad spatium digitale deductis, detur adhuc extensio, & magnitudo bipalmaris maior palmari, & palmaris maior semipalmari, cum vnus palmus non sit extra alium, nec semipalmus extrà semipalmum.

Sed isti Scriptores immeritò Auersam arguunt, & reprehendunt, qui licet sustinent essentiam quantitatis consistere in actuali extensione, hoc tamen non supponit tanquam fundamentum, sed solùm supponit contrà primam responsionem communem extensionem actualem localem, quæ debet præsupponi ad inferendam penetrationem duorum corporum in eodem loco, nam aliter nulla esset difficultas; dicit enim, quòd qui negant penetrationem corporum possibilem, id solùm negant stante extensione locali actuali vtriusq; corporis, ac postea stante hac extensione, penetratio aliquarum partium corporis non esset contra essentiam quantitatis, & extensionis actualis.

Ideò respondent Meld. & Cat. cum Bassol. negando consequentiam; si enim duo corpora valent esse per Dei potentiam in eodem loco circumscriptiuè, non inde valet inferre; ergò pariter & duæ partes, vel plures eorum *Responsio Meld. & Cat.*

corporum ità in loco existentium, cum enim esse in loco circumscriptiuè sit ità esse in loco, vt totum corpus toti loco correspondeat,& singulæ partes singulis loci partibus, planè implicat in terminis, quòd corpora illa sint in loco circumscriptiuè, & quod partes eiusdem corporis sint inuicem compenetratæ, partes enim eiusdem corporis esse ita compenetratas, formalissimè infert corpus,cuius sunt partes non esse in loco circumscriptiuè, non igitur implicat absolutè penetratio partium ad inuicem, quia si fieri potest in corporibus, etiam fieri potest in partibus,vt patet in Eucharistia,sed implicat facta suppositione, quòd corpus, cuius sunt partes, sint in loco circumscriptiuè,vt est in casu conclusionis nostræ; In casu verò, quo partes penetrantur ad inuicem,rectè saluatur inæqualitas partium respectu totius modo à communi responsione allata explicato.

Cõfutatur Sed isti Scriptores cum Bassol.non satisfaciunt argumento; Et primò asserunt vnum falsum, scilicet quòd argumentum supponat corpus esse in loco circumscriptiuè, & partes eius compenetrari; Infert enim argumentum duas partes vnius corporis posse compenetrari si duo corpora possunt penetrari, & ex hoc sequitur totum non esse maius sua parte, & maximam molem posse per foramen acus pertransire, quòd non posset inferre, si corpus secundum se totum remaneret extensum, cùm non possit dari penetratio partium eiusdem corporis remanente toto corpore extenso. Secundò dicunt in hac responsione, quòd partes corporis Christi in Eucharistia se compenetrantur; Hoc enim est falsum, quia non potest dari penetratio sine extensione, vtique istæ partes dicuntur esse simul, etiam in doctrina ipsorum, cum sint sine suo modo naturali quantitatiuo, & extenso.

Responsio Auctoris. Respondeo igitur concedendo absolutè consequentiam, quia sicut duo corpora possunt penetrari, etiam duæ partes quantæ eiusdem corporis; sed negatur ex hoc sequi partem

rem esse æqualem toti, hoc enim id inconueniens sequeretur de corpore Christi in Eucharistia, quia tàm partes, quàm totum habent modum indiuisibilem: Ideò si partes corporis compenetrarentur, & totum extenderetur solum ad quantitatem digiti, tamen totum remaneret maius sua parte, quia maiorem exigeret extensionem, si actualiter extenderetur; Nec est paradoxum maximam molem pertransire per foramen acus, data partium penetratione, sicut non est paradoxum corpus Christi quantum, & magnum in indiuisibili consistere; Argumentum in contrarium magnifaciunt isti Scriptores, sed nullius est momenti.

Secundò. Varietas loci facit defferentiam in numero ex Boetio p. de Trinit. cap. p. ergò repugnat duo corpora esse in eodem loco, quia sic duo corpora essent vnum corpus, quòd repugnat.

Respondeo ex Scoto 4.dist.49. q.16. A. quòd nulla accidentia faciunt intrinsecè indiuiduum, & sic multò minus locus, corpus enim, quantum est ex se, posset esse, si locus non esset, & tamen esset indiuiduum; Et auctoritas Boetij sic est intelligenda, quòd diuersitas loci facit diuersitatem numeralem, non intrinsecè, sed quoad innotescentiam, quia facit nobis magis inotescere diuersitatem numeralem corporum, quia cognitione naturali non possumus illa duo corpora cognoscere, si ipsa essent in vno loco ideò diuersitas loci magis innotescere facit diuersitatem numeralem corporum.

Tertiò, Ratio repugnandi duo corpora esse simul in eodem loco est dimensio distincta; ergò remanente tali dimensione, quæ est ratio formalis huius repugnantiæ, impossibile est duo corpora esse simul in eodem loco.

Respondeo ex Sco.loc. cit. infra C. ad antecedens, quòd vtique distincta dimensio est ratio repugnandi duo corpora esse simul virtute naturali, quæ non potest facere cau-

Iam sine suo effectu naturali, non tamen virtute diuina, quæ potest facere causam sine suo effectu naturali, sicut calorem potest facere sine calefactione, vt patet de tribus pueris in fornace ignis ardentis; quæ repugnantia in ordine ad virtutem naturalem non est formalis, quia talis est inter qualitates in eodem subiecto, sed potius dicitur virtualis, vt patet in secundo Notabili, & in præcedenti conclusione.

Quartò. Effectus formalis formæ non potest separari à forma; sed effectus formalis quantitatis distinctæ est replere distinctum locum, & aliud corpus expellere; ergò non potest à Deo separari; ergò impossibile est etiam per potentiam Dei duo corpora esse simul in eodem loco.

Respondeo concedendo maiorem, *sed negando minorem*, quia sicut effectus formalis formæ est *informare*, & denominare subiectum; ità effectus formalis talis formæ est tali modo informare, & denominare; Vnde effectus formalis albedinis est albefacere, & denominare subiectum album, effectus formalis nigredinis est nigrefacere, & denominare subiectum nigrum, & effectus formalis caloris est denominare subiectum calidum. Effectus verò naturales istarum formarum, vt congregare visum, quòd competit nigredini, disgregare visum, quòd competit albedini, & calefacere competens calori, non sunt effectus formales, quia non competunt formis, vt formæ sunt, sed magis vt efficientes sunt; Ità effectus formalis *quantitatis* est denominare subiectum quantum, replere verò distinctum locum, & expellere corpus non est effectus formalis distinctæ quantitatis, quia illi non competit, vt forma est, sed magis vt efficiens est; Ideò dicit Scotus loc. superius cit. quòd isti effectus reducuntur magis ad causam efficientem; Et ratio esse potest, quia competunt formis, non vt simpliciter formæ sunt, sed vt sunt rationes efficiendi, nam sepa-

Qui sit effectus formalis quantitatis.

separatæ à subiectis, possent habere tales effectus in ratione causæ efficientis; Ideò sicut Deus non potest separare albefactionem ab albedine, nigrefactionem à nigredine, & reddere calidum à calore, ita non potest separare à quantitate reddere, & denominare subiectum quantum; sed sicuti potest separare congregationem visus ab albedine, disgregationem visus à nigredine, calefactionem à calore, ita potest separare à quantitate replere distinctum locum, & expellere corpus; Et sic negantur consequentiæ.

Quintò. Si duo corpora essent in eodem loco; ergò essent vnus locus, quòd implicat, sicut implicat idem esse duo & vnum; Consequentia probatur, quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; sed si duo corpora essent in eodem loco, essent idem cum illo loco ex Arist. 4. Phys. vbi habet, quòd dimensiones corporis sunt eædem simpliciter cum dimensionibus loci; ergò dimensiones plurium corporum in eodem loco erunt eædem inter se.

Respondeo negando consequentiam, ad probationem negatur minor: Et cum dicitur ex Arist. quòd dimensiones corporis sunt eædem cum dimensionibus loci. Respondeo ex Scoto loc. cit. N. quòd hæc propositio potest intelligi dupliciter, scilicet positiuè, & negatiuè: Si accipiatur positiuè, falsa est, quia locus non habet dimensiones præter dimensiones locati, cùm locus sit tantum superficies ex eodem Arist. 4 Phys. Si verò intelligatur negatiuè, facit sensum, quòd dimensiones locati sunt eædem, idest non aliæ quia non sunt dimensiones loci, aliæ à dimenbonibus locati; Vnde si duo corpora essent in eodem loco, tunc dimensiones illorum corporum essent eædem dimensionibus loci, idest nou aliæ, non tamen sequeretur, quòd dimensiones duorum corporum essent eædem inter se, quia essent distinctæ, quia non essent positiuè eædem vni tertio, & sic negatur consequentia.

Eadem est dimensio corporis et loci, quo modo intelligatur.

Sextò

Sextò. Duo indiuisibilia non posſunt eſse immediata, quia tunc non eſsent duo, vt patet ex Ariſt.6. phyſ.tex.3. ergò à ſimili, ſi duo corpora eſsent ſimul immediata non remanerent duo, quòd eſt impoſſibile.

Reſponſio Meld. & Cat. Cõfutatur

Reſpondent Meld. & Cat. in hac diſp. num. 113. quòd punctum additum puncto ſunt vnum punctum penetratiuè, non entitatiuè.

Contrà. Penetratio ſolùm propriè ſpectat ad res corporeas diſtinctam quantitatem habentes, & ideò plura accidentia materialia, quæ ſecundum ipſos extenduntur, non poſsunt in doctrina ipſorum in hac diſp.num.104. dici penetrata, ſed eſse ſimul in eodem ſubiecto; ergò multo minus punctum additum puncto dicuntur ſimul penetrari, ſed eſse ſimul; quare igitur negant penetrationem accidentibus materialibus, quæ ſuſtinent contra Scotum per ſe extenſa, & concedunt eam punctis, quæ ſunt inextenſa, & indiuiſibilia.

Reſponſio Auctoris.

Reſpondeo igitur ad hoc argumentum, quòd conficit Scotus, ſed non reſpondet, dicendo, quòd hæc ratio, & ſequens facit pro Philoſophis, quòd punctum additum puncto non ſunt duo, ſed vnum quoad extenſionem, & quantitatiuè, quia punctus additus puncto non facit maius, ſunt tamen duo puncta entitatiuè; Sic in propoſito duo corpora in eodem loco non ſunt duo, ſed vnum quantitatiuè, ideſt quò ad maiorem extenſionem, & occupationem loci, quia ambo non occupant maiorem locum, quàm occuparet vnum Corpus, ſunt tamen duo entitatiuè, quia habent diuerſam entitatem, & quantitatem.

Septimò. Si duo corpora eſſent in eodem loco, ſequeretur quòd ab vno puncto loci poſſent duci duæ lineæ rectæ ad punctum locati, nam tot lineæ duci poſſunt à puncto loci, quot corpora ſunt in eo, & tamen à puncto ad punctum poteſt tantùm duci vna linea recta.

Reſpondent Meld. & Cat. eodem loco iam cit. negando ſe-

sequellam; sed puto esse errorem impressionis, quia, vt patet ex verbis sequentibus, concedunt sequellam, melius tamen fecissent, si sine impressionis errore, ipsam negassent, dicunt enim, quòd punctum ex parte locati correspondēs puncto loci, licet esset vnum situaliter tamen entitatiuè duo forent, sicut duo sunt corpora locata; Vnde duæ etiam forent lineæ rectæ ductæ à puncto loci ad puncta corporum, quæ tamen inter se compenetratę forent, sicut puncta ad quæ terminantur. *Responsio Meld. & Cas.*

Sed hæc responsio non satisfacit, quia argumentum valet de ductione naturali linearum, aliter nullam haberet difficultatem; Vtique si per potentiam Dei possunt esse plura corpora in eodem loco, concederentur plures lineæ rectæ compenetratæ per potentiam diuinam, ductæ ab vno puncto loci, non solum ad puncta corporum compenetratorum, sed etiam ad vnum tantum punctum entitatiuè; sed difficultas stat in hoc, quòd naturaliter possent duci plures lineæ rectæ ad puncta simul existentia duorum corporum, eò quia sunt duo puncta entitatiuè, vt inferunt isti Scriptores in responsione. *Cōfutatur.*

Ideò aliter respondeo negando, quòd si duo corpora essent in eodem loco, possent duæ lineæ rectæ duci ad duo puncta simul existentia illorum corporum, quia cùm illa duo puncta sint sicuti vnum indiuisibile, non posset trahi, nisi vna linea, aliter alia non esset recta, quia medium alterius lineæ necessariò transiret ab extremis indiuisibilibus: Et ideò falsum est, quòd tot lineæ possint duci à puncto loci, quot sunt corpora, quia puncta infinitorum corporum compenetratorum sunt veluti vnum, quia non faciunt maiorem extensionem, secundum quam possent plures lineas rectas terminare; Vtique per potentiam Dei à puncto loci possunt trahi plures lineæ rectæ siue ad vnum punctum entitatiuè, siuè ad plura puncta simul existentia, dummodò illæ lineæ essent simul in eodem loco indi- *Responsio Auctoris.*

uisibiliter secundum longitudinem; sed istæ lineæ hoc modo ducerentur supernaturaliter, non naturaliter, de qua ductione naturali procedit argumentum.

Octauò. Si duo corpora essent in eodem loco; ergò quodlibet haberet Vbi, ergò essent duo Vbi, quòd falsum est, quia vnius loci vna est circumscriptio.

Respondeo ex Sco. quol.ij. M. concedendo consequentias, sed negatur quòd sint falsæ, & cum dicitur, quod vnius loci vna est circumscriptio, verum est, quando naturaliter locus continet tantùm vnum corpus, si verò plura corpora contineat, falsum est, quòd vnius loci sit tantum vna circumscriptio, quia sicuti vnum suppositum potest habere plures respectus intrinsecos ad diuersos terminos, vt Franciscus potest habere plures paternitates ad diuersos filios, ita superficies continens plura corpora potest habere plures circumscriptiones ad illa corpora, & in illis corporibus possunt esse plures circumscriptiones passiuæ ad eundem locum; Et sic vnius loci essent plura Vbi tàm actiua, quàm passiua.

Nonò. Si duo corpora essent in eodem loco; ergò vnum illorum aduenien non repleret, nec faceret latera continentis distare, quia iam per primum corpus interceptum latera continentis distabant.

Confirmatur, quia si vtrumque faceret latera continentis distare; ergò vtrumque esset medium inter latera distantia; sed vbi est aliud, & aliud medium per se, ibi videtur esse alia, & alia distantia, & ita inter latera eiusdem loci esset duplex distantia.

Respondeo ex Sco. loc. cit. N. negando consequentiam, quia vtrumque repleret, & faceret latera continentis distare quasi formaliter, effectiuè verò ab agente, quia vtrumque corpus est medium inter extrema.

Nec officit, quòd locus sit iam repletus, quia de nouo potest repleri: Non enim est magis inconueniens locum plenum

num repleri de nouo aliquo replente formaliter, quàm continens vnum sibi commensuratum de nouo continere aliud simili modo continendi.

Ad confirmationem respondeo ex Sco. loc. cit. quòd distantia potest accipi dupliciter, Vno modo pro relatione, quæ est in vno latere distante ad aliud latus distans, & sic esset vna tantùm distantia, siue esset vnicum medium, siue plura; Alio modo potest accipi distantia pro dimensione media inter extrema, quæ distant, & sic si duo corpora essent in eodem loco, tunc vnius loci esset duplex distantia, quòd non est inconueniens.

CONCLVSIO NONA.

Vnum Corpus potest esse in pluribus locis per potentiam Dei absolutam.

Est Sco. 4. dist. x. q. 2. per totum, & quol. x. L. K. & sequentibus.

Sententia Auctoris. Caput Vnicum.

PRo cuius declaratione Not. primò ex Sco. 4. dist. 10. q. 3. F. G. quòd cùm dicimus, quòd idem corpus potest simul esse in pluribus locis, nihil dicimus, nisi quòd super idem corpus fundantur plures respectus extrinsecus aduenientes ad plura quanta circumscribentia; quòd autem isti respectus possint plurificari, manente eodem fundamento ad diuersos terminos, non apparet contradicens rationi, quia respectus intrinsecus aduenientes, de quibus minus videtur, possunt plurificari in eodem fundamento ad diuersos terminos, vt suprà eandem albedinem possunt duæ similitudines fundari ad diuersos terminos. Et mirum est (inquit Scotus) quòd sequentes ratio-

nem, sequuntur imaginationem, quæ imaginatio non separat locum à corpore, nec corpus à loco, nec percipit vnum plurificari sine alio, ideò secundum imaginationem videtur impossibile simpliciter vnum sine alio plurificari. Sed exclusa imaginatione, quæ semper innitens sensibus, non aliud apræhendit, & sequendo rationem ex rationibus terminorum, nulla est necessitas, quòd plurificato vno, plurificetur aliud, vt plurificato posteriori, non est necesse prius plurificari, ipsa autem Vbi sunt manifestè posteriora locato. Et si instes (inquit Scotus) quòd vtique plures respectus possunt fundari in eodem fundamento, quando vnus eorum non adæquat totum fundamentum, vnum autem Vbi adæquat totam rationem quanti in quantum locabile est. Hoc videtur sine ratione dictum, quia respectus, qui oritur ex natura fundamenti magis videtur adæquari fundamento, quàm ille, qui est extrinsecus adueniens, & ideò sicut possunt esse in eodem fundamento duo respectus orientes ex natura fundamenti, vt duæ æqualitates ad duo quanta æqualia, ità poterunt esse in eodem fundamento duo respectus extrinsecus aduenientes ad diuersos terminos, vt duæ circumscriptiones passiuæ in eodem corpore ad diuersa loca.

Secundò not. quòd licet minus videatur impossibile duos respectus extrinsecos, vt duas vbicationes esse in eodem fundamento ad diuersos terminos, quam duos respectus intrinsecus aduenientes, eo quia, vt inquit Scotus loco iàm cit. G. vix est aliqua alia habitudo accidentalior suo fundamento, quam sit vbi, tamen non valet inferre, quòd si naturaliter duo respectus intrinsecus aduenientes possunt esse in eodem fundamento respectu diuersorum terminorum, quod etiam naturaliter possint esse duæ vbicationes in eodem corpore ad diuersa loca, quia hoc non prouenit ex ratione talis habitudinis, sed quia vt notant alij Scotistæ cum Scoto 4. dist. 49. q. 16. M. dici potest, quòd

natura

natura non potest dare, nec causare mutationem positiuam sine mutatione priuatiua, in quibus nata sunt concurrere; Vnde non potest dare albedinem, nisi priuet nigredine, in quibus tamen non sunt natæ concurrere mutatio priuatiua, & positiua, tunc in illis naturaliter potest esse mutatio positiua sine priuatiua, vt in illuminatione, ibi enim est mutatio positiua sine priuatiua, quia aer quando illuminatur nihil deperdit; In motu autem ad diuersa vbi (inquit Scotus) est talis quasi ad contraria, & ità absolutè loquendo natura non potest facere, quòd corpus aliquod accipiat vnum Vbi, & non priuetur alio Vbi, quia in talibus natæ sunt concurrere mutationes positiuæ, & priuatiuæ. Addo, quòd ideò in mutatione locali necessariò concurrit mutatio positiua, & priuatiua, & quod naturaliter non potest vnum corpus aquirere vnum Vbi, nisi recedat ab alio, quia quodlibet corpus naturaliter est diffinitiuè in loco, & est limitatum in ordine ad locum, est enim ita ibi, quòd non alibi, quomodo non est limitatum in ordine ad respectus intrinsecus aduenientes; Sed quare Corpus sit naturaliter limitatum ad Vbi, & non ad respectus intrinsecos: dicerem, quod ad hoc vt corpus sit in pluribus locis secundum Sco.4.dist.49.q.16.M. requiritur aliqua actio positiua, & aliqua virtus actiua, & per consequens si corpus posset esse in pluribus locis, posset esse in infinitis, & sic haberet virtutem infinitam: Sed ad hoc, vt habeat plures respectus intrinsecus aduenientes non requiritur aliqua actio, vel virtus actiua ex parte fundamenti, ad fundandam enim similitudinem nulla ex parte fundamenti requiritur actio; Et licet ad fundandas plures paternitates requiratur in Patre virtus generatiua, quæ multiplicet filios, & terminos, hoc est, quia relatio actualis non potest insurgere sine positione terminorum, tamen positis extremis, nulla requiritur actio, vt homo fundet plures paternitates, sed in Vbicatione, positis extremis, requiritur in fundamento actio ad

Quare corpus potest naturaliter fundare plures respectus intrinsecus aduenientes, non verò plures extrinsecus aduenientes.

hoc, vt fundet Vbicationem, quia fundamentum debet se facere præsens termino circumscribenti.

Tertiò Not. ex Sco. 4. dist. 10. q. 2. H. quòd pro solutione argumentorum, quæ maximam habent apparentiam tres supponendæ sunt propositiones, quarum prima est. Quæcumque sunt priora essentialiter ipso Vbi, vniformiter insunt corpori quamuis habenti diuersa Vbi; nec variabuntur, variato ipso Vbi; Quæ verò sunt posteriora, vel simul natura cum ipso Vbi, variabuntur secundum variationem ipsius Vbi: Hoc patet, quia prius essentialiter non variatur propter variationem posterioris, sed benè posterius variatur ad variationem prioris, & etiam quæ sunt simul natura cum aliquo, variantur cum illo: Vnde omnia absoluta, & etiam relatiua, quæ sunt priora loco, & non habent ordinem ad locum, non variantur ad variationem loci; vt esse quantum, album, Patrem, simile, & cętera huiusmodi: sed loquendo de eis, quæ connexionem habent cum Vbi, variantur ad variationem ipsius Vbi, vt situs de prædicamento situs, cum habeat connexionem cum Vbi, variatur ad variationem eius, vt sedere, & stare; Vnde notat Tat. 4. sent. ibi D. Ambr. habuit diuersum situm, quando simul fuit Turonis, & Mediolani causa exequiarum S. Martini.

Propositiones Scoti supponendæ pro solutione argumentorum.

Secunda propositio. Sicut passum existens in vno Vbi reciperet formam à duobus agentibus sibi ibidem approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patietur ab eisdem sibi in illis duobus Vbi approximatis, & hoc intelligitur de passione, quæ est ad formam absolutam, hoc patet, quia ad hoc, vt patiens patiatur ab agente introducente ipsam formam, non oportet nisi quod sit in potentia passiua, & agens habeat formam actiuam, & sint debitè approximata, siue in hoc vbi, siue in illo sit approximatio, nihil differt quantum ad actionem, quæ est ad formam absolutam; sed passo posito in duobus Vbi, ipsum habet eandem potentiam passiuam ad formam absolutam, & actiuum habet ea-

dem

dem potentiam actiuam, & eodem modo potest approximari sibi, vt est in isto Vbi, sicut in alio; ergò eodem modo patietur quantùm ad formam omnem absolutam à quocumque actiuo sibi approximato, siue in isto Vbi, siue in alio, sicut si tantum esset in vno Vbi, & esset agens sibi approximatum.

Tertia Propositio elicitur ex dictis, quòd sicut corpus in vno Vbi existens se haberet in ratione actiui ad diuersa sibi approximata in illo Vbi, sic ipsum vt existens in duobus Vbi se habet ad eadem sibi in illis Vbi approximata: Vt si ignis in vno Vbi calefaceret simul duo passa sibi approximata, idem ignis in duobus locis calefaceret illa passa diuersa, si in illis locis sibi essent approximata; His notatis

Probatur Conclusio à Scoto in 4. loco superius citato Ei Vbicunque potest Deus facere substantiam naturalem sine suo modo naturali, vel sub modo sibi opposito, potest eam facere sub modo suo naturali, seu conuenienti suæ naturæ; Probatur quia in faciendo primum est duplex miraculum, in faciendo secundum est tantum vnum miraculum. Sed Deus potest facere corpus Christi secundum omnes, & de facto facit sacramentaliter, id est non sub modo suo naturali, simul in diuersis locis; ergò potest facere in eisdem sub modo naturali, scilicet localiter, & dimensiuè.

Contrà arguitur primò. Si vnum corpus esset in pluribus locis; ergò idem corpus à se ipso distaret, sicut locus à loco, sicut ex opposito sequeretur, quòd illa plura loca essent simul; quia quæ sunt simul alicui tertio, sunt simul inter se, & sic simul idem à seipso distaret, & non distaret.

Respondent Meld. & Cat. num. 120. §. ad tertium, quòd Scotus 4. dist. x. q. 2. §. ad secundum principale, dicit non esse inconueniens idem per Vbi, quo Romæ constituitur, *Responsio Meld. & Cat.*

dista-

distare ab vrbe Venetiarum, & ab eadem non distare per vbi Venetum.

Insideliter adducunt Scotum. Sed hæc responsio non est Scoti, qui de vbi Veneto, & Romano nullam facit mentionem in loco cit. immò contrariam adducit doctrinam scilicet, quòd ratio propinquitatis, & distantiæ sunt duo Vbi distantia, vel propinqua; Ideò per Vbi Venetum non potest corpus replicatum esse sibi propinquum, sed tantùm quia potest habere Vbi propinquum vbi Veneto, & potest esse à seipso distans, quia potest habere Vbi distans ab eodem vbi Veneto.

Responsio vera Scoti. Respondet igitur Scotus loco citato, quòd non est inconueniens in eodem fundari relationes contrarias secundum diuersa fundamenta, sicut idem potest esse simile alicui secundum albedinem, & dissimile secundum scientiam, propinquum autem, & distans fundantur in corpore vbicato, quia vbi est propinquum, & distans; Et ideò idem Corpus potest esse propinquum, & distans, quia potest habere plura vbi propinqua, & distantia.

Sed contra hanc Responsionem Scoti arguo cum ipso Scoto in 2. dist. 2. q. 7. C. vbi habet, quòd anima in manu dextra, & sinistra non distat à se, & tamen manus distat à manu, ita Deus non distat à se, tamen distant inter se illa, quæ cum illo sunt his, & Romæ, & reddit rationem, quia quodcumque est in pluribus locis, quacunque virtute sit in eis, est aliquo modo illimitatum; ergò propter distantiam locorum non debet poni distantia corporis replicati in eisdem locis; ergò idem corpus secundum Scotum hic non distat à se ipso propter distantiam locorum, quod est contra dictum Scoti in 4. loco superius citato.

Corpus dicitur à se distans dupliciter. Respondeo, quòd corpus replicatum potest dici distans dupliciter; Vno modo absolutè: Alio modo relatiuè. Corpus diceretur absolutè distans, si secundum suam entitatem à se ipso esset diuisum, quomodo intelligunt Thomistæ dicentes, quòd si corpus replicaretur in diuersis locis, tunc

tunc à se ipso diuideretur. Relatiuè verò dicitur distans, quia eadem entitas corporis fundat ralationem distantiæ à se ipsa ratione loci distantis, loca enim distantia sunt fundamenta distantiæ in corporibus, corpora enim à se inuicem distant, quia loca, in quibus sunt, distantia sunt, & sic corpus replicatum in diuersis locis propinquis, vel distantibus dicitur à se ipso distans, & propinquum: Vnde quando Scotus dicit in 2. loco citato, quòd anima in manu dextra, & sinistra non distat à seipsa, intelligit de distantia absolutè secundum eius entitatem, quia anima à se ipsa non est diuisa, sed indiuisibiliter est in toto corpore: Quando verò dicit Scotus 4. loco cit. quòd corpus distat, & est propinquum secundum loca propinqua, & distantia, intelligit de distantia, & propinquitate formali, quia secundum distantiam, & propinquitatem locorum fundat relationem propinquitatis, & distantiæ à se ipso.

Secundò, Corpus est natura limitata; ergò est etiam limitatum secundum omne, quod sibi inest; ergò secundum locum; ergò non potest esse in pluribus locis.

Respondeo ex Scoto 2. dist. 2. q. 7. C. negando consequentias; quia licet corpus sit ex se limitatem quo ad naturam, & proprietates naturales, non est tamen limitatum quo ad accidentia relatiua, cuiusmodi est Vbi, ita quòd impossibile sit ipsum habere plura Vbi adæquata, licet virtute naturali sit limitatum ad vnum Vbi adæquatum, virtute tamen supernaturali potest esse in pluribus, & ita quodamodò illimitatum, quæ illimitatio non potest dici immensitas, cùm non sit ex principijs intrinsecis Creaturæ, sed à virtute diuina dependeat.

Tertiò. Contraria non possunt esse in eodem; Sed duo Vbi sunt contraria: ergò non possunt esse in eodem; ergò idem non potest esse in pluribus locis, minor probatur, quia duo Vbi possunt inter se distare, & potest ab vno ad aliud esse motus, qui est a contrario in contrarium,

rium, vel à contrario ad medium.

Respondeo ad maiorem, quòd contraria absoluta non possunt esse in eodem simul, vt albedo, & nigredo non potest esse simul in eodem homine, negatur tamen maior de contrarijs relatiuis ex Sco. in 4. dist. x. q. 2. supra R. respondendo ad primum principale, maximè quando idem potest habere plures rationes fundandi; Vt aliquod ens potest secundum aliquod esse maius, & secundum aliud, esse minus, simile, & dissimile, simile secundum albedinem, dissimile secundum scientiam, & sic concessa minori, negantur consequentiæ.

Quartò. Si idem Corpus posset esse in pluribus locis; ergò posset simul moueri, & quiescere; moueri in vno Vbi, & quiescere in alio; ergò posset quiescere, & non quiescere, quæ sunt contradictoria.

Respondeo ex Scoto 2. dist. 2. q. 7. C. & 4. dist. x. q. 2. R. concedendo, quòd tunc corpus posset moueri in vno Vbi, & in alio quiescere. Et cum infertur ergò posset quiescere, & non quiescere simul, negatur consequentia, est enim fallacia à secundum quid ad simpliciter; A prædicatis enim determinatis ad eadem prædicata simpliciter est fallacia consequentis; Vt Antonius est magnus in ordine ad Ioannem, & paruus in ordine ad Franciscum; ergò Antonius est magnus, & paruus, negatur consequentia, sed tantùm sequitur, quòd est magnus, & paruus in ordine ad diuersa cum eadem determinatione, cum qua accipiebatur ly magnus, & paruus in antecedenti. Ita in proposito. Antonius quiescit in vno Vbi, & in alio non quiescit, non valet sic absolutè inferre; ergò quiescit, & non quiescit, sed tantum sequitur; ergò quiescit, & non quiescit in diuersis Vbi, quæ non sunt contradictoria; quia affirmatio, & negatio potest esse eiusdem prædicati de eodem subiecto respectu diuersorum, ex Aristotele in post prædicamentis.

Quintò

Quintò: Aut posset moueri Corpus simul ad duo Vbi, aut ab vno Vbi moueri ad aliud, & tamen manere in primo Vbi, & moueri ad aliud; Non primum, quia duo motus eiusdem speciei non possunt eidem inesse secundum Aristotelem 3. Phys. tex. 19. neque multò magis duo motus contrarij: Non secundum, quia termini motus sunt incompossibiles: Vnde acquirendo terminum ad quem, necessariò ammittit terminum à quo.

Respondeo ex Scoto in 2. loco iam citato, quòd vtrunque est possibile, posset enim in tali casu moueri simul ad duo Vbi, & posset in vno Vbi manere, & ad aliud moueri, vnum non amittere, & aliud aquirere; Et cùm improbatur primum, quia duo motus non possunt eidem inesse secundum Aristotelem, dico cum Scoto loco citato, quòd non est incompossibilitas motuum, nisi propter incompossibilitatem formarum, secundum quas sunt motus, & ideò sicut duo Vbi non sunt incompossibilia, vt habent esse in motu, & fluxu, ita nec duo motus ad duo Vbi in eodem erunt incompossibiles: Vnde Arist. intelligitur de motibus ad formas incompossibiles, quales sunt formæ absolutæ, non relatiuæ. Prætereà dicerem, quod & si Aristoteles loqueretur de formis relatiuis, & de Vbicationibus, loqueretur naturaliter, & lumine naturali, non supernaturaliter, quomodo nos loquimur; Et cum probatur, quòd secundum non est possibile; quia termini motus sunt incompossibiles. Dico cum Scoto in 2. loco citato, quòd verum est de terminis formalibus, sicuti est forma, & priuatio, non autem de terminis concomitantibus; Vnde quis potest non amittere terminum concomitantem à quo, scilicet Vbi, in quo est, & acquirere terminum ad quem scilicet aliud Vbi; Et licet regulariter motus sit recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem, tamen quia generatio potest absque contradictione esse sine corruptione, & è conuerso, quia non sunt eadem mutatio, ita potest esse motus, vel mutatio

in quantum est accessus ad terminum ad quem sine recessu à termino à quo.

Sextò. Idem temporale non potest esse in diuersis temporibus simul; ergò nec idem locabile in diuersis locis.

Respondeo ex Scoto 4. dist. x. q. 2. R. quòd non valet paritas, quia cum tempus sit in continuo fluxu, & quantitas successiua, non est nisi secundum partem præsentem; & ideò temporale non potest esse simul in diuersis temporibus, sicut potest esse simul in pluribus locis, quia loca simul existunt, non autem diuersa tempora; Et ideò valet proportio quoad hoc, quòd sicut temporale vnica temporalitate non potest esse in pluribus temporibus, ità locabile non potest eadem, & vnica locabilitate esse in pluribus locis; Vnde hæc ratio (inquit Scotus) potest duci ad oppositum hoc modo, sicut idem locabile in eodem loco existens potest esse in diuersis temporibus, ità simul existens in eodem tempore potest esse simul in diuersis locis.

Septimò sequeretur quòd idem corpus haberet operationem sensitiuã in vno loco, & in alio non haberet, quia in vno loco posset videre corpus sibi propinquum, & in alio loco posset non videre idem corpus, quia esset distans, & improportionatum.

Respondeo ex Scoto 4. dist. 2. q. x. S. negando sequellam, quia omnis actus immanens, qui inesset corpori in hoc Vbi, inesset sibi in quocunque alio loco. Et cum probatur, quòd non, quia tunc in vno loco haberet obiectum proportianatum, & propinquum, in alio non concedo, sed solùm ex hoc sequitur, quòd sensatio fieret in illo loco, in quo esset obiectum propinquum, in alio loco non fieret, tamen iste actus esset in corpore in vtroque loco. Inesset igitur primò corpori sensatio in hoc loco, in quo fieret sensatio non inesset verò corpori primò, vt esset in alio loco; Vt Christus habens sensationem de aliquo obiecto in Cœlo, eandem haberet in Eucharistia, in qua non immuraretur

tur ab obiecto propter modum existendi indiuisibilem, & ideò sensatio Christo non inesset, primò, vt in Eucharistia ex Scoto 4. dist. x. q. 4. D.

Octauò Arguit Henricus quol. 9. q. 31. Si idem corpus posset esse in pluribus locis: ergò in omnibus, & sic esset vbique, quod est proprium Dei.

Respondeo ex Scoto 4 dist. x. q. 2. I. k. concedendo, quòd corpus potest esse vbique, quòd non est falsum, etiam in doctrina Henrici, & aliorum, quia ipsi concedunt corpus Christi posse esse vbique sacramentaliter, quia Deus potest conuertere quodcunque corpus Vniuersi in corpus Christi, sicut potest conuertere panem, & quia non est maior ratio ad esse alicubi localiter, quam sacramentaliter; comparando ad potentiam Dei; Et cum probatur, quòd vbique est proprium Dei: Respondeo ex Scoto loco citato, quòd esse vbique necessariò secundum essentiam, præsentiam, & potentiam, & per consequens immensiuè, est proprium Dei, sed esse vbique dependenter à Deo non est proprium Dei, sed creaturæ conuenire potest, concurrente Dei omnipotentia.

Nonò. Arguit Henricus: Si vnum corpus esset in pluribus locis, sequeretur, quòd idem corpus in vno loco frigido haberet frigiditatem, & in alio calido haberet caliditatem; In vno loco non inueniens cibum, esuriret, in alio inueniens cibum non esuriret; in vno loco inueniens aeris intemperiem, infirmaretur, in alio ex temperie reciperet sanitatem, & sic esset simul sanum, & non sanum; In vno loco occideretur, in alio non, & sic moreretur, & non moreretur, quæ sunt contradictoria.

Respondeo ad hoc argumentum, quòd includit multa repugnantia cum Sco. loco citato K. & primò ad illud de frigiditate, & caliditate, quod eodem modo speculandum est de igne, & aqua, si eidem corpori in vno loco existenti applicarentur, ac si essent in pluribus: Vnde si talia agentia

essent æqualis virtutis, vel vnum ageret, quia vnum impediret aliud, vel ambo ad effectum medium agerent: Si verò vnum vinceret aliud, tunc ignis V.G. calefaciens corpus in hoc loco, vinceret aquam aproximatam eidem corpori in alio loco, & sic corpus esset vtrobique calidum, passum enim eodem modo se habet respectu duorum agentium in vno Vbi, ac in pluribus, vt patet per secundam propositionem positam in notabilibus; Ad illud de fame, & saturitate dicit Scotus, quòd fames est appetitus calidi, & sicci, iste autem appetitus; cum non dicat ordinem ad Vbi, non variatur ad variationem Vbi, & per consequens si hic corpus satiaretur, & cessaret appetitus vbi, cessaret, & alibi: Et si quæras an corpus recipiens cibum in hoc loco, recipiat etiam in alio loco vt hic: Respondet Scotus, quòd non, sicut corpus Christi vt in pixide, non fuit vulneratum, quia licet vulnus sit in corpore Christi vtrobique, vulneratio autem, & actio fuit in Cruce; sic in proposito de repletione, quæ dicit præsentiam alimenti contenti in continente, scilicet stomacho, vel ventre, cibus fit præsens corpori, vt hic, & non vt alibi; Vnde dicit Scotus, quòd sicuti possibile est, quòd corpora continentia istud corpus hic, & ibi sint alia, itá possibile est, quòd continentia actiua istius corporis hic sit alia continentia eius in alio Vbi; quia non dicit absolutum, sed respectum extrinsecum.

Sed in hoc Scoti dicto videtur esse difficultas, quia non variatur relatio, nisi varientur extrema; modò in casu esset idem corpus continens, & cibus contentus hic, & ibi.

Difficultas auctoris contra Scotum, et Responsio.

Dicerem, quòd Scotus intelligit de continentia non secundum esse formale simpliciter, sed vt dicit ordinem ad locum diuersum, & sic eadem continentia est alia, vt hic, & alia, vt alibi; sicut si eadem superficies continens replicaretur ad replicationem corporis contenti, esset eadem om-

omninò formaliter continentia superficiei, & tamen non esset idem locus formaliter, quia diceret respectum ad aliud, & aliud immobile, quod est complementum essentiale loci, & sic inuariatis fundamento, & termino, esset alia, & alia continentia, & ideò dicit Scotus, quòd corpus repletum vtrobique, esset tantùm repletum hic, ut hic, & non vt alibi, quia alibi non sit præsens nisi per replicationem præsentiæ factæ tantùm in vno loco.

Ad illud de sanitate, & infirmitate, temperie, & intemperie. Respondetur per secundam propositionem in Not. sicut de corpore in pluribus locis approximato igni, & aquæ, vt iam dictum est. Idem dicendum est de morte, & vita, quæ cum sint absoluta positiua, vel priuatiua non variantur ad variationem Vbi, ac propterea homo viuens in vno loco, viuit in alio, & mortuus in vno est mortuus in alio, sed tamen non sequitur, vulneratur hic; ergò vulneratur ibi, quia vulneratio dicit diuisionem continui, vt hic ab aliquo hic diuidente, verum tamen est, quòd habet vulnus hic, & ibi, vt suprà dictum est de corpore Christi.

Decimò Arguit Diuus Thomas. Termini locati, & termini loci sunt simul: ergò si locatum est extra terminos proprii loci, est etiam extrà terminos proprios.

Respondeo cum Scoto loco citato N. quòd termini loci, & locati sunt simul simultatè adæquata, sed non præcisa in ordine ad potentiam Dei: quare negatur consequentia, quia termini loci non sunt termini corporis locati, licet sint inter se adæquati, quòd patet quia corpus existens adæquatè in vno loco, potest replicari, & esse consimili adæquatione in alio loco.

XI. Arguit Ægidius. Sicut res per propriam naturam est tantùm in vna specie, sic per vnam dimensionem est simul tantùm in vno loco; probatur quia sicuti se habet natura ad speciem, sic quantitas ad locum.

Respon-

Respondeo cum Scoto loco citato negando paritatem; quia naturo vna est ratio formalis essendi in vna specie, sed dimensio non est ratio formalis proxima essendi in loco, sed tantùm est ratio fundamentalis, quæ ratio fundamentalis potest esse vna, licet respectus sint diuersi; sicut albedo potest esse vna ratio fundamentalis, licet similitudines sint diuersæ, Franciscus enim per suam albedinem fundat diuersas similitudines ad diuersa alba.

XII. Arguit Scotus ipse in corpore quæstionis sæpè citata contrà hanc conclusionem infrascriptis argumentis. Si vnum corpus posset esse simul per potentiam Dei in pluribus locis: ergò & per potentiam naturalis agentis; Consequentia probatur. Agens naturale non intendit per se corruptionem termini à quo, sed tantum per accidens, quia ille est incompossibilis termino ad quem, quem intendit inducere; ergò si vnum Vbi sit compossibile alteri Vbi, agens naturale non corrumpet primum vbi ad hoc, quòd inducat secundum Vbi; ergò posset facere corpus in nouo Vbi, absque hoc, quod remoueat illud aliud Vbi, quòd habuit prius.

Respondeo cum Scoto loco citato P. negando consequentiam, quia aliqua sunt repugnantia respectu virtutis creatæ, quæ non sunt repugnantia respectu virtutis diuinæ; Et ideò si duo Vbi non repugnant simpliciter, non propter hoc virtus creata potest facere vnum corpus esse simul in illis; Vt Virginem parere non repugnat, & tamen hoc non potest facere virtus creata, sicut non repugnat simpliciter duo corpora esse simul in eodem loco, & tamen hoc repugnat in ordine ad potentiam creatam.

XIII. Sequeretur quòd eadem materia posset esse sub duabus formis substantialibus, quòd est impossibile; probatur sequella. Primò, quia si ponatur idem nutrimentum in pluribus locis, & à diuersis animalibus in illis exi-

stentibus comedatur, nutritiua vtriusque conuerteret idem in substantiam suam, & per consequens eadem materia nutrimenti ilius erit simul sub diuersis formis substantialibus, & animabitur in brutis diuersis animabus sensitiuis, & in hominibus diuersis intellectiuis. Secundò quia posito, quòd idem lignum sit in diuersis locis, & in illis sint duo ignes, agent in illud lignum, & corrumpetur, quia non potest resistere virtuti agentis, & inducerent formam ignis, non eandem, quia agentia sunt diuersa: ergò aliam, & aliam, & in eadem materia.

Scotus loco citato dat duas Responsiones, firmiter tamen negat sequelam, scilicet, quòd tunc materia possit esse sub duabus formis substantialibus: Et cum probatur Primò de nutrimento in pluribus locis sumpto à diuersis animalibus. Respondet Scotus, quòd idem fieret de alimento sumpto à diuersis animalibus in diuersis Vbi, ac si essent in eodem loco, & cibus esset in vtrisque animalibus: Et tunc vel vna virtus totaliter vinceret aliam, & sic vnum animal totaliter conuerteret cibum in sui substantiam: Vel esset æqualis virtutis, & tunc æqualiter conuerterent materiam in corpus suum, idest æqualem partem: Vel si vnum animal vinceret aliud in virtute: Vnum magis, & aliud minus conuerterent de illa materia in suam substantiam, & sic eadem numero materia totalis, vel pars materiæ non conuerteretur in substantiam amborum, sed vel tota in substantiam tantum vnius animalis, vel vna pars materiæ in substantiam vnius animalis, & alia pars, siue æqualis, siue minor in substantiam alterius animalis conuerteretur: Et cum secundò Probatur sequela de ligno in diuersis locis, cui duo ignes essent approximati. Respondetur ex Scoto loco citato, quòd eodem modo agerent in ligno in diuersis Vbi posito; ac si essent in vno, & eodem loco: Vnde si illi duo ignes essent æqualis virtutis, generarent vnum ignem, sed essent causæ partiales vnam totalem causam

inte-

integrantes, & per consequens eadem materia; quæ erat sub forma ligni, fit sub vna tantùm forma ignis.

XIV. Sequeretur, quod quatumcunque paruulus ignis posset comburere omnia combustibilia, quia si habeat hic, & ibi, & in omnibus locis proportionatum combustibile, posset in illis locis omnia combustibilia simul comburere: Sed quæcumque virtus potest simul in multa passa parua, potest simul in passum magnum integratum ex illis paruis; ergò minimus ignis potest comburere integratum ex omnibus combustibilibus.

Respondeo cum Scoto loco citato Q. quòd paruulus ignis eodem modo se haberet in diuersis locis, ac si esset in vno loco approximatus pluribus combustibilibus; & ideò sicut propter ejus tenuem virtutem non posset nisi in vnum, vel in plura remissè agere, ita se haberet, si talis ignis esset in pluribus locis, ac propterea negatur, quòd paruus ignis posset comburere combustibile ex omnibus combustibilibus integratum.

XV. Si animal hic habens conueniens nutrimentum, nutriretur, alibi verò non habens nutrimentum, non nutriretur, sic simul nutriretur, & non nutriretur.

Respondeo ex Scoto loco citato Q. negando, quòd animal non habens nutrimentum in aliquo Vbi, non nutriretur, dum tamen idem animal susciperet nutrimentum conueniens alibi, vtique motus localis nutrimenti ad stomachum non esset in hoc loco, tamen conuersio nutrimenti in substantiam alendi est eadem hic, & ibi; sed non valet dicere, ergò nutritur, & non nutritur; sed tantum ergò accipit hic nutrimentum, & non alibi.

XVI. Si in duobus locis animal haberet conueniens nutrimentum, & susciperet vtrobique, sequeretur, quòd in duplum nutriretur, vel quòd nutrimentum susceptum deperderetur, & non conuerteretur in nutrimentum.

Re

Respondeo cum Scoto loco citato, quòd tunc nutrimentum superflueret, & totum alimentum conueniens vtrobique non conuerteretur in substantiam aliti, quia vel moreretur, vel infirmaretur, eò quia non posset digerire totum nutrimentum, vel si digeriret, nutrimentum superflueret, ita quod partem nutrimenti in vtroque loco digeriret, sicut si partem nutrimenti in vno loco, & partem nutrimenti conuenientis in alio susciperet, vtrobique nutriretur, non solum quia vtrobique alimentum conuerteretur in substantiã aliti, sed etiam quia vtrobique esset susceptio nutrimenti, & motus localis nutrimenti ad stomachum.

XVII. Occupatio loci est effectus adæquatus quantitatis; sed implicat ab vna forma esse plures effectus formales adæquatos; ergo implicat idem corpus occupare plura loca.

Respondeo concedendo, quòd occupatio loci est effectus adæquatus quantitatis, sed non hæc, vel illa occupatio, quia plures determinatæ occupationes sunt inadæquatæ nõ tantum in ordine ad potentiam diuinam, sed etiam naturalem, quia corpus non est ita naturaliter determinatus ad vnum locum, quin per eandem quantitatem non possit esse successiuè in alio loco, in quibus potest esse simul per potentiam diuinam.



rium, vel à contrario ad medium.

Respondeo ad maiorem, quòd contraria absoluta non possunt esse in eodem simul, vt albedo, & nigredo non potest esse simul in eodem homine; negatur tamen maior de contrarijs relatiuis ex Sco. in 4. dist.x. q.2. supra R. respondendo ad primum principale, maximè quando idem potest habere plures rationes fundandi; Vt aliquod ens potest secundum aliquod esse maius, & secundum aliud, esse minus, simile, & dissimile, simile secundum albedinem, dissimile secundum scientiam, & sic concessa minori, negantur consequentiæ.

Quartò. Si idem Corpus posset esse in pluribus locis; ergò posset simul moueri, & quiescere, moueri in vno Vbi, & quiescere in alio; ergò posset quiescere, & non quiescere, quæ sunt contradictoria.

Respondeo ex Scoto 2.dist. 2.q.7.C.&4.dist.10.q.2.R. concedendo, quòd tunc corpus posset moueri in vno Vbi, & in alio quiescere. Et cum infertur ergò posset quiescere, & non quiescere simul; negatur consequentia; est enim fallacia à secundum quid ad simpliciter; A prædicatis enim determinatis ad eadem prædicata simpliciter est fallacia consequentis: Vt Antonius est magnus in ordine ad Ioannem, & paruus in ordine ad Franciscum; ergò Antonius est magnus, & paruus; negatur consequentia, sed tantùm sequitur, quòd est magnus, & paruus in ordine ad diuersa cum eadem determinatione, cum qua accipiebatur ly magnus, & paruus in antecedenti. Ita in proposito. Antonius quiescit in vno Vbi, & in alio non quiescit, non valet sic absolutè inferre; ergò quiescit, & non quiescit, sed tantum sequitur; ergò quiescit, & non quiescit in diuersis Vbi, quæ non sunt contradictoria; quia affirmatio, & negatio potest esse eiusdem prædicati de eodem subiecto respectu diuersorum, ex Aristotele in post prædicamentis.

Quintò

Quintò : Aut posset moueri Corpus simul ad duo Vbi, aut ab vno Vbi moueri ad aliud, & tamen manere in primo Vbi, & moueri ad aliud ; Non primum, quia duo motus eiusdem speciei non possunt eidem inesse secundum Aristotelem 3. Phys. tex. 19. neque multò magis duo motus contrarij : Non secundum, quia termini motus sunt incompossibiles : Vnde acquirendo terminum ad quem, necessariò ammittit terminum à quo.

Respondeo ex Scoto in 2. loco iam citato, quòd vtrunque est possibile, posset enim in tali casu moueri simul ad duo Vbi, & posset in vno Vbi manere, & ad aliud moueri, vnum non amittere, & aliud aquirere ; Et cum improbatur primum, quia duo motus non possunt eidem inesse secundum Aristotelem, dico cum Scoto loco citato, quòd non est incompossibilitas motuum, nisi propter incompossibilitatem formarum, secundum quas sunt motus, & ideò sicut duo Vbi non sunt incompossibilia, vt habent esse in motu, & fluxu, ita nec duo motus ad duo Vbi in eodem erunt incompossibiles : Vnde Arist. intelligitur de motibus ad formas incompossibiles, quales sunt formæ absolutæ, non relatiuæ. Præterea dicerem, quod & si Aristoteles loqueretur de formis relatiuis, & de Vbicationibus, loqueretur naturaliter, & lumine naturali, non supernaturaliter, quomodo nos loquimur ; Et cum probatur, quòd secundum non est possibile; quia termini motus sunt incompossibiles. Dico cum Scoto in 2. loco citato, quòd verum est de terminis formalibus, sicuti est forma, & priuatio, non autem de terminis concomitantibus ; Vnde quis potest non amittere terminum concomitantem à quo, scilicet Vbi, in quo est, & acquirere terminum ad quem scilicet aliud Vbi ; Et licet regulariter motus sit recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem, tamen quia generatio potest absque contradictione esse sine corruptione, & è conuerso, quia non sunt eadem mutatio, ita potest esse motus, vel mutatio

in quantum est accessus ad terminum ad quem sine recessu à termino à quo.

Sextò. Idem temporale non potest esse in diuersis temporibus simul; ergò nec idem locabile in diuersis locis.

Respondeo ex Scoto 4. dist. x. q. 2. R. quòd non valet paritas, quia cum tempus sit in continuo fluxu, & quantitas successiua, non est nisi secundum partem præsentem, & ideò temporale non potest esse simul in diuersis temporibus, sicut potest esse simul in pluribus locis, quia loca simul existunt, non autem diuersa tempora; Et ideò valet proportio quoad hoc, quòd sicut temporale vnica temporalitate non potest esse in pluribus temporibus, ità locabile non potest eadem, & vnica locabilitate esse in pluribus locis; Vnde hæc ratio (inquit Scotus) potest duci ad oppositum hoc modo, sicut idem locabile in eodem loco existens potest esse in diuersis temporibus, ità simul existens in eodem tempore potest esse simul in diuersis locis.

Septimò sequeretur quòd idem corpus haberet operationem sentitiuã in vno loco, & in alio non haberet, quia in vno loco posset videre corpus sibi propinquum, & in alio loco posset non videre idem corpus, quia esset distans, & improportionatum.

Respondeo ex Scoto 4. dist. 2. q. x. S. negando sequellam, quia omnis actus immanens, qui inesset corpori in hoc Vbi, inesset sibi in quocunque alio loco. Et cum probatur, quòd non, quia tunc in vno loco haberet obiectum proportianatum, & propinquum, in alio non concedo, sed solùm ex hoc sequitur, quòd sensatio fieret in illo loco, in quo esset obiectum propinquum, in alio loco non fieret, tamen iste actus esset in corpore in vtroque loco. Inesset igitur primò corpori sensatio in hoc loco, in quo fieret sensatio non inesset verò corpori primò, vt esset in alio loco; Vt Christus habens sensationem de aliquo obiecto in Cęlo, eandem haberet in Eucharistia, in qua non immuraretur

tur ab obiecto propter modum existendi indiuisibilem, & ideò sensatio Christo non inesset, primò, vt in Eucharistia ex Scoto 4. dist. x. q. 4. D.

Octauò Arguit Henricus quol. 9. q. 31. Si idem corpus posset esse in pluribus locis: ergò in omnibus, & sic esset vbique, quod est proprium Dei.

Respondeo ex Scoto 4 dist. x. q. 2. I. k. concedendo, quòd corpus potest esse vbique, quòd non est falsum, etiam in doctrina Henrici, & aliorum, quia ipsi concedunt corpus Christi posse esse vbique sacramentaliter, quia Deus potest conuertere quodcunque corpus Vniuersi in corpus Christi, sicut potest conuertere panem, & quia non est maior ratio ad esse alicubi localiter, quam sacramentaliter, comparando ad potentiam Dei; Et cum probatur, quòd vbique est proprium Dei: Respondeo ex Scoto loco citato, quòd esse vbique necessariò secundum essentiam, præsentiam, & potentiam, & per consequens immensiuè, est proprium Dei, sed esse vbique dependenter à Deo non est proprium Dei, sed creaturæ conuenire potest, concurrente Dei omnipotentia.

Nonò. Arguit Henricus: Si vnum corpus esset in pluribus locis, sequeretur, quòd idem corpus in vno loco frigido haberet frigiditatem, & in alio calido haberet caliditatem; In vno loco non inueniens cibum, esuriret, in alio inueniens cibum non esuriret; in vno loco inueniens aeris intemperiem, infirmaretur, in alio ex temperie reciperet sanitatem, & sic esset simul sanum, & non sanum; In vno loco occideretur, in alio non, & sic moreretur, & non moreretur, quæ sunt contradictoria.

Respondeo ad hoc argumentum, quòd includit multa repugnantia cum Sco. loco citato K. & primò ad illud de frigiditate, & caliditate, quod eodem modo speculandum est de igne, & aqua, si eidem corpori in vno loco existenti applicarentur, ac si essent in pluribus: Vnde si talia agentia

essent æqualis virtutis, vel vnum ageret, quia vnum impediret aliud, vel ambo ad effectum medium agerent: Si verò vnum vinceret aliud, tunc ignis V.G. calefaciens corpus in hoc loco, vinceret aquam aproximatam eidem corpori in alio loco, & sic corpus esset vtrobique calidum, passum enim eodem modo se habet respectu duorum agentium in vno Vbi, ac in pluribus, vt patet per secundam propositionem positam in notabilibus; Ad illud de fame, & saturitate dicit Scotus, quòd fames est appetitus calidi, & sicci, iste autem appetitus; cum non dicat ordinem ad Vbi, non variatur ad variationem Vbi, & per consequens si hic corpus satiaretur, & cessaret appetitus vbi, cessaret, & alibi: Et si quæras an corpus recipiens cibum in hoc loco, recipiat etiam in alio loco vt hic: Respondet Scotus, quòd non, sicut corpus Christi vt in pixide, non fuit vulneratum, quia licet vulnus sit in corpore Christi vtrob que, vulneratio autem, & actio fuit in Cruce; sic in proposito de repletione, quæ dicit præsentiam alimenti contenti in continente, scilicet stomacho, vel ventre, cibus fit præsens corpori, vt hic, & non vt alibi; Vnde dicit Scotus, quòd sicuti possibile est, quòd corpora continentia illud corpus hic, & ibi sint alia, ità possibile est, quòd continentia actiua istius corporis hic sit alia continentia eius in alio Vbi; quia non dicit absolutum, sed respectum extrinsecum.

Sed in hoc Scoti dicto videtur esse difficultas, quia non variatur relatio, nisi varientur extrema; modò in casu esset idem corpus continens, & cibus contentus hic, & ibi.

Difficultas auctoris contra Scotum, et Responsio.

Dicerem, quòd Scotus intelligit de continentia non secundum esse formale simpliciter, sed vt dicit ordinem ad locum diuersum, & sic eadem continentia est alia, vt hic, & alia, vt alibi; sicut si eadem superficies continens replicaretur ad replicationem corporis contenti, esset eadem

omni-

omninò formaliter continentia superficiei, & tamen non esset idem locus formaliter, quia diceret respectum ad aliud, & aliud immobile, quod est complementum essentiale loci, & sic inuariatis fundamento, & termino, esset alia, & alia continentia, & ideò dicit Scotus, quòd corpus repletum vtrobique, esset tantùm repletum hic, ut hic, & non vt alibi, quia alibi non fit præsens nisi per replicationem præsentiæ factæ tantùm in vno loco.

Ad illud de sanitate, & infirmitate, temperie, & intemperie. Respondetur per secundam propositionem in Not. sicut de corpore in pluribus locis approximato igni, & aquæ, vt iam dictum est. Idem dicendum est de morte, & vita, quæ cum sint absoluta positiua, vel priuatiua non variantur ad variationem Vbi, ac propterea homo viuens in vno loco, viuit in alio, & mortuus in vno est mortuus in alio, sed tamen non sequitur, vulneratur hic; ergò vulneratur ibi, quia vulneratio dicit diuisionem continui, vt hic ab aliquo hic diuidente, verum tamen est, quòd habet vulnus hic, & ibi, vt suprà dictum est de corpore Christi.

Decimò Arguit Diuus Thomas. Termini locati, & termini loci sunt simul: ergò si locatum est extra terminos proprii loci, est etiam extrà terminos proprios.

Respondeo cum Scoto loco citato N. quòd termini loci, & locati sunt simul simultatè adæquata, sed non præcisa in ordine ad potentiam Dei: quare negatur consequentia, quia termini loci non sunt termini corporis locati, licet sint inter se adæquati, quòd patet quia corpus existens adæquatè in vno loco, potest replicari, & esse consimili adæquatione in alio loco.

XI. Arguit Ægidius. Sicut res per propriam naturam est tantùm in vna specie, sic per vnam dimensionem est simul tantùm in vno loco; probatur quia sicuti se habet natura ad speciem, sic quantitas ad locum.

Respon-

Respondeo cum Scoto loco citato negando paritatem, quia naturo vna est ratio formalis essendi in vna specie, sed dimensio non est ratio formalis proxima essendi in loco. sed tantùm est ratio fundamentalis, quæ ratio fundamentalis potest esse vna, licet respectus sint diuersi; sicut albedo potest esse vna ratio fundamentalis, licet similitudines sint diuersæ, Franciscus enim per suam albedinem fundat diuersas similitudines ad diuersa alba.

XII. Arguit Scotus ipse in corpore quæstionis sæpè citata contrà hanc conclusionem infrascriptis argumentis. Si vnum corpus posset esse simul per potentiam Dei in pluribus locis: ergò & per potentiam naturalis agentis; Consequentia probatur. Agens naturale non intendit per se corruptionem termini à quò, sed tantum per accidens, quia ille est incompossibilis termino ad quem, quem intendit inducere; ergò si vnum Vbi sit compossibile alteri Vbi, agens naturale non corrumpet primum vbi ad hoc, quòd inducat secundum Vbi; ergò posset facere corpus in nouo Vbi absque hoc, quod remoueat illud aliud Vbi, quòd habuit prius.

Respondeo cum Seoto loco citato P. negando consequentiam, quia aliqua sunt repugnantia respectu virtutis creatæ, quæ non sunt repugnantia respectu virtutis diuinæ; Et ideò si duo Vbi non repugnant simpliciter, non propter hoc virtus creata potest facere vnum corpus esse simul in illis; Vt Virginem parere non repugnat, & tamen hoc non potest facere virtus creata, sicut non repugnat simpliciter duo corpora esse simul in eodem loco, & tamen hoc repugnat in ordine ad potentiam creatam.

XIII. Sequeretur quòd eadem materia posset esse sub duabus formis substantialibus, quòd est impossibile; probatur sequella. Primò, quia si ponatur idem nutrimentum in pluribus locis, & à diuersis animalibus in illis existen-

stentibus comedatur, nutritiua vtriusque conuerteret idem in substantiam suam, & per consequens eadem materia nutrimenti ilius erit simul sub diuersis formis substantialibus, & animabitur in brutis diuersis animabus sensitiuis, & in hominibus diuersis intellectiuis. Secundò quia posito, quòd idem lignum sit in diuersis locis, & in illis sint duo ignes, agent in illud lignum, & corrumpetur, quia non potest resistere virtuti agentis, & inducerent formam ignis, non eandem, quia agentia sunt diuersa: ergò aliam, & aliam, & in eadem materia.

Scotus loco citato dat duas Responsiones, firmiter tamen negat sequelam, scilicet, quòd tunc materia possit esse sub duabus formis substantialibus: Et cum probatur Primò de nutrimento in pluribus locis sumpto à diuersis animalibus. Respondet Scotus, quòd idem fieret de alimento sumpto à diuersis animalibus in diuersis Vbi, ac si essent in eodem loco, & cibus esset in vtrisque animalibus: Et tunc vel vna virtus totaliter vinceret aliam, & sic vnum animal totaliter conuerteret cibum in sui substantiam: Vel esset æqualis virtutis, & tunc æqualiter conuerterent materiam in corpus suum, idest æqualem partem: Vel si vnum animal vinceret aliud in virtute: Vnum magis, & aliud minus conuerterent de illa materia in suam substantiam, & sic eadem numero materia totalis, vel pars materiæ non conuerteretur in substantiam amborum, sed vel tota in substantiam tantum vnius animalis, vel vna pars materiæ in substantiam vnius animalis, & alia pars, siue æqualis, siue minor in substantiam alterius animalis conuerteretur: Et cum secundò Probatur sequela de ligno in diuersis locis, cui duo ignes essent approximati. Respondetur ex Scoto loco citato, quòd eodem modo agerent in ligno in diuersis Vbi posito, ac si essent in vno, & eodem loco: Vnde si illi duo ignes essent æqualis virtutis, generarent vnum ignem, sed essent causæ partiales vnam totalem causam

inte-

integrantes, & per consequens eadem materia; quæ erat sub forma ligni, fit sub vna tantùm forma ignis.

XIV. Sequeretur, quod quatumcunque paruulus ignis posset comburere omnia combustibilia, quia si habeat hic, & ibi, & in omnibus locis proportionatum combustibile, posset in illis locis omnia combustibilia simul comburere: Sed quæcumque virtus potest simul in multa passa parua, potest simul in passum magnum integratum ex illis paruis; ergò minimus ignis potest comburere integratum ex omnibus combustibilibus.

Respondeo cum Scoto loco citato Q. quòd paruulus ignis eodem modo se haberet in diuersis locis, ac si esset in vno loco approximatus pluribus combustibilibus; & ideò sicut propter ejus tenuem virtutem non posset nisi in vnum, vel in plura remissè agere, ita se haberet, si talis ignis esset in pluribus locis, ac propterea negatur, quòd paruus ignis posset comburere combustibile ex omnibus combustibilibus integratum.

XV. Si animal hic habens conueniens nutrimentum, nutriretur, alibi verò non habens nutrimentum, non nutriretur, sic simul nutriretur, & non nutriretur.

Respondeo ex Scoto loco citato Q. negando, quòd animal non habens nutrimentum in aliquo Vbi, non nutriretur, dum tamen idem animal susciperet nutrimentum conueniens alibi, vtique motus localis nutrimenti ad stomachum non esset in hoc loco, tamen conuersio nutrimenti in substantiam alendi est eadem hic, & ibi; sed non valet dicere, ergò nutritur, & non nutritur; sed tantum ergò accipit hic nutrimentum, & non alibi.

XVI. Si in duobus locis animal haberet conueniens nutrimentum, & susciperet vtrobique, sequeretur, quòd in duplum nutriretur, vel quòd nutrimentum susceptum deperderetur, & non conuerteretur in nutrimentum.

Re

Respondeo cum Scoto loco citato, quòd tunc nutrimentum superflueret, & totum alimentum conueniens vtrobique non conuerteretur in substantiam aliti, quia vel moreretur, vel infirmaretur, eò quia non posset digerire totum nutrimentum, vel si digeriret, nutrimentum superflueret, ita quod partem nutrimenti in vtroque loco digeriret, sicut si partem nutrimenti in vno loco, & partem nutrimenti conuenientis in alio susciperet, vtrobique nutriretur, non solum quia vtrobique alimentum conuerteretur in substantiã aliti, sed etiam quia vtrobique esset susceptio nutrimenti, & motus localis nutrimenti ad stomachum.

XVII. Occupatio loci est effectus adæquatus quantitatis; sed implicat ab vna forma esse plures effectus formales adæquatos; ergo implicat idem corpus occupare plura loca.

Respondeo concedendo, quòd occupatio loci est effectus adæquatus quantitatis, sed non hæc, vel illa occupatio, quia plures determinatæ occupationes sunt inadæquatæ nõ tantum in ordine ad potentiam diuinam, sed etiam naturalem, quia corpus non est ita naturaliter determinatus ad vnum locum, quin per eandem quantitatem non possit esse successiuè in alio loco, in quibus potest esse simul per potentiam diuinam.



CONCLVSIO PRIMA.

Non reperitur Vacuum in rerum natura.

Est Arist. 4. Phys. tex. 64. & inde, & Scot. 3. dist. 27. q. Vnica §. istæ rationes, & 4. dist. 49. q. 13. H.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. 12. Physi. q. prima num. secundo eandem sustinent conclusionem, sed in præfatione istius disp. num. primo assignantes rationem Vacui, non memores eorum, quæ contra Scotum dixerunt de dimensionibus in substantia, etiam sinè quantitate, sibi contradicentes, ponunt Vacuum esse plenum; Nam ibi dicunt, quòd si in aula esset aer omni quantitate priuatus, verè daretur vacuum, e contra si deretur quantitas sine substantia, locus ille non esset vacuus, sed plenus, ratio est, inquiunt, quia id dicitur replere locum, quod facit partes vniuersi extensas, & distantes, hoc autem à quantitate prestatur.

Contradictio Meld. & Cat.

Sed contrà arguo ad hominē. Illud facit latera continentis distare, & replet locum, quod est circumscriptiuè in loco secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatē; sed substantia sinè quantitate secundum istos scriptores esset in loco circumscriptiuè secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ergò substantia sinè quantitate faceret latera continentis distare, & repleret locum, & sic Vacuum esset plenum; Similes contradictones inueni in disp. de continuo, & loco, vt videre est in confutationibus istorum.

Præ-

Præterea clarius sibi contradicunt, Nam disp. ij. Phys. num. 107. & disp. 9. num. 17. habent, quòd repletio omnibus rebus corporeis etiam sine quantitate competit; & in hac disputatione de Vacuo dicunt, quòd corpora sine quātitate non replent; Replere autem, & non replere locum est manifesta contradictio, & velint nolint, fatentur hic extensionem à sola quantitate prouenire. *Contradictio Meld. & Cat.*

Si dicerent, quòd vtique aer sine quantitate repleret locum penetrabiliter, non autem impenetrabiliter, quia hoc solum est à quantitate; Non valet, quia penetrabilitas, vel impenetrabilitas non facit latera continentis distare, sed solum extensio, & repletio secundum ipsos, & rectè; Repletio enim est aliquod commune ad penetrabilitatem, & impenetrabilitatem, abstrahens ab vtraque; quia secundum ipsos disp. 9. & ii. Phys. locis iam citatis repletio contrahitur vt aliquod commune tanquam per differentias per penetrabilitatem, & impenetrabilitatem, licet hoc dictum sit falsissimum, vt satis confutaui disputatione de continuo. *Tacita ipsorum Resp. confutatur.*

Item isti Doctores assignando causam, à qua moueantur corpora violenter ne detur Vacuum, dicunt in hac disputatione q. 2. art. prim. num. 14. cum Amico recedentes à doctrina Scoti, quòd mouentur ab illo, quod mouet corpus, cum aliud violenter succedit; Vt attrahens aerem è fistula aqua plenam, attrahit etiam aquam; Vnde dicunt in motu violento ad replendum Vacuum duo interuenire. Primum est coniunctio corporum Vniuersi ad inuicem. Secundum est motus ipse quo Vacuum repletur, Colligatio est ab Auctore naturæ, motus verò fit à mouente corpus illud, in cuius locum aliud corpus violenter motum succedit. *Secundum dictum Meld. & Cat.*

Sed isti scriptores contra seipsos arguunt auctoritate Sco. 4. dist. 43 q. 5. D. E. & quolib. ii art. 2. quod si Deus in instanti condensaret aliquod corpus, vel illud annihilaret, *Confutatur.*

& nihil circa latera continentis efficeret, quòd tunc daretur Vacuum ad tempus, quia non posset natura in instanti accurrere per motum localem ad repletionem Vacui; ergo per Scotum datur vis aliqua insita rebus impeditiua Vacui.

Responsio Meld. & Cat. Respondent, quòd ibi per naturam intellexit Deum ipsũ, vt Auctorem naturæ, in illis enim casibus Deus vt Auctor Vniuersi deberet mouere corpus ambiens ad superficiem condensati, vel ad aliud latus continentis, sicut est, qui condensat, vel anihilat corpus medium, & quia motus localis includens totam realitatem nequit fieri in instanti, ideò in tempore esset, ideò daretur Vacuum ad tempus.

Infideliter adducunt Scotum. Sed hæc responsio quam sit falsa, patet intuenti textum Scoti, vbi habet hæc verba. *Quia potest Deus dimittere naturam sibi & cùm natura non possit mouere aerem in instãti, vt applicetur lateribus illius corporis minoris, erit ibi Vacuum ad tempus quousque, scilicet natura possit aerem circumstantem consignare corpori illi*. Hæc Scotus.

Tunc sic arguo. Scotus loquendo de natura, quando dicit, quòd non potest mouere aerem in instanti, dicit esse per hoc, quia Deus potest dimittere naturam sibi, idest in suo esse, & virtute naturali; Deus autem tunc non dimitteret se sibi; ergò per naturam Scotus non intelligit Deum.

Confutat. Secundum Præterea si Scotus per naturam intelligeret Deum, sequeretur, quòd Deus non potest mouere aerem in instanti.

Si respondeant, vt videntur innuere in hac disp. num. 15. concedendo Deum non posse mouere aerem in instanti, quia motus localis includens totam realitatem nequit fieri in instanti. Hoc est falsum, quia Scotus. 2. dist. 2. q. ii. C. ideò negat Angelum posse moueri in instanti loquendo de motu locali includente totam realitatem motus, quia non videtur, quod virtute sua naturali possit habere plura

Vbi

Vbi æqualia.

Tunc sic argumentor. Deus virtute sua infinita potest facere, quòd corpus habeat plura Vbi æqualia secundum Scotum maximè 4. dist. 43. q. 4. B. vbi habet, quòd nunquam est successio necessaria, nisi propter aliquem defectum agentis, qui defectus non est in virtute infinita: Tum quia potest Deus facere, quòd in eodem instanti corpus sit simul in pluribus locis totalibus; ergò Deus potest mouere corpus in instanti, loquendo de motu locali secundum totam eius realitatem, & qui hoc negat, negat etiam Deum esse infinitum. *Resp. tacita Meld. & Cat. confutatur.*

Secundò arguo principaliter contra eorum dictum, scilicet, quòd colligatio corporum sit à Deo, & motus violentus, ne detur Vacuum, sit à mouente corpus illud, in cuius locum aliud corpus violenter mouetur; Nam apertè Scotus 4. dist. 27. q. Vnica §. istæ rationes, dicit quòd aqua violenter mouetur à virtute regitiua Vniuersi; Nec valet dicere, quòd Scotus quando ait virtutem regitiuam mouere partes Vniuersi, ne detur Vacuum, intelligat, quòd conseruet contiguitatem partium Vniuersi, motus verò sit ab alio, quia ostendendo, quòd in tali casu aqua non mouet se sursum, nè detur Vacuum; sed à virtute regitiua, loquitur propriè de motu; Immò isti Scriptores in hac Disp. num. 12. ostendendo, quòd talis motus violentus, ne detur Vacuum, non est à principio intrinseco, adducunt hanc rationem Scoti in 3. loco citato; ergò ibi Scotus non intelligit contiguitatem, vt distinguitur à motu, aliter eorum confutatio non esset ad propositum, quia sic ostenderet contiguitatem, non motum partium Vniuersi, non esse à principio intrinseco, quòd ibi à nullo disputatur. *Confutatio secundi dicti Meld. & Cat.*

Præterea Colligatio corporum, ne detur Vacuum, non potest fieri sine motu; immò non est nisi motu præcedente, ita quòd qui mouet corpus violenter, ne detur *Confut. 2.*

tur

tur Vacuum ipsemet colligat, & coniungit partes Vniuersi; ergò si colligatio erit à Deo, & motus erit à Deo; Vel è conuersò si attrahens corpus, mouet aliud violenter, nè detur Vacuum, & coniungit, & colligat partes Vniuersi; ergò colligatio non erit à solo Deo.

Confut.3. Præterea probo, quòd attrahens aerem è fistula plena aqua, vel alio corpore graui non mouet aquam, vel aliud graue violenter, quia si attrahens aerem non haberet virtutem attrahendi illud graue, non posset illud mouere.

Tacita Resp. Mel. & Cat. cōfutatur 1. Si dicas, quòd tunc in illo casu non attraheret aerem, quæro à quo impediretur. Non à Deo, quia dicunt ipsi n. 16. quòd melius est seruare corporum colligationem, sinendo causas secundas motus suos agere, quàm eas impediendo, impediretur autem actio causæ secundæ si ex fistula aquæ immersa ex parte inferiori aerem attrahere non possemus; hæc illi; ergò illud graue à virtute regitiua Vniuersi moueretur.

Confut.2. Præterea si attrahendo vnum corpus, necesse esset multa corpora distantia mouere, quæ essent extra actiuitatem attrahentis, & quodlibet illorum excederet virtutem attrahentis, tunc attrahens non posset illa corpora mouere; ergò ab alio mouerentur, quod est contra ipsos.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Non reperitur Vacuum in rerum natura.

Est Arist. 4. Phys. tex 64. & inde, & Scoti 3. dist. 27. §. istæ rationes, & 4. dist. 49. q. 13. H.

Multiplex Vacuum. PRo cuius declaratione Not. primò, quòd Vacuum potest accipi tripliciter, Vno modo pro spatio sine corpore naturali, vel mathematico, vt spatium extrà Cœlum, in

in quo nullum est tale corpus; Alio modo pro spatio, in quo non est corpus naturale, sed Mathematicum scilicet quantitas separata à substantia, & qualitatibus, & hoc modo acceperunt Antiqui Philosophi concipientes in spatio esse quantitatem separatam, & hoc vocauerunt Vacuum, quòd confutat Philosophus 4. Phys. tractatu 2. Tertio modo accipitur propriè Vacuum pro loco priuato corpore: Vnde Vacuum propriè dictum importat pro materiali superficiem concauam, & pro formali priuationem corporis; Et sic Vacuum, & locus licet sint idem materialiter, opponuntur tamen formaliter oppositione priuatiua, quia locus formaliter dicit continentiam corporis, Vacuum verò dicit priuationem corporis in eadem superficie; Vel rectius loquendo dicit priuationem continentiæ corporis, quia cum priuatio, & forma sint opposita, & corpus replens non pertineat formaliter ad locum, solum continentia, & priuatio continentiæ propriè ad rationem loci, & Vacui pertinebunt, & licet continentia non repleat, terminus tamen istius continentiæ, qui est corpus, replet spatium inter latera continentis, & hoc modo locus, & plenum idem sunt: si verò accipiatur Vacuum pro spatio sine corpore, plenum erit spatium cum corpore, quòd plenum non erit locus; Vt vltima sphæra est in spatio, & spatium per ipsam est plenum, & tamen non est in loco, ideò illud spatium est plenum, & non est locus; & clarius. si vnum tantùm corpus, vt homo, esset in mundo, daretur plenum, & non daretur locus, quia illud corpus à nullo contineretur; Ista autem repletio est tantum per quantitatem, substantiæ enim materiales sine quantitate non replent, quia sine quantitate nullam possunt habere extensionem, replent enim per accidens, sicut sunt extensæ per accidens, scilicet ratione quantitatis, vt fusius dictum est disp. de Continuo: In præsenti autem Conclusio intelligitur de Vacuo propriè dicto.

Se-

Secundò Not. quod ideò natura abhorret Vacuum, quia Deus talem ordinem, & colligationem corporum determinauit, non solum propter perfectionem Vniuersi cùm Vnitas sit perfectior discontinuitate, sed magis vt hæc inferiora possint à cælestibus gubernari per influentias ex Aristot. 1. Metheor. cap. 2. contra Meld. & Cati in hac disp. q. prima num. 3. quia & si aliquæ actiones possent haberi sine plenitudine medij, & sublunaria possent per aliquod tempus conseruari, non tamen omnes actiones, quæ in Vniuerso determinatæ sunt, fierent, nec diù hæc inferiora conseruarentur, & tandem mundus in his inferioribus destrueretur; Nè autem detur Vacuum plures motus violenti fiunt, non ab illis, quæ violenter mouentur, quia vt dicit Scotus 3. dist. 22. q. vnica, §. istæ rationes: impossibile est aquam se mouere sursum, quia ex quo habet formam naturalem, quæ est determinata ad vnam actionem, illa forma manens eadem numero, nunquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione, sed solum mouetur ab aliquo extrinseco, quòd est virtus regitiua totius, quæ virtus regitiua vocatur hic à Scoto Totum, quia sibi partes Vniuersi attribuuntur, quas mouet, sicut congruit bono Vniuersi, & in 4. dist. 43. q. 5. D. E. & quolib. ii. art. 2. & magis in 4. dist. 49. q. 13. H. vocatur natura totius, quæ non potest esse natura inferior, & sublunaris, cùm talis non habeat virtutem mouendi tot corpora, ne detur Vacuum; Nec potest esse Deus, quia dicit Scotus 4. dist. 43. q. 5. D. E. quòd si Deus in instanti condensaret corpus, vel annichilaret, esset Vacuum ad tempus, quia natura non posset in instanti accurrere, nè detur Vacuum, Deus autem hoc posset facere in instanti; erit igitur virtus Angeli, quæ colligat, & mouet corpora violenter, nè detur Vacuum, ab eodem enim est colligatio, & motus corporum, colligare enim corpora non est nisi mouere corpora in loca, à quibus aliud corpus recedit violenter, ne detur Vacuum; Nec benè Philosophantur Meld. & Cat.

Quare natura abhorreat Vacuum cōtra Mel. & Cat.

Quæ sit virtus regitiua Vniuersi quæ colligat corpora, ne detur Vacuum.

& Car. dicentes colligationem esse à Deo, motum verò corporis violentum ab attrahente aliud corpus, vt in primo capite difusè probaui.

Tertiò Not. quod motus, qui violenter fiunt, nè detur Vacuum, si spectentur secundum naturam eorum, quæ sic mouentur, sunt violenti, & nullo modo naturales, quia vt dictum est superius naturæ aquæ, & similium, quæ est determinata ad vnam actionem, non potest esse ratio formalis oppositæ actionis, ita Scotus 3. dist. 27. f. §. istæ rationes. Nec verum est, inquit ipse, quòd pars magis appetat bonum totius, quam bonum sui, & per consequens aqua V. G. magis inclinetur ad moueri sursum propter bonum Vniuersi nè detur Vacuum, quam ad moueri deorsum, quia sic mouetur à toto, seu à virtute regitiua totius, cui partes Vniuersi attribuuntur: Ex quo colligitur tantum, inquit Scotus, quòd totum Vniuersum magis diligit esse bonum totius, quam bonum cuiuslibet partis, pars enim magis appetit bonum proprium, quam bonum totius; Isti autem motus violenti non sunt simpliciter violenti ex Sco. 4. dist. 49. q. 13. H. quia illud est simpliciter violentum, quod opponitur simpliciter naturali, modo motus aquæ sursum, nè detur Vacuum, non opponitur simpliciter naturali, quia est secundum naturam Vniuersi, immo dicitur magis naturalis, quàm motus deorsum secundum propriam eius naturam, quia natura totius Vniuersi magis est principium naturalitatis, quam natura cuiuscunque corporis particularis, & magis naturale est, quod toti competit, quam quod partibus conuenit: Vndè si aqua descenderet, relicto Vacuo sursum, esset simpliciter magis violentus ille motus, & secundum quid naturalis, quia illud est magis violentum, quod opponitur magis naturali, & minus violentum, quod opponitur minus naturali, magis autem est naturale, quod est secundum naturam Vniuersi, quam quod est secundum naturam propriam cuiuscunque partis Vniuersi; Natura

Quomodo motus violentus, nè detur Vacuum sit naturalis, & simpliciter violentus.

autem Vniuersi, vt dictum est in 2. Not. est virtus regitiua Vniuersi conseruans colligationem corporum à Deo determinatam; Vnde motus secundum naturam Vniuersi est motus secundum ordinem Vniuersi à virtute regitiua conseruandum, quæ virtus dicitur natura Vniuersi.

Non spectato Dei decreto posset dari Vacuum in Natura, quod non possent sustinere Meld. & Cat.

Quartò Not. quòd posset dari naturaliter Vacuum, si Vniuersum solum secundum vires naturæ spectetur, & non spectato Dei decreto de colligatione corporum, quòd dictum in doctrina Meld. & Cat. sustineri non potest, quia volunt, quòd attrahens aerem è fistula aquæ immersa, etiam attrahit, & mouet violenter aquam in locum aeris; At non spectato Dei decreto de colligatione corporum, adhuc attrahens aerem, moueret aquam violenter, & colligaret corpora necessario, quia non minus ageret attrahens, ablato Dei decreto, quam agit tunc stante Dei decreto de colligatione corporum; præterquam quod hæc motio est naturalis, non voluntaria, & libera, licet homo possit velle abstractionem aeris, & non velle, tamen posita illa attractione, quæ est naturalis ad plura corpora attrahenda, non potest homo vnum corpus attrahere, & non aliud, nec illud decretum aliquid facit, vel mouet aquam, sed tantum attrahens secundum ipsos; Et sicut natura mouens vnum corpus, necessario aliud expellit, ita attrahens vnum corpus, necessariò aliud attrahit, & per consequens corpora colligat, quæ colligatio Vacuum impedit; Nec hoc dictum, asserentibus ipsis, colligi potest ex Scoto 4. dist. 43. q. 5. E. vbi ait, quòd si natura produceret corpus in instanti, daretur Vacuum absque miraculo, immò potius oppositum colligitur; Nam subinfero; sed natura non potest producere corpus in instanti; ergò non spectata Dei ordinatione de colligatione corporum, non potest inducere Vacuum, sed dicendum est, quòd natura, si solum secundum vires eius consideretur, posset inducere Vacuum, quia virtus regitiua Vniuersi posset non mouere corpora violen-

violenter, & illa non contiguare, & colligare, quia sicuti de facto hæc virtus regitiua Vniuersi ex necessitate decreti, necessario hoc facit, ablato decreto, posset non mouere corpora, & sic inducere Vacuum; His notatis.

Probatur Conclusio. Ordo præfixus à superiori agente videtur esse necessarius cuicunque agenti inferiori, quandò habet actionem præcisè circa talia ordinata ex Scoto 2. dist. 2. q. 12. C. Sed colligatio corporum, nè detur Vacuum, est præfixa à Deo, ergò iste ordo est necessarius cuicunquè agenti naturali, ità quòd nullum agens naturale potest discontiguare corpora, & inducere Vacuum; minor probatur, quia videmus multa corpora violenter moueri, ne detur Vacuum, quod non esset, nisi ista colligatio esset à Deo ordinata, sine qua ordinatione non essent isti motus violenti, & per consequens corporum colligatio.

Contrà arguitur primò experientijs, quibus inducebantur Antiqui ad asserendum Vacuum in natura. In Vase habente cineres, tantum recipitur de aqua, vt in Vase sine cineribus existente, & tantum de vino recipitur in dolio, in quo, sunt vtres, sicut si esset sine vtribus.

Respondeo, quòd istæ experientiæ destruunt seipsas, quia si essent veræ sequeretur quòd cineres, & vtres non replerent locum, & per consequens Vas cinere plenum, & dolium cum vtribus esset Vacuum, quòd est falsum: Et si Respondeatur comuniter ad illud de Vase cinere pleno, quòd tunc eueniret, quia cineres ab aqua consumerentur, & aqua à cineribus, hoc destruit suppositum argumenti, quia tunc Vas non esset cinere plenum, nec tantum de aqua reciperet cineribus plenum, ac si esset sine cineribus, quia ista adæquata quantitas aquæ, & cinerum destrueretur; Ad illud de vino in dolio cum vtribus dicitur comuniter, quod eueniret, quia vinum comprimeretur, & humores exhalarent, sed loquendo de vino secundum eius extensionem cum vaporibus existente in dolio sinè vtribus non posset re-

cipi in dolio cum vtribus.

Secunda experientia est de vase vitreo aqua, vel vino pleno, quòd tantum de aqua, vel vino continet cum moneta, quàm sine moneta, ergò signum est, quòd in aqua, vel vino sunt vacuitates.

Respondeo, quòd est antecedens falsum, remanente aqua in eadem positione: Nam si ponatur moneta in Vase, statim aqua, vel vinum cedit monetæ, & intumescit, & si labia Vasis madefacta sunt, tunc aqua, vel vinum versatur, nec intrà vas contineri potest, quare negatur consequentia.

Tertia experientia est de lucerna ad modum turris fabricata, quàm ingredi nequit aer, & tamen à flamma paulatim oleum consumitur; ergò in illa erit Vacuum.

Respondeo, quòd si aer ingredi non posset, tunc tantum oleum non potest consumi, sed tantum remanebit de oleo, quantum posset per rarefactionem totam lucernam replere, aliter vel extingueretur lumen, vel frangeretur lucerna, ne daretur Vacuum, sicut si ab aula totus aer extraheretur, concurrent simul parietes, vel in aliqua parte discontinuaretur, & sic de similibus.

Quarta experientia est, quòd Empireum est quadratum iuxta illud Apoc. cap. 21. Ciuitas in quadro posita est; ergò inter Empyreum, & primum mobile sunt vacuitates.

Respondeo negando quòd Empyreum sit quadratum; Et ad illud Apoc. Respondeo ex Scoto 3. dist. 36. q. Vnica infra D. quòd Ciuitas in quadro posita est, idest est fundata supra quatuor insignes virtutes, quibus meremur Dei gloriam; quare negatur consequentia.

Quintò arguitur ratione. Si non esset Vacuum in rerum natura; ergò non posset esse motus localis: Consequens est falsum, ergò & antecedens; Consequentia probatur, quia illud, quod mouetur, Vel mouetur in Vacuo, vel in pleno;

pleno; Si in Vacuo, habetur intentum; si in pleno; ergò duo corpora naturaliter simul essent, quòd est impossibile.

Respondeo negando consequentiam; & cum probatur dico, quòd illud, quod mouetur, recipitur in pleno; Et cum infertur; ergò duo corpora essent simul, nego consequentiam, quia adueniente mobili in eodem spatio, aliud corpus recedit, & sic illud spatium non potest dici Vacuum, sed plenum, quia nunquam est sine corpore replente; Vnde sensus est, quòd mobile recipitur in pleno, idest in spatio, quòd erat plenum alio corpore, & fit plenum corpore immediatè adueniente, illud autem spatium si præfuisset sine corpore, tunc fuisset Vacuum, sed quia semper est cum corpore, semper est plenum, ideò mobile semper in pleno recipitur.

Sextò. Si non esset Vacuum, sequeretur quòd non posset fieri rarefactio, & condensatio, nec augumentatio, quod est falsum; Probatur consequentia, quia cum aliquod condensatur: partes extensę accedunt ad medium, & cum rarefit, vel augumentatur occupat maiorem locum: Tunc sic; Vel illæ partes ad medium, & quæ elongantur, & augentur recipiuntur in Vacuo, vel in pleno: Non in pleno, quia tunc duo corpora essent simul; ergò in Vacuo, & sic habetur intensum.

Respondeo negando consequentiam, ad probationem dico, quòd siue partes accedant ad medium, vt in condensatione, siue à medio elongentur, vt in rarefactione; vel augumententur, vt in augumentatione; semper aliud corpus cedit in aduentu alterius, quòd recipitur in pleno, vt dictum est in præcedenti responsione; Et si aliquid in condensatione deperditur, & in rarefactione aquiritur, quòd pro nunc non curo, aliud corpus occupat locum deperdit, ne detur Vacuum, & aliud corpus cedit corpori, vel partibus eius de nouo aquisitis; Si autem hæc omnia in instanti fierent, tunc ad tempus daretur Vacuum, sed per

po-

potentiam Dei, & non naturaliter, vt procedimus in hac conclusione, quia motus non posſunt nisi à Deo fieri in instanti.

Septimò, datur plenum in natura, ergò & Vacuum; Nam posito vno contrario debet poni, & alterum.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. ibi num. 6. quòd posito vno contrario positiuo vtique debet dari aliud, sed non valet de contrarijs priuatiuis cuiusmodi sunt Plenum, & Vacuum.

Cõfutatur Contrà. Albedo, & nigredo contrariantur positiuè, & tamen data albedine, non sequitur necessario, quod detur nigredo.

Ideò Respondeo negando consequentiam cum sua *Responsio Auctoris.* probatione, quia posito vno contrario, non necessariò debet dari aliud, sed sufficit, quòd possit aliud dari, idest quòd aliud non repugnet esse; Vnde si detur plenum, non necessario sequitur, quòd detur Vacuum, sed quod possit dari, non enim repugnat Vacuum saltem per potentiam Dei, vt dicetur in propria Conclusione.

Octauò, In propositione de tertio adiacente valet inferre propositionem de secundo adiacente, Vt si homo est albus, homo est; sed Vacuum est locus priuatus corpore; ergò Vacuum est.

Respondetur communiter, quòd tunc infertur propositio de secundo adiacente in materia contingenti, non necessaria, vt est allata de Vacuo; vt Antichristus est homo, non valet inferre; ergò est, quia istæ abstrahunt ab omni differentia temporis.

Contra. Ex eo enim quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa ex Arist. cap. de Substantia; Ergò si hæc oratio: Vacuum est locus priuatus corpore: est vera, erit etiam verum, quod vacuum est.

Respondeo, quòd hic Arist. loquitur de oratione in materia contingenti, & de illa propositione, quæ potest esse

vera,

vera, & falsa, quatenus circa alterum aliqua passio facta est; Vt hæc oratio: Franciscus est sedens: est vera, ipso sedente, non est vera ipsos cubante, propositiones autem in materia necessaria semper sunt veræ, & abstrahunt ab existentia actuali, & simpliciter; Est enim semper verum: Equus est inhibilis, siue equus existat, siue non; sed propositiones de secundo adiacente supponunt pro esse simpliciter, & actuale; Vnde si Vacuum est locus carens corpore, & infinitum quantitatiuum est, quod caret terminis, non vult inferre; ergò Vacuum est, & infinitum est, sed tantùm intelligitur, quòd si Vacuum, & infinitum daretur, essent talis naturæ.

Nonò. Aliquod est carens vino: ergò vacuum est.

Respondeo negando consequentiam; Est enim fallacia à secundum quid ad simpliciter, quia si aliquod est Vacuum vino, non tamen est Vacuum simpliciter omni corpore; quia potest esse plenum aqua, vel alio corpore; Vacuum autem simpliciter est illud, quod caret omni corpore.

CONCLVSIO SECVNDA.

Vacuum potest dari per Diuinam potentiam.

Est Scot. 4. dist. 43. q. 5. D. E. & quol. ij. §. de secundo art. per totum D. E. F.

Sententia Auctoris. Caput Vnicum.

PRo cuius declaratione Notandum primò, quòd non solum non contradicit omni potentiæ diuinæ Vacuum propriè dictum, quod est locus carens corpore, seu superficies concaua nullum continens corpus, sed nec etiam est impossibile vacuum impropriè dictum ab Antiquis excogitatum, quòd est spatium cum trina dimensione separata à sub-

Potest esse Vacuũ per potentiam Dei etiam ab Antiquis excogitatum.

à substantia, & qualitatibus; Non enim repugnat quantitas sine substantia, vt patet in Sacramento Altaris, potest enim Deus facere sine substantia, & alijs accidentibus, cùm possit facere materiam sine forma à subiecto realiter distinctam, vt diffusè dictum est in prima parte Philosophiæ disputatione de materia; In isto autem Vacuo posset fieri motus, nec vrget, quod tunc fieret penetratio corporum, quia hæc penetratio potentiæ Dei non repugnat, cum possit facere duo corpora esse simul, vt dictum est disput. de loco; Tamen hic est sermo tantum de Vacuo propriè dicto.

Quid sit potentia ordinaria, & absoluta, & in quo sit.

Secundò Notandum ex Scoto p. dist. 44. q. Vnica A. B. quòd in omni agente per intellectum, & voluntatem potente conformiter agere legi rectæ, & non agere necessariò conformiter legi rectæ, est distinguere potentiam ordinariam, & absolutam; Potentia ordinaria est secundum quam operatur secundum legem præfixam: Potentia absoluta est secundum quam potest contra illam legem agere, & ideò potentia absoluta excedit ordinariam: Ideò dicunt Iuristæ, quòd quis potest hoc facere de facto, hoc est de potentia eius absoluta, vel de Iure, hoc est de potentia, ordinaria secundum Iura; Quando verò illa lex recta, secundum quam ordinatè agendum est, non est in potestate agentis, tunc potentia eius absoluta non potest excedere potentiam eius ordinariam circa obiecta aliqua, nisi circa illa agat inordinatè; Sed quando in potestate agentis est lex, & rectitudo eius, tunc potest rectè agere, agendo aliter, quàm illa lex dictet, quia potest statuere aliam legem rectam, secundum quam agat ordinatè: Modò quia in potestate Dei est lex, & rectitudo legis, potentia eius absoluta excedit ordinariam, & potest contra legem vniuersaliter præfixam ordinatè agere secundum aliam legem, & ordinem contrarium: Vnde si Deus fecit legem de colligatione corporum, potest contra istam legem agere, & ordinare Vacuum dari, secundum quem ordinem ista ordinatè,

& rectè

& rectè ageret, si daret vacuum in rerum natura; sicut ordinatè agit conseruando colligationem corporum secundum legem vniuersaliter ab ipso ante præfixam; His notatis.

Probatur Conclusio primò ex Scot. locis cit. Deus potest annichilare omnia corpora, quæ intra superficiem concauam Cœli continentur, & potest in instanti corpus condēsare; ergò potest inducere Vacuum; Consequentia patet, quia natura non potest in instanti accurrere ad replendum spatium, cum motus non possit fieri in instanti à natura.

Secundò. Ideò de facto non datur Vacuum, quia Deus ordinauit colligationem corporum; Sed Deus potest contrà talem ordinationem facere, quia potentia absoluta Dei excedit ordinariam; ergò Deus potest inducere Vacuum.

Contrà arguitur primò. Inter latera Vacui nihil est medium: sed secundum Philosophum 5. Phys. tex. 22. illa sunt simul, quorum, nihil est medium; Si igitur esset Vacuum, latera essent simul, & non simul.

Respondet Scotus quolib. ii. D. quòd medium potest intelligi, vel positiuum, & actuale, vel priuatiuum, & potentiale, & vtroque modo debet intelligi nullum esse medium eorum, quæ simul se tangunt, latera autem Vacui, & si non habeant medium primo modo, habent tamen medium secundo modo, quia inter ea posset tantum corpus intercipi, quantum est illud corpus, quod intercipitur, quando spatium est actu plenum; hæc Scot. In proposito ad maiorem concedo, quòd inter latera Vacui nullum est medium actuale, quod est corpus præsens, sed negatur quod non sit medium potentiale, & priuatiuum, quod est spatium non habens corpus replens; Ad minorem concedo, quod illa sunt simul, quorum nullum est medium actuale, nec potentiale, modo inter latera Vacui, vt dictum est, esset medium potentiale, & priuatiuum, & sic negatur consequentia. *Quotuplex est mediū.*

Secundò. In tempore est contradictio duo instantia esse distantia, & non esse tempus medium; ergò à pari contradictio est in loco duo esse localiter distantia, & non esse corpus medium; ergò est contradictio Vacuum esse.

Respondeo ex Scoto loco citato, quòd in tempore est contradictio duo instantia esse distantia, & non esse tempus medium actuale, & positiuum, vel potentiale, & priuatiuum, & hoc sufficit, quia si nullus esset motus, esset tamen quies propriè accepta, nullo enim corpore moto posset aliquod corpus vniformiter se habere in sua dispositione, & huic vniformi dispositioni corresponderet propria mensura, quæ est tempus, inter cuius quæcunque duo instantia imaginata posset tantum fluxus, siue motus intercipi, & ita si tempus dicitur mensura motus, illa vniformis existentia habebit tempus, licet non actuale, & positiuum, sed potentiale, & priuatiuum: Vnde habens notitiam temporis actualis, & positiui, applicando eam ad istam durationem vniformem, potest cognoscere quantitatem ipsius, scilicet quod tantam haberet positiuè, si esset tempus positiuum: Ad consequentiam dico ex Scot. loc. cit. f. quòd contradictio est duo esse localiter distantia, & non esse aliquod medium vel actuale, vel potentiale: Vnde si inter latera distantia nullum esset corpus, & medium actuale, illa distantia esset realis; & positiua ratione terminorum, esset verò potentialis, & priuatiua ratione medij potentialis, & priuatiui, & sic negatur quod propter hanc rationem Vacuum sit impossibile in ordine ad Dei omnipotentiam.

Tertiò. Impossibile est effectum formalem posse separari à sua causa; sed effectus formalis corporis quanti est facere latera continentis distare: ergò nullo existente corpore in medio, impossibile est latera distare, & per consequens Vacuum esse.

Respondeo ad suppositum, quòd effectus formalis primarius causæ non potest separari à sua causa, benè tamen

potest

potest separari effectus secundarius: Modo ad minorem, facere latera continentis distare non est effectus primarius corporis quanti, cum tale corpus possit esse sine tali effectu formali, quia potest habere modum indiuisibilem, vt patet in Sacramento altaris, effectus enim formalis corporis quanti est extensibilitas, & locabilitas extensiua, sicut effectus primarius quantitatis est reddere corpus quantum, & extensibile, & sic negatur consequentia.

Qui sit effectus primarius, & secũdarius quãtitatis.

Quartò. Sicut ex discontinuatione partium in homine, sequitur hominis destructio, ita ex discontinuatione partiũ Vniuersi totum Vniuersum destruitur; ergò non potest dari Vacuum, remanentibus partibus Vniuersi.

Respondeo quicquid dicant Meld. & Cat. negando, quòd ex discontinuatione partium vniuersi totum Vniuersum destruatur; Nec valet paritas, quia ideò homo destruitur ex discontinuatione partium siue essentialium, siue integralium, si sint principales, quia vita, & esse hominis, sicut cuiuslibet compositi per se, resultat ex necessaria coniunctione, & vnione materiæ, & formæ, & partium integralium principalium, quibus destructis, totum simpliciter destruitur; Vniuersum autem, cum sit vnum aggregatum per accidens, semper remanet idem, siue partes sint vnitæ, vel non, quia aggregatio abstrahit à continuatione, vel discontinuatione, & sic negatur consequentia.

CONCLVSIO TERTIA.

Si daretur Vacuum posset in eo fieri motus.

Est Scot. 2. Dist. 2. q. 9. §. ad quartum Principale ij. A. A. & sequentibus.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Op. Meld. & Cat. MEld. & Cat. disp. 12. q. 3. art. 1. eandem sustinent conclusionem, sed aliqua transcribunt tanquam Scoti doctrinæ consentanea, quæ Scoti doctrinam destruunt.

Primum dictũ Mel. & Cat. Primò indeterminatè discurrendo dicunt numero 18. an grauia, & leuia in Vacuo naturaliter moueantur, determinant, quòd necessarium est esse grauia sub leuibus, & leuia suprà grauia, ad hoc vt naturaliter moueantur, & non quia determinatum situm postulent in Vniuerso, & citant Scotum 2. dist. 2. q. 6. H. & tamen Scotus nihil dicit ad hoc pertinens, sed solùm ostendit, quòd corpori competit esse in loco naturaliter, in quantum naturale est. Videatis Scotistæ vestrum Doctorem, nè dicta contra Scotum falsis citationibus consolidentur. Honorabilius est liberculos fidelissimos proprio Marte componere, quàm multa falsa dicere.

Sed quia hoc dictum transferunt examinandum in libris de Cælo, & impugnationem ego transferam, & nescio pro nunc quomodo sibi contradicentes adducant in hoc *Infideliter citãt Scot.* art. Scotum in 2. dist. 2. q. x. B. ad litteram, quæ est eorum dicto, & determinationi omninò contraria.

Transfertur impugnatio in lib. de Cælo. Item numero 16. dicunt quòd Scot. 2. dist. 2. q. 9. ad quartum Principale negat motum naturalem grauium in Vacuo interminato, sed inspicienti patet nihil de hoc Scotum

tum asserere, sed solum probat, quòd in Vacuo posset fieri motus successiuus; Necesse est hoc considerare, vt sciant lectores, qui sint de numero sapientum, & Scotistarum.

Secundò, dicunt, quòd si animalia essent in Vacuo interminato, possent moueri motu progressiuo, & si essent in Vacuo terminato, & grauia, ac leuia ad propria loca tenderent, tunc non possent moueri sine sustentaculo, sub pedibus, & per consequens non possent progressiuè moueri; si verò (loquuntur de Vacuo terminato) ad situm non tenderent, sed tantum ad superficiem corporis continentis, & conseruantis, non indigerent sustentatione, & sic volatus, & motus progressiuus posset fieri sicut in Vacuo interminato. *2. dictum Meld. & Cat.*

Contrà arguo ad hominem, quòd si animalia in Vacuo terminato ad propria loca tenderent, progressiuè mouerentur. Ideo animalia in Vacuo inani possunt moueri motu progressiuo, quia secundum ipsos ibi num. 18. haberent virtutem motiuam, & nihil impediret, sicut eueniret, Si in Vacuo terminato ad propria loca non tenderent, & non indigerent sustentaculo; Tunc sic; sed animalia in Vacuo terminato, & ad propria loca tendentia haberent virtutem motiuam, & nihil impediret; ergò possent moueri progressiuè, & non indigerent sustentaculo; Probo minorem, & primò, quod haberent virtutem motiuam, quia hæc virtus est intrinseca mobili, & animal esset eiusdem retionis intrinsecè, quomodocumque in Vacuo tenderet; Non ab alio impediretur, quia non ab alio corpore, cum supponatur Vacuum; Non à loco suo naturali, cum ad ipsum magis mobile secundum eius virtutem moueatur; ergò à nullo impediretur: ergò progressiuè moueretur. *2. Dictum Meld. & Cat. impugnatur ad hominem.*

Præterea magis indiget sustentaculo, quòd extrà propriũ locum mouetur, quam quod mouetur ad proprium locum naturalem; Sed secundum istos Scriptores ibi num. 18. Si graue non tenderet deorsum in Vacuo terminato, tunc sustentaculo *Confut. 2.*

sten-

ſtentaculo non indigeret, & moueretur ſprogreſſiuè; ergò multo minus indigeret ſuſtentaculo, ſi deorſum moueretur, & per conſequens progreſſiuè moueretur; maior patet, quia graue non poteſt ſurſum moueri, & quieſcere, cùm violenter detineatur, & à virtute violenter mouentis ſuſtineatur.

Præterea hoc dictum ſupponit vnum falſum ſcilicet, quòd grauia, & leuia in vacuo terminato non tenderent ad propria loca, ſed ad ſuperficiem corporis continentis, & conſeruantis.

Confut. 3. ad hominem. Vnde arguo ad hominem, & ſecundum veritatem. In quocunque ſpatio ſunt aſſignabiles locorum poſitiones ſurſum, & deorſum, & propria loca mobilium, ſi mobilia propriæ naturæ relinquerentur ad propria loca, & non alibi mouerentur; ſed ſi daretur Vacuum terminatum, tunc & ſecundum Scotum 2.diſt.2. q.X. B. & ſecundum ipſos num. 18. eſsent aſſignabiles locorum poſitiones ſcilicet ſurſum, & deorſum; ergò graue deorſum, & leue ſurſum mouerentur: ergò non ad ſuperficiem continentis, & conſeruantis, vt ipſi dicunt, quia dato Vacuo, ſuperficies concaua Lunæ non haberet virtutem conſeruandi corpora grauia.

Tacita reſponſio impugnatur. Si reſponderent, quòd tunc darentur iſtæ poſitiones, ſuppoſito, quòd ad rationem loci naturalis requiratur tantùm ſitus Vniuerſi, quòd non concedunt, quia dicunt requiri etiam, quòd graue ſit ſub leui, & leue ſupra graue: Hoc deſtruit ſuppoſitum, ſupponimus enim dari vacuum terminatum in Vniuerſo, ac propterea nullam eſse colligationem, & ordinationem corporum grauium, & leuium; Deſtruit etiam doctrinam Scoti ab ipſis loco citato allatam, quæ circumſcribit, & aufert omnia corpora grauia, & tamen admittit proprium locum: Afferunt enim iſti ſcriptores hæc verba Scot. 2. diſt. 2. q. X. B. *Si nullum graue eſſet in centro, ſed tota terra ammota ab eo, & remanente centro*

centro sub sola ratione repiri, vt prius, adhuc graue naturaliter tenderet ad centrum; quid clarius? Pro hac mea, non aliena doctrina, detractiones, & calumnias inueniam, non responsiones.

Tertiò dicunt in Responsione ad quartum nu. 20. quòd iste motus in Vacuo, qui esset latio, non posset dici motus localis, quia motus localis non potest fieri, nisi in pleno, in quo solum reperitur Vbi locale, quod attenditur penes superficiem realem ambientem. *3. dictum Meld. & Cat.*

Sed isti sibi contradicunt, quia ibi num. 17. probando motum localem fieri posse in Vacuo, probant per hoc quia iste motus localis à medio pleno nullo modo dependet, & loquuntur tàm de Angelis, quàm de corporibus, habent enim hæc verba. *Secundo probatur descendendo ad motus in particulari, nam si loquamur de Deo, patet, quòd posset in Vacuo aliquod mobile mouere: Angelus posset se ipsum, & aliud mobile localiter mouere, quia à medio pleno nullo modo dependet*. hæc illi: Dependere autem à medio pleno, & non dependere est manifesta contradictio. *Contradictio Meld. & Cat.*

Prætereà, si Vbi locale attenditur penes superficiem ambientem, quomodo posset Angelus siue in pleno, siue in Vacuo localiter moueri, cùm sit tantùm in loco difinitiuè, non circumscriptiuè. *Confut. 2.*

Prætereà in Vacuo terminato esset superficies ambiens, ad quam tenderent grauia, & leuia secundum ipsos ibi eodem numero 18. ergò ibi esset propriè motus localis, quia esset Vbi locale, quòd secundum ipsos attenditur penes superficiem ambientem realem. *Confut. 3.*

Prætereà ibi num. 18. supponunt in Vacuo terminato propria loca grauium, & leuium; ergò ibi esset motus localis, quia motus localis est motus ad locum. *Confut. 4.*

Preterea in easdem angustias incidunt cum propria eorum responsione ad quartum in quas volunt incidere aliter respondentes, quia dicunt, quòd incidunt in angustias dicentes *Arguitur alios reprahendit se ipsos.*

centes terminum à quo, & ad quem esse negationes reales, quas importat spatium, quia latio est motus realis positiuus; Nam in propria responsione ad quartum, dicunt hunc motum lationis attendi penes determinatas partes diuinæ substantiæ vbique diffusas; Tunc sic; sed istæ partes diuinæ substantiæ non sunt reales, sed imaginariæ, quia imaginantur in Deo omninò indiuisibili plures partes iuxtà partes imaginarias spatij; ergò istæ motus lationis ab vna parte diuinæ substantiæ ad aliam erit omninò imaginarius: quare in maiores angustias incidunt ponentes motum realem inter terminos simpliciter imaginarios, quam qui huiusmodi motum ponunt inter negationes reales.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Si daretur Vacuum posset in eo fieri motus.

Est Scot. 2. dist. 2. q. 9. §. ad quartum principale ii. A. A. & sequentibus.

Quid sit Vacuum terminatũ & interminatum.

PRo cuius declaratione Notandum, quòd in proposito potest hic Vacuum accipi: Vno modo pro Vacuo interminato, scilicet pro spatio non habente corpus ambiens ipsum, valens corpora in illo spatio continere, vt est spatium extra Cęlum; Alio modo pro Vacuo terminato, scilicet pro superficie carente corpore contento, & de hoc loquor tantùm in præsenti, supponendo tanquam verum quòd continentia locantis, siue superficiei concauæ nihil faciat ad motum simpliciter; Vnde, si homines extra Cœlum constituerentur possent intelligere, velle, & supra Cœlum deambulare, loquendo verò de Vacuo terminato, omnes motus possent fieri, qui non indigent medio, qui verò indigent medio, cuiusmodi est respiratio, & visio, non possent

possent in Vacuo fieri; Vnde si infrà Cœlum nullum esset corpus, & deinde aliquod graue, vel leue in hoc Vacuo constitueretur poſset naturaliter moueri ad proprium locũ, quia ibi daretur sursum, & deorsum, & ablato contra Meld. & Cat. quòd graue sit sub leui, & leue supra graue, positis solis dispositionibus locorum, & sint Vniuersi, adhuc corpora ad proprium locum naturaliter tenderent, vt pat. ex Sco. 2. dist. 2. q. x. B. Immo graue tendens ad centrum, cum ad illud peruenerit, non posset vltra moueri, aliter sursum, & contra propriam naturam moueretur, & sic non poſset moueri ad superficiem Cęli continentis, vel potentis continere; Vnde cum in motu progressiuo necessarium sit sustentaculum, in quo vnus pes firmetur, & alius eleuetur ad figendum illum in alia parte spatii, si situs centri ad quod animal tanquam graue moueretur, vt ad proprium locum, eſset extensus saltim priuatiuè, & potentialiter, tunc animal poſset progressiuè moueri in centro, quia illud centrum sustentaret animal, eo quia animal, ex sui natura non poſset vltro progredi, aliter contra eius naturam, vt dictum est, progrederetur: Si verò non eſset extensus, non poſset progressiuè moueri, sed tantum saltare, & pedes eleuare, & à concauo Lunæ, si ibi eſset positum, motu recto ad centrum moueri; In proposito autem est sermo pręcipuè de motu lationis, seu motu locali.

Secundò Notandum, quòd iste motus lationis, qui concederetur in Vacuo diceretur verè motus localis, non positiuus, sed priuatiuus, quia termini talis motus eſsent priuatiui, tamen formaliter eſset positiuus, quia diceret realem, & positiuam relationem in mobili ad terminum Vacui, non eſset tamen realis simpliciter, quia eſset ad negationem, eſset verò realis, quia fieret nullo cogitãte intellectu; Et iste motus localis non eſset circumscriptiuus, quia supponeretur nullum dari corpus circumscribens, quia ad rationem motus localis non requiritur terminus, qui sit corpus cir-

Motus localis duplex, positiuus, & priuatiuus.

cumscribens, aliter Angelus non posset moueri localiter, sed sufficit præsentialitas ad Vbi, siue positiuum, siue priuatiuum, vt esset in proposito; Et si Arist. non posuit aliud Vbi locale, nisi circumscriptiuum, hoc est quia non cognouit nisi corpora per se moueri, & alia ad motum corporum, nam putauit Angelos esse Deos, & immobiles: & licet Scotus quolib. 11. O. dicat Angelum, & corpus indiuisibiliter existens non habere propriè Vbi, & non esse per consequens propriè in loco, loquitur de Vbi ad mentem Arist. Nam Scotus 2. dist. 2. q. 6. per totum probat Angelum esse in loco, & §. ad argumenta. P. ait omnes Auctoritates negantes Angelum esse in loco, intelliguntur de loco circumscriptiuo. His notatis.

Probatur Conclusio. Vbicumque poneretur mobile, cuius virtus motiua non impediretur, ibi posset esse motus; sed si in Vacuo poneretur graue, vel leue, ibi poneretur mobile, cuius virtus motiua à nullo impediretur, quia nullum esset, ex suppositione Vacui; ergò in Vacuo posset esse motus.

Contrà arguitur primò. Si daretur Vacuum mobile non posset moueri, nec naturaliter, nec violenter, quia non esset maior ratio cur magis ad hanc, vel ad illam partem moueretur; ergò nullo modo posset moueri.

Resp. Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. ibi num. 20. quòd tunc mobile moueretur neutraliter.

Confut. Sed hæc responsio est falsa, vt patet ex dictis in primo cap. quia secundum ipsos darentur dispositiones locorum, & illis positis, mobile moueretur naturaliter ad proprium locum ex Sco. 2. dist. 2. q. x. B.

Responsio Auctoris. Ideò respondeo negando antecedens, quia vnumquodque naturaliter moueretur ad proprium locum naturalem; Præterea illud antecedens est insufficiens, non enim valet dicere, Non mouerentur naturaliter, nec violenter; ergò non mouerentur, quia præter motum naturalem, & violentum

datur

datur motus neuter; quare negatur consequentia.

Secundò Si esset motus in Vacuo, sequeretur quòd naturaliter posset dari Vacuum, quia spatium illud à mobili occupatum fieret Vacuum per motum, atque naturaliter mobile Vacuum causaret.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. ibi num. 20. negando sequelam; Nam & si mobile illam partem Vacuam redderet, id tamen referri deberet ad potentiam diuinam, quæ Vacuum illud effecit.

Confut. Sed hæc responsio est falsa, quia si mobile illam partem Vacuam redderet, Vacuum etiam efficeret, & non Deus, qui Vacuum illud non effecit, sed plenum, quia in spatio posuit illud mobile; Et probatur, quia posita à Deo illa parte plena, nullo posito nouo Dei concursu, sed relinquendo mobile suę naturę adhuc mobile redderet illam partem Vacuam naturaliter.

Responsio Auctoris inducentis contradictionem Meld. & Cat. Ideò respondeo, concedendo consequentiam, quam & ipsi tenentur concedere, quia quæstione antecedenti dicunt, quòd spectatis solum vicibus naturæ, & non ordine diuino de colligatione corporum, adhuc natura posset inducere Vacuum; Modò si poneretur mobile in vacuo, non esset ordinatio Dei de colligatione corporum, quia esset contra suppositum, & per consequens mobile, relinquendo partem spatij, faceret vacuum naturaliter, & sine miraculo.

Tertiò. Omnis motus sublunaris pendet à Cęlesti motu, & influxu, ex 8. Physi tex 56.& 12.Met.tex.38. Sed in Vacuo non posset transmitti influxus, cùm nullum sit medium plenum; ergò nullus posset esse motus in Vacuo.

Respondeo quicquid dicant alij, negando, quòd ibi Aristot. maxime in 4. Phys. dicat motum sublunarem pendere à cælesti motu, & influxu, sed tantum probat motum localem, vt sic, esse primum motum, quia potest esse motus lo-

calis sine generatione, augumentatione, & alteratione, sed non è conuerso potest esse motus augumentationis, alterationis, & generationis, sine motu locali, nam quòd augumentatur recipit maiorem locum: In alteratione applicatur agens ad passum, quòd non fit sine motu locali, similiter in generatione, quia generatio non est sine alteratione: Vtique in 12. Met. loco cit. postquam probauerit motum localem esse primum motum, dicit, & inter lationes motum circularem esse primum, quia ponit Philosophus talem motum esse sempiternum, non autem est primus primitate causalitatis, sed tantummodo cuiusdam perfectionis in quibusdam conditionibus motus, quæ sunt regularitas, & velocitas, patet enim quòd essentialiter non dependet actio ipsius corporis Cœlestis in aliquod inferius ex motu ipsius corporis, quia secundum Philosophum 2. de generatione tex. 55. nihil facit latio ad generationem, nisi quia adducit generans, si ergò sine illo motu inquit Scot. 4. d. 48. q. 2. L. generans esset æquè approximatum, æquè ageret, & sic concessa minori negatur consequentia.

Quartò. Motus localis non potest esse sine loco, nec locus sine superficie; sed in Vacuo nulla esset superficies; ergò nullus locus, nec motus localis.

Respondeo quicquid dicant alij, quòd motus localis est duplex positiuus, qui est ad terminum positiuum, vt in pleno, & priuatiuus, qui est ad terminum priuatiuum, vt in Vacuo: In proposito motus localis positiuus non potest esse sine loco positiuo, & motus localis priuatiuus non potest esse sine loco priuatiuo: Item nec locus positiuus sine superficie, loquendo de loco positiuo circumscriptiuo, quia locus positiuus non circumscriptiuus, sed tantùm diffinitiuus potest terminari ad punctum: Et sic concessa minori negatur consequentia de loco, & motu locali priuatiuo, sed conceditur, quòd nullus esset locus, nec motus localis positiuus, & circumscriptiuus, de quo procedit

dit argumentum ad mentem Aristotelis.

CONCLVSIO QVARTA.

Si motus localis fieret in Vacuo, non fieret in instanti, sed in tempore, & successiuè.

Est Sco. 2. dist. 2. q. 9. Y. Z.

Sententia Auctoris. Caput Vnicum.

PRo cuius declaratione Not. Primò ex Scoto loco citato, quòd causa successionis in quolibet motu est resistentia mobilis ad motorem, non quidem talis, quòd mouens non possit vincere mobile, quia moueret se ipsum, nec talis quòd mobile reinclinetur ad oppositum, quia hoc solum prouenit præcisè in motu violento, sed quia mobile semper est sub aliquo, cui immediatè non potest succedere terminus intentus à mouente; Et ista resistentia mobilis ad motorem est propter defectum virtutis mouentis, & propter resistentiam medii ad mouens, & mobile, per quod mediũ potest intelligi omne illud quòd necessario præcedit inductionem termini intenti, quod vel est diuisibilitas partium mobilis, vel diuisibilitas formæ secundum quam est motus, vel diuisibilitas spatii, sed tale medium non est necessariò medium, nisi virtuti limitatæ, si enim esset virtus infinita, posset statim ponere mobile in termino; Possibilitas igitur successionis in motu à duobus prouenit, scilicet ex resistentia medii ad mobile, quia mobile non potest in aliquo spatio moueri, nisi prius transeat vnam partem spatii, deinde aliam, & ex resistentia medii ad motorem, quatenus mouens non potest statim ponere mobile in termino; Necessitas tamen successionis nunquam est ex ressistentia medii ad mobile, sed præcisè comparando istam resistentiam ad agens *Quæ sit causa successionis in motu.*

gens

Tertiò. Si darentur duo corpora æqualis virtutis, & figuræ, vnum non posset naturaliter velocius moueri alio, sed æquali velocitate mouerentur, hoc patet, & conceditur ab omnibus, positis cæteris paribus, quia nulla ratio maioris velocitatis reperiretur in vno, quam in alio; Sed si motus localis fieret in Vacuo in instanti, vnum corpus æqualis virtutis, & figuræ velocius moueretur alio: ergò motus localis in Vacuo non fieret in instanti, sed in tempore, & successiuè; Minor probatur, quia illud velocius mouetur, quod pertransit maius spatium in eodem tempore; sed si vnum istorum corporum esset in duplo magis distans alio à centro, simul in eodem instanti peruenirent ad terminum: ergò corpus magis distans æqualis virtutis, & figuræ cum alio velocius illo moueretur, minor patet, quia supponitur motum in Vacuo fieri in instanti.

Contrà arguitur primò. Successio in motu prouenit ex resistentia mobilis ad motorem, vel medii ad mobile, vel medii ad motorem; sed in vacuo nulla est talis resistentia; ergò in Vacuo non potest esse motus successiuus, minor probatur; Nam non esset resistentia ex parte medii, quia hoc nihil esset; ergò non posset successionem realem causare; Nec esset ex parte agentis, quia nullum haberet contrarium, quo ablato agens in instanti agit.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem; Et cum probatur, dico ex Scoto 2. dist. 2. q. 9. y. z. quòd ibi esset resistentia medii ad mobile, eò quia medium est diuisibile, propter quam diuisibilitatem mobile non potest simul esse in termino, sed prius debet vnam partem, deinde aliam pertransire; Et cum dicitur, quòd hoc non potest esse, quia tale medium nihil est; Dico, quòd licet medium Vacuum esset nihil positiuum, esset tamen aliquod diuisibile, & quantum priuatiuum, quod sufficit ad hoc, vt mobile non possit esse simul in termino distanti, quia successio in motu locali ex Scot. loco cit. supra A. A. est ex spatio in quantum

quan-

quanto, & non intelligitur de quantitate positiua, quia loquitur de Vacuo, sed priuatiua; Ex qua resistentia medii ad mobile, mobile ipsum resistit mouenti, quatenus mouens, si sit virtutis finitæ non potest statim ponere mobile in termino; Nec valet dicere, quòd tunc mouens non habet contrarium, quia principalis ratio successionis, maximè in motu locali, est diuisibilitas spatii, & limitatio virtutis mouentis, quæ omnia essent in Vacuo.

Secundò. Illuminatio fit in instanti in medio pleno; ergò multò magis motus localis in Vacuo, vbi nullum esset medium resistens.

Quare illuminatio fit in instāti, & non motus localis.

Respondeo negando paritatem, quia ex Scot. 2. dist. 2. q. 12. F. G. quando agens respicit totum passum tanquam terminum indiuisibilem, & formam secundum vltimum gradum secundum quem ipsam totam inducit tanquam indiuisibilem, tunc mutatione indiuisibili inducitur forma perfectè in passo diuisibili, vt patet in illuminatione; vnde non repugnat simultas ratione alterationis, repugnat tamen in ordine ad virtutem naturalem simultas motus localis, quia agens, & mobile respicit totum spatium, vt aliquod diuisibile, corpus enim mobile non est indiuisibile, sed diuisibile, lumen autem indiuisibile; Vnde si lumen, quod est indiuisibile, sicuti sonus, multiplicaretur per motum localem, sicuti sonus, illuminatio fieret in tempore, sicuti sonus; Vnde simultas non repugnat ratione alterationis, sed tantum ratione motus localis: quare negatur consequentia.

Tertiò. Quæ est proportio medii ad medium in subtilitate, & densitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate; sed nulla est proportio Vacui ad plenum in subtilitate; igitur nec motus ad motum in velocitate, & tarditate; sed omnis motus possibilis ad omnem motum possibilem potest esse aliqua proportio in veloci-

locitate; ergò nullus motus est possibilis in Vacuo; saltem successiuus.

Respondeo ex Scoto 2. dist. 2. q. 9. A. A. quòd hæc, & consimiles rationes Arist. sunt veræ contra, eos, qui p onebant totam causam successionis motus esse Vacuum dimensionatum sine qualitatibus; sed Arist. haberet tantum contra aduersarios, quòd motus habens velocitatem, & tarditatem accidentalem non esset in Vacuo, quia hæc causatur à qualitatibus, quæ non essent in Vacuo dimensionato posito ab Antiquis sine qualitatibus.

Vnde ad Argumentum in forma respondeo ex Scoto loco citato, quòd maior intelligitur de proportione cæteris paribus, scilicet accipiendo velocitatem, & tarditatem correspondentem subtilitati, & densitate medii; quapropter datur duplex successio motus, & per consequens duplex velocitas, & tarditas; Alia est successio essentialis, quæ fit propter diuisibilitatem spatii, & huic correspondet velocitas, & tarditas essentialis; Alia est successio accidentalis, & est quæ correspondet medio secundum subtilitatẽ, & densitatem; Vnde ad maiorem: quæ est proportio medii ad medium in subtilitate, & densitate eadem est proportio motus in velocitate, & tarditate accidentali; concedo, sed negatur de velocitate, & tarditate essentiali, quia hæc proportionantur secundum rationem diuisibilitatis, & quantitatis spatii, & sic velocior erit motus in paruo spatio Vacuo, quam in magno Vacuo: Et sic concessa minori, concedo etiam consequentiam scilicet, quòd nulla erit proportio motus in Vacuo, & pleno quod ad velocitatem, & tarditatem accidentalem, sed negatur de velocitate, & tarditate motus essentiali: Ad subsumptionem concedo, quòd motus ad motum est aliqua proportio velocitatis, & tarditatis essentialis, vel accidentalis: quare negatur consequẽtia, quia inter motum in Vacuo, & motum in pleno est proportio successionis essentialis.

Qualis est proportio medij ad medium in subtilitate, & densitate, eadẽ est proportio motus in velocitate, & tarditate.

Quartò, Sequeretur, quòd motus factus in pleno posset esse æqualis motui facto in Vacuo, quia si aliquod plenum subtile in tanta proportione, quod excedat aliud plenum subtile tantum quantum tempus motus facti in Vacuo excedit tempus motus in illo pleno, tunc si fiat motus in illo pleno subtiliori, erit æqualis motui facto in Vacuo.

Responsio Mel. et Cat. Respondent Meld. & Cat. ibi num. 23. quòd illi motus possent æquari quò ad successionem essentialem, non accidentalem.

Ostenditur insufficiẽs. Sed hæc responsio non soluit, quia loquitur de æqualitate temporis simpliciter, & probat, quòd eadem mensura temporis mensurarentur: Ideò ipsi tenentur dicere, quòd non fierent in æquali tempore, quia si illi motus essent æquales in successione essentiali non accidentali, ille motus in pleno erit tardior propter successionem accidentalem illi superadditam.

Resp. Auctoris. Ideò Respondeo, concedendo totum argumentum; & non est inconueniens motum in pleno æquali tempore fieri cum motu in Vacuo, non enim est inconueniens, quod si datur motus in Vacuo durans per mediam horam, vel per horam, quod detur etiam in pleno motus in æquali tempore. Esset verò inconueniens cæteris paribus, vt si in æquali spatio pleno, & Vacuo mobile eiusdem rationis, & virtutis in æquali tempore mouerentur, quia æqualis omninò resistentia essentialis reperiretur in spatio pleno, & Vacuo propter æqualem quantitatem, & magnitudinem, & vltra hanc in pleno reperiretur resistentia accidentalis, quomodocumque plenum esset subtile.

Quintò sequeretur, quòd corpus simplex naturalius, & velocius moueretur in Vacuo quàm in pleno, quod est contra Arist. 3. Cęli tex. 28. vbi habet naturam vti medio tanquam instrumento ad faciendum motum naturalem, & violentum, & motum naturalem iuuari à medio.

Respondeo concedendo sequelam, cæteris paribus, & nega-

negatur, quod sit contrà Arist. qui in lo. citato non dicit motum in pleno fieri velocius, quam in Vacuo, sed tantum asserit esse necessarium aerem, & medium ad hoc, ut sit motus tam violentus, quam naturalis, quia secundum Arist. si daretur Vacuum, nullus esset motus.

Sextò Zab. de rebus naturalibus libro 1. de motu grauium, & leuium cap. X. arguit contra Scotum confutando resistentiam essentialem medii. Omnis resistentia est ab actu, quia potentia indistinctè respicit opposita: ergò non potest esse interna resistentia, nisi vbi est duorum actuum compositio, vt in animali grauitas resistit animæ mouenti: sed in elemento non est nisi vnus actus; ergò elementum in Vacuo non potest habere resistentiam intrinsecam; ergò mouebitur in instanti, & non successiuè.

Respondeo quòd Zab. acriter inuehens contra Sco. nihil concludit, quia ideò secundum Sco. resistentia medii, vt medium quantum est, dicitur essentialis, quia medium, vt quantum, est essentialiter diuisibile, sed non est essentialiter subtile, vel densum, sed tantùm accidentaliter: Vnde resistentia penes subtilitatem, & densitatem dicitur accidentalis, quapropter ad argumentum in forma Respõdeo negando antecedens & consequentiam, quià resistentia interna, & essentialis est tantum à medio, vt medium quantum est; minor subillata conceditur, sed negantur cõsequentiæ, quia elementum in Vacuo haberet resistentiã medii, & per consequens successiuè moueretur, sicut & animal, quod non habet resistentiam internam eo quia habeat duos actus, sed quia mouetur in spatio quanto; Et hæc est resistentia interna præcisè in ordine ad agens naturale:

Contra arguitur ex Zab. loco cit. Vacuum non esset quantum: ergò nullo modo talis resistentia interna, & essentialis daretur.

Respondeo, quòd Vacuum non esset quantum positiuè, esset tamen priuatiuè, quæ quantitas priuatiua sufficit ad resistentiam essentialem, & internam, quod patet, quia tunc extrema Vacui non essent simul, sed distarent, quod non esset, nisi aliqua quantitas, quæ priuatiua est, intercederet.



Dispu-

Disputatio Quinta De Duratione in Comumni.

CONCLVSIO VNICA.

Duratio importat existentiam connotatiuè, formaliter verò importat relationem aptitudinalem coexistentiæ alteri existentiæ.

Elicitur ex Sco. quolib. 6. Q. & R. & 2. d. 2. q. 3. A. & q. 4. A.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld. & Cat. disp. 13. Phys. q. p. num. 4. & 7. sustinent durationem solum formaliter dicere existentiam rei, connotando respectum rationis aptitudinalem coexistentiæ alicui durationi extrinsecæ, saltim imaginariæ, licet in progressu huius disp. confundant coexistentiam aptitudinalem cum actuali. *Op. Meld. & Cat.*

Contrà hanc opinionem arguo primò ad hominem; probando, quòd Duratio non dicit formaliter existentiam, sed respectum ad esse præhabitum, quem vocant num. 3. continuationem, seu conseruationem ipsius esse. Eodem modo debemus philosophari de Duratione in ordine ad existentiam, sicuti philosophamur de Conseruatione in ordine ad productionem; sed conseruatio dat intelligere respectum rationis ad esse præhabitum ex modo consignificandi principalis significati, ita debemus dicere de duratione scilicet quòd significat existentiam, sed respectum rationis ad esse præhabitum ex modo consignificandi princi- *Confut. 1. ad hominem.*

cipa-

cipalis significati; maior, minor, & Conclusio est ipsorum in hac disputatione q. p. num. 3.

Si respondeant, quòd illi respectus rationis in productione, & conseruatione consignificant principaliter significatum connotatiuè, non formaliter.

Tacita responsio cõfutatur. Contrà. Illud formaliter, & principaliter importatur à conseruatione,&duratione,per quod res dicitur conseruari, & durare, & sine quo res non dicitur conseruari, & durare, sed per productionem res non dicitur conseruari,&per existentiam res non dicitur durare, sed dicitur conseruari per respectum ad esse præhabitum, & durare per eundem respectum; ergò conseruatio, & duratio consignificant illos respectus rationis formaliter, & principaliter, & non connotatiuè; minor est ipsorum ibi num. 3. vbi habent hæc verba. *Vnde sicut res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conseruata, ita in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia duratio aliud non est, quam existentia rei continuata, & conseruata.* Hæc illi; Minor etiam potest confirmari ex Sco. quol 12. E. qui licet sustineat eundem esse respectum ad Deum creantem, & conseruantem, tamen dicit, quòd creatio importat respectum rationis ad non esse præcedens, & conseruatio respectum rationis ad esse præhabitum, & se declarat non determinare quinam respectus formaliter importetur; concludit tamen, quòd præcisè per illum respectum rationis, negatur idem simul creari, & conseruari; ergò posito illo respectu rationis,(qui verè est realis,sed non simpliciter, cum sit respectus aptitudinalis) res dicitur conseruari,& durare,& illo ablato res non dicitur cõseruari, & durare;ergò creatio,& conseruatio formaliter nõ sunt idẽ.

Alia tacita respõsio confutatur Nec valet dicere, quòd consignificare dicit connotationem, & non rationem formalem principaliter, quia Sco. quolib. 12. f. dicit conseruationem consignificare respectum ad Deum, & ad esse præhabitum, sed qui illorum principali-

paliter importetur, non determinat; ergò consignificare non importat tantùm connotationem principalis, sed etiam potest importare principalitatem.

Probo tamen simpliciter, quòd duratio non importat formaliter existentiam connotando aliud, sed potius è conuersò existentia est connotatum in sententia Scot. quod competit alicui, vel vt modus eius intrinsecus, vel vt fundamento, & quasi subiecto, non potest formaliter illud importare; sed tantùm connotare; sed secundum duplicem viam, quam ponit Sco. quolib. 6. Q. R. Duratio æternitatis competit existentiæ, vel vt modus eius intrinsecus, vel vt fundamento, & subiecto, ergò non potest talis duratio formaliter importare existentiam, sed tantùm connotare, aliter modus rei intrinsecus esset formaliter res, cuius est modus, & relatio esset formaliter suum fundamentum. *2. Confutatur opinio Meld. & Cat.*

Potest responderi insufficienter ad secundam partem minoris pro ipsis ex his, quæ dicunt de Æternitate in hac disp. num. 13. & primò, quòd cum dicit Scotus æternitatem dicere existentiam tanquam connotatum, & subiectum, vel fundamentum æternitatis, quòd non est intelligendum, vt existentia non sit verè, & propriè formalitas æternitatis, sed secundum nostrum intelligendi modum, quatenus scilicet concipimus tunc æternitatem habere rationem completam, cum suprà existentiam relationem illam aptitudinalem coexistentiæ intelligimus fundari, quæ sit veluti forma ipsius, quomodò priuatio, vt sic dicitur addere supra negationem aptitudinem subiecti. *Resp. pro Aduersarijs.*

Sed hæc responsio est merè voluntaria, quia nullus rectè dicere potest, quòd aptitudo subiecti addatur negataoni in priuatione, sed præsupponitur negationi, æternitas autem additur existentiæ tanquam priori; ergò non eodem modo dicendum est de relatione aptitudinali in ordine ad existentiam in æternitate, sicut dicimus de aptitudine subiecti. *Cõfutatur.*

biecti in ordine ad negationem in priuatione; quia vt dictum est, in æternitate relatio aptitudinalis additur existentiæ tanquam priori, aptitudo verò subiecti in priuatione additur tanquam prius posteriori, ac propterea existentia non potest eodem modo dici fundamentum æternitatis, quo modo ficte isti dicunt negationem fundamentum, & subiectum aptitudinis subiecti.

Confut. 2. Præterea si in hoc æternitas, & priuatio essent similia, sequeretur quòd illud, quod est fundamentum, & subiectum æternitatis esset quid posterius relatione, sicut negatio, quæ ponitur subiectum aptitudinis est posterior aptitudine, & quod concipitur à nobis per modum subiecti, deberet esse posterius eo, quod est in subiecto.

Respondēt quod Sco. est problematicus. Sed quia viderunt hanc Responsionem esse friuolam secundò Respondent Scotum problematicum esse de connotato, & formali æternitatis quolib. 6. Q. R. quia dat modum sustinendi connotatum æternitatis esse existentiam, & esse relationem aptitudinalem coexistentiæ.

Ostenditur quod Sco. non est problematicus quoad connotatū, & formale æternitatis. scil. an tale sit existentia. sed est solū problematicus an formale æternitatis sit modus existentiæ, vel relatio addita existentiæ. Sed si isti Scriptores legissent Sco. loco ab ipsis citato cognouissent non esse problematicum quo ad connotatum, & formale æternitatis, quia in quolib. 6. Q. determinat æternitatem conuenire existentiæ, quærit verò an æternitas, vt æternitas conueniat existentiæ ex natura rei, vel addat aliquod aliud; Primò respondet, quòd conuenit existentiæ ex natura rei, & est modus eius. Secundò respondet, quòd non, & probat addere vel relationem negatiuam, vel positiuam, semper ponendo existentiam pro connotato; Vnde Scotus non est problematicus quoad connotatum, & formale æternitatis, sed est problematicus, an æternitas dicat modum existentiæ, vel addat vltra existentiam aliquam relationem; quapropter sic concludit, littera T. *Quantum ergo ad istum art. habetur cuius sit æternitas scilicet existentia. De ista æternitate an insit ex natura rei, teneatur altera via duarum dictarum, illa, quæ videatur inquirenti*

pro-

probabilior. Hæc Scotus; quid clarius?

Secundò Probo principaliter, quòd Duratio dicat formaliter relationem aptitudinalem coexistentiæ, & connotet existentiam sic. Quando aliquod duo formaliter importat, illud est connotatum, quod est maius ens, principale verò, & formalius, quod est minus ens: sed per Aduersarios Duratio importat formaliter existentiam,& relationem aptitudinalem coexistentiæ, & existentia est maius ens illa relatione aptitudinali; ergò connotabit existentiam,& principaliter importabit relationem coexistentiæ.

Deinde multa Aduersariorum dicta improbantur; Nam nu.6. probant durationem non dicere formaliter respectum permanentiæ per hoc, quod duratio est ens reale, permanentia verò est relatio rationis, quia est eiusdem ad seipsum. *Multa dicta Meld. & Cat. cõf.*

Sed hæc impugnatio nulla est, quia licet iste respectus vocetur rationis eò quia non est realis simpliciter, quatenus non habet omnes conditiones requisitas ad relationem realem simpliciter, quarum vna est, quod sit inter extrema realiter distincta; Est tamen respectus verè realis, cum sit præter operationem intellectus, aliter identitas realis non esset relatio realis, quia est eiusdem ad seipsum. *Primum dictum Confut. 1.*

Præterea sequeretur, quòd motus, qui est ens reale non posset formaliter explicari per relationem informationis ad non informationem, quod est contra istos Scriptores disp. 15. phys. q. 1. quia illa relatio informationis ad non informationem est rationis hoc modo, quia terminatur ad esse negatiuum. *Confut. 2.*

Secundò Probant Durationem non dicere formaliter relationem permanentiæ, quia sic formaliter omnis Duratio esset successiua, quia non potest intelligi permanentia ista, nisi concipiatur esse rei ante fuisse; sed ante, & post sunt differentiæ Durationis successiuæ; ergò omnis Duratio importaret formaliter successionem. *2. dictum Meld. & Cat.*

Confut. & ostenditur manifesta contradictio. Sed isti sibi contradicunt, quia in præfatione istius disp. dicunt Durationem in communi propriam dicere permanentiam in esse: Tunc sic ad hominem; ergò omnis Duratio dicit successionem; modò dicere permanentiam, & non dicere permanentiam est manifesta contradictio. Idem confirmant ibi num: 3. vbi habent hæc verba. *Res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conseruata, ità in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia Duratio aliud non est, quam existentia rei conseruata & continuata*; Tunc sic, sed in existentia rei conseruata, & continuata concipitur esse rei ante fuisse: ergò secundum istos omnis Duratio esset successiua.

Præterea fundamentum, quod assumunt ad probandum Durationem in communi non dicere respectum permanentiæ eò quia scilicet Duratio esset successiua; quia non possumus intelligere permanentiam, nisi concipiatur esse rei ante fuisse, est omninò inualidum; vnde

Fundamentum Meld. & Cat. confutatur ad hominem. Sic argumentor ad hominem: ergò omnis res permanens creata, & conseruata diceret in suo esse successionem, quia non potest intelligi res conseruata, nisi prius intelligatur esse ipsius ante fuisse: sed ante, & post competit per ipsos Scriptores successiuo; ergò permanens esset successiuum; Et ad eorum fundamentum rectè Responderi potest per Doctrinam à Scoto allatam quolib. 12. §. de secundo E. de conseruatione, quod licet non sit prioritas in esse conseruato secundum se, tamen dicitur esse in ipso per comparationem ad aliud prius secum coexistens: Ita à pari, licet Duratio in communi diceret respectum ad esse præhabitum, tamen illa prioritas non est in existentia durantis in communi importata per Durationem formaliter, sed est prius, & posterius per coexistentiam ad aliquid prius, & posterius secum coexistens.

3. Dictum Meld. & Cat. Tertiò. Isti Scriptores dicunt in hac disp. q. 2. nu. 12. æternitatem non dicere formaliter negationem definionis, suc-

cessionis, & dependentiæ. Quod dictum licet in doctrina Scoti problematicè sustineri possit, tamen in doctrina ipsorum non potest defendi.

Arguo ad hominem. Illud est de conceptu formali alicuius, quod concipitur tanquam differentia constitutiua illius, & per quod illud ab aliis speciebus essentialiter distinguitur: sed prædictæ negationes concipiuntur tanquam differentiæ constitutiuæ æternitatis, per quas æternitas ab aliis speciebus Durationis formaliter distinguitur ex ipsis loco cit. ergò istæ negationes formaliter ab æternitate importantur. *Confut. ad hominem.*

Quartò dicunt in hac disp. q. 3. art. 2. nu 27. Æuum non esse speciem athomam Durationis, sed diuidi specificè iuxtà essentialem diuersitatem existentiarum rerum durantium ita vt tot sint æua specie distincta, quot existentiæ specie distinctæ, & dicunt esse de mente Scoti 2. dist. 2. q. 3. A. *4. Dictum Meld. & Cat.*

Sed si verus Scotus perlegatur, potius contrarium asserit, quia licet ibi dicat, quòd si æuum vocetur existentia Angeli æuiterni, tunc tot sunt Æua, quot æuiterna, non ponit diuersitatem specificam, sed numeralem: Et si poneret diuersitatem specificam, poneret diuersitatem æui incompletè considerati, non autem completè secundum rationem Durationis, quia etiam secundum istos Scriptores existentia non dicit completum conceptum formalem æui, sed existentia inuariabilis: Et loquendo de æuo non in ratione Durationis, sed in ratione mensuræ in perfectione, dicit quod sunt tot æua, quot Angeli superiores, sed hoc modo existentia infimi Angeli non erit æuum: Tamen Scotus loquendo de æuo, vt est species durationis, vt ipsi in proposito loquuntur; Æua non variantur specie, nec vna existentia vt habet rationem durationis diuersificatur specie ab alia, immo dicit, quòd secundum rationem inuariabilitatis non potest inueniri differentia inter existentias *Cõfutatur* *Infidelitèr adducunt Scotum.*

 æuiter-

æuiternorum : habet enim hæc verba : *Quia licet vna existentia sit perfectior alia, & per hoc posset eam mensurare tali mensuratione quiditatiua, sicut loquitur Philosophus x. Met. quod primum in omni genere, tamen mensuratione duratiua, quæ dicitur aliquo modo reduci ad genus quantitatis, non videtur vna existentia inuariabilis esse inuariabilior alia, quia cuilibet omnino repugnat successio partium in ipsa, & tunc diceretur quod cum Aeuum ponatur mensura alicuius in in quantum durans est inuariabiliter, & illud sic extrinsecum oporteret esse notius ex natura rei secundum rationem inuariabilitatis, & cum non sit talis differentia inter existentias æuiternorum, nihil sic erit æuum.* Hæc Scotus.

Tunc sic arguo. Quæcunque plura æqualiter participant rationem alicuius communis, & non includunt differentias specificas contrahentes illud commune, tunc illud non potest diuidi in illa plura tanquam in species, hoc patet, quia genus diuiditur in species per differentias specificas ipsum contrahentes; sed omnia æuiterna æqualiter participant rationem Durationis æui, quia æqualiter sunt inuariabilia, quę inuariabilitas est complementum rationis formalis æui, & inter existentias æuiternorum nulla est differentia secundum hanc rationem inuariabilitatis ex Sco. loco iam citato, vt patet ex verbis eius allatis; ergò æuum non diuiditur in existentias æuiternorum, tanquam in species: ergò æuum est species athoma Durationis.

Tacita responsio cōfutatur. Si dicant quòd existentia est formale, licet inuariabilitas sit complementum æui, & ideò secundum differentias existentiarum, & non inuariabilitatis debet ęuum diuidi.

Contra Genus diuiditur in suas species secundum esse completum, non incompletum, quia animal non diuiditur in hominem, & leonem secundum esse substantiale animatum, sed secundùm esse sensibile: ergò si ęuum est genus debet diuidi secundum suum esse completum, quod est existentia

ſtentia inuariabilis: ergò non debet diuidi ſecundum exiſtentiam præcisè, ſed ſecundum exiſtentiam inuariabilem, ſed ratio exiſtendi inuariabiliter æqualiter participatur ab æuiternis, vt dictum eſt: ergò æuum erit ſpecies athoma, & non genus.

Preterea Angeli exiſtentia, & operationum eius diſtinguuntur ſpecie, imò toto genere, ſicut ſubſtantia, & accidens, & tamen ſecundum Sco. 2. d. 2. q. 4. ante A. §. contra Concluſionem &c. non habent durationem ſpecie diuerſam, ſed eiuſdem rationis, eò quia habent eundem modum manendi: ergò ſecundum modum exiſtentiarum, & non ſecundum exiſtentias, durationes diſtinguuntur: ergò æuiterna omnia, cum habeant eundem modum manendi, licet diſtincta ſpecie, habebunt Durationem eiuſdem rationis: ergò vnum æuum ſpecie omnium æuiternorum: & arguit Sco. in propria ſententia contrà Henricum de Tempore diſcreto. Conut. 2.

Confirmatur ad hominem, quia iſti in hac diſp. q. p. art. p. num. 34. dicunt, quòd tempus pro duratione, quod ponunt commune ad exiſtentiam tranſeuntem in tempore, & in inſtanti, diuiditur in ſpecies ſecundùm modos tranſeundi, & non ſecundum diuerſitatem exiſtentiarum; Ergò æuum debet diuidi ſecundum modos exiſtendi inuariabiliter: ſed non dantur in æuiternis plures modi exiſtendi inuariabiliter, cum æqualiter æuiterna ſint inuariabilia, vt dictum eſt ex Sco. ergò æuum non poteſt diuidi in plures ſpecies, ſicuti non diuidunt tempus, accipiendo illud communiter pro exiſtentia rerum ſucceſſiuarum., & hoc non alia ratione, niſi quia res ſucceſſiuæ, licet habeant diuerſas exiſtentias ſpecificas, habent tamen eundem modum exiſtendi. *Confirmatur confutatio ad hominem.*

Pater Rubeus de Lugo Tomo controu. metaph. controu. x. §. dico tertio ſuſtinet durationem non poſſe formaliter importare negationem deſitionis connotando exiſtentiam *Opinio Patris Rubei.*

rei

rei durantis, & citat Sco.quol.6. §.contra istud obiicitur, & asserit infrà, quòd formale significatum Durationis est essentia realis rei durantis, connotando non destructionem illius; & reddit rationem in fine diluendam, quia si per impossibile ab essentia reali extra causas suas producta non dimanaret ipsa existentia, adhuc talis essentia esset verè res realis non corrupta, & in suo esse permanens, neque fundans negationem desitionis.

Cõfutatur Sed hæc opinio mihi videtur de directo contra Sco.loco cit.quia Scotus ibi probabiliter sustinet æternitatem formaliter importare negationem desitionis.

Argumentor tamen quòd duratio in via Scoti non importat essentiam realem, vt formaliter ab existentia distinctam: Æternitas, vt æternitas ex Sco.quol.6.loco cit.competit existentię vt existentia est, & hoc determinat in propria sententia: ergò non essentię formaliter, quia existentia, vt existentia ab essentià formaliter distinguitur, sed æternitas est Duratio; ergò Duratio non competit essentiæ, vt distinguitur ab existentia: ergò si Deus, vel aliquod aliud esset sine existentia, esset sine duratione formaliter.

Confut.2. Præterea necessitas ab æternitate importata est modus existentiæ, non essentiæ, ex Sco. p.dist 18.q.Vnica C. ergò Duratio competit existentiæ, non essentiæ.



Senten-

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Duratio importat existentiam connotatiuè, formaliter verò importat relationem aptitudinalem coexistentiæ alteri existentiæ.

Elicitur ex Sco.quolib.6.Q.& R. & 2.dist.2. q.3.A. & q.4.A.

PRo cuius declaratione Notatur primò, quòd Duratio in communi non est, nisi ratio coexistendi alicui existentiæ, vel ratio referendi ad externam existentiam, siue extrinsecè, vt in Deo, in quo nulla est relatio realis ad Creaturas, siue intrinsecè, vt in Creaturis, in quibus duratio est relatio fundata in re durante, & terminata ad existentiam possibilem, non actualem; quia relatio aptitudinalis non requirit terminum in actu, sed in aptitudine; In Deo verò est relatio aptitudinalis coexistentiæ fundata in creatura, & terminata ad ipsum Deum: Ratio verò formalis fundandi huiusmodi relationem, vel referentiam extrinsecam est existentia, quapropter Sco.quolib.6.Q.R. dicit existentiam Dei esse fundamentum, & subiectum æternitatis, quod intelligi debet de fundamento, & subiecto proximo, non remoto, quia habens existentiam dicitur durans vltimata denominatione; Vnde Duratio connotat existentiam, & formaliter dicit relationem aptitudinalem coexistentiæ: Et hæc Duratio in communi diuiditur tanquàm genus in suas species in Æternitatem, Euum, Tempus, & Instans, iuxtà quatuor modos essentialiter diuersos existendi rerum: Nam aliqua entia sunt successiua, quæ sic existunt, vt eis repugnet habere partes simul, & sunt in continuo fluxu, vt motus, cuius duratio est tempus; Alia ex sui natura raptim transeunt, vt indiuisibilia conti-

De Duratione in communi. Quid dicat Duratio in communi.

Quæ sint species Durationis.

nuantia

nuantia motum, quæ dicuntur mutata esse, ac etiam mutationes substantiales, & hæc durant instanti temporis; Alia existunt inuariabiliter, vt ipsis non repugnet habere partes simul, vt permanentia, siue ipsis omninò repugnet fluxus, & acquisitio partis post partem, vt formæ substantiales, & substantialia, siue in eis possit esse aliquo modo fluxus, per aquisitionem partis post partem, vt qualitates, & hæc omnia durant Æuo, licet in hoc sit problematicus Sco.2.d.2.q.4 B. & sequentibus: Aliud, quod existit sine principio, & fine inuariabiliter, & independenter, vt Deus, & hic durat æternitate: Sed quia communiter, & famosè Duratio accipitur pro ea, quæ dicit permanentiam essendi, quæ est tantùm triplex ex Sco. loco cit. §. ad oppositum, &c. Æternitas, Æuum, & Tempus; De primis duabus Durattonibus aliqua dicam, licet cognitio durationis in communi conducat ad perfectam cognitionem suarum specierum, De tempore tamen distinctè disputabo, quia eius consideratio ad Philosophum spectat.

Famosè loquendo tres sunt species Durationis.

De æternitate.

Secundò Not. quòd Duratio est nomen connotatiuum, quod connotat existentiam rei durantis, formaliter importando relationem aptitudinalem coexistentiæ, & in hoc Sco. non est problematicus, vt dicunt Aduersarij, quolib. 6.Q.R vbi cum determinauerit æternitatem conuenire existentiæ, vt existentia est, inquirit an æternitas, vt æternitas sit modus existentiæ, vel addat aliquã relationem, & in hoc non se determinat: Et si dicat relationem, problematicè sustinet dicere relationem positiuam, & negatiuam; Ego autem dico, quòd cùm nomen connotatiuum possit connotare subiectum, & alia diuersæ naturæ, quæ circumscribant nobis differentiam essentialem ipsius connotatiui; Æternitas pro formali importat coexistentiam aptitudinalem, connotando non solùm existentiam vt subiectum, & fundamentum istius relationis, seu referentiæ aptitudinalis, sed etiam aliquod aliud, quod nobis circumscribit differen-

tiam

tiam essentialem æternitatis, per quam æternitas ab aliis durationibus essentialiter differt, & hoc est negatio terminationis, successionis, & dependentiæ; Vnde æternitas definitur à Boetio 5.de consolatione prosa 6. *quod sit interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*. Ponitur in hac definitione *Vita* pro existentia actuali perfecta tanquam connotatum (inquit Scotus) sed alia tria scilicet interminabilis, quod excludit desitionem, *tota simul*, quod excludit successionem, *& perfecta possessio*, quod excludit dependentiam, dicit relationem aptitudinalem existendi cuicunque sine desitione, successione, & dependentia; Et licet asserat ibi Sco. quòd æternitas formaliter, vel dicit negationem, vel relationem aptitudinalem, non vult semper negationem ab aptitudinali coexistentia separare in formalitate æternitatis; quia inquit, quod si dicat æternitas relationem aptitudinalem coexistentiæ, ista relatio importat etiam illas negationes, & ratio esse potest, quia Deus non coexistit alteri sic simpliciter, quia sic Durationes non differrent, sed sine desitione, successione, & dependentia: Vult igitur dicere Scotus, (& attende diligenter) quòd si æternitas dicit negationem, tunc non dicit relationem aptitudinalem, quia illa triplex negatio sufficit sola ad complendam totaliter rationem formalem æternitatis: Si verò dicat coexistentiam aptitudinalem, tunc illa connotabit tanquam differentiam essentialem illam triplicem negationem per quam essentialiter differt ab æuo, & Tempore; Differt ab æuo per negationem desitionis, & dependentiæ, quia æuiternum est terminabile, seu defectibile, & dependens: Differt à Tempore per triplicem negationem, quia tempus est terminabile, successiuum, & dependens.

Per quid differat ab alijs Durationibus.

Tertiò Not. quòd relatio formaliter à Duratione in communi importata potest dici, quòd nec sit realis, nec rationis, sed abstrahit à relatione tàm reali, quàm rationis, &

dicit conceptum vniuocum, ficut ens in communi ad ens reale, & rationis dicit conceptum vniuocum, vt demonstraui in Logica disp.de ente rationis in communi: Nam cum duratio in communi conueniat, & Durationi Dei, quæ dicit relationem simpliciter rationis, & Durationi creaturarum, quæ dicit relationem realem aptitudinalem, non potest dicere relationem realem, quia sic Duratio Dei, diceret relationem realem, nec potest dicere relationem rationis, quia sic Duratio creaturarum diceret relationem rationis, quod est falsum; Restat igitur quòd sit neutra, formaliter, vtraque permissiuè: Et si verum sit, quòd omnis relatio sit vel realis, vel rationis, hoc verum est de relatione in determinato genere, & modo essendi; Modo ista relatio aptitudinalis in communi coexistendi, cum abstrahat à relatione reali, & rationis, non erit realis, vel rationis, nisi permissiuè. Potest tamen dici, quòd cùm *Deus* sit realiter æternus, & per consequens denominetur hoc modo à relatione reali, non quę sit in ipso ad Creaturas, quia nulla talis est, vt dictum est, sed quæ sit in Creatura terminata ad ipsum, quia ex Sco.p.dist.30 q.p.& 2.I. relatio terminata ad aliquod absolutum, vt absolutum, ita denominat illud, ac si in ipso esset relatio opposita. Relatio potentialis, vel aptitudinalis à Duratione in communi importata erit realis; Extrinsecè enim, & intrinsecè referri sunt modi relatiui, qui non auferunt rationem communem referendi, vt dixi in prima Parte philosophię disp.de causa efficienti notabili secundo; quapropter Duratio in communi potest sic definiri scilicet quod sit ratio per quam res durans dicitur alteri potentialiter, vel aptitudinaliter coexistere, siue ponendo durationem esse formaliter relationem realem, siuè aliquod commune ad relationem realem, & ad relationem rationis.

Quare ponitur relatio in vtroque vel ab altero extremo.

Quartò Not. quòd pro maiori declaratione definitionis æternitatis, quod ratio ponendi relationem in vtroque, vel alio

alio extremo ex Sco.p.dist.35.q.Vnica f. vel est mutua coexigentia, si est relatio mutua, vel dependentia in altero extremo, Deus autem nullam creaturam coexigit ad sui esse, nec à creatura dependet, quia est summè simplex, & summè necessarius, & ideò ad creaturam nulla erit relatio realis actualis, nec potentialis, & aptitudinalis, quia cùm sit summè simplex identificaret sibi illam relationem ad Creaturam, qua ablata per possibile, vel impossibile secundum quodcunque esse, siue actuale, siue possibile, adhuc destrueretur Deus, & non esset summè necessarius; Vnde relatio Dei ad Creaturam siue actualis, siue aptitudinalis est rationis ex Sco.p.dist.18.q.Vnica D. potest tamen dici, quòd relatio realis, actualis, vel aptitudinalis sit in Deo, non formaliter, sed subiectiuè, sicut logicè loquendo prędicatum quodcunque dicitur inesse subiecto, & hic modus essendi (inquit Scotus p.dist.39.x.) dicitur appellatio relatiua: In proposito illa relatio aptitudinalis, quam importat ęternitas in Deo erit merè rationis, vel facta ab intellectu Diuino, vel creato comparando ipsum Deum in ordine ad existentias possibiles: Vel erit relatio realis in Deo non formaliter, sed subiectiuè, & secundùm appellationem, quatenus dicit existentiam potentem terminare coexistentiam cuiuscunque creaturæ: Et quia æternitas est attributum Dei, erit attributum reale positiuum, vel reale negatiuum importans triplicem negationem desitionis, successionis, & dependentiæ; Vnde æternitas formaliter non erit in Deo, ex natura rei, inquit Scotus quolib. 6.5.quia licet Deus sua existentia habeat repugnantiam ad desinere esse, ad successionem, & dependentiam, & per consequens existentia sit fundamentum illius repugnantię, fundamentum istius repugnantiæ erit ex natura rei, scilicet existentia, sed formalis ratio repugnantiæ ad desinere esse, siue sit negatio desitionis, siue necessitas coexistendi cuicunque possibili, hoc vltrà illud, quod est ex natura rei,

Quomodo relatio creaturæ ad Deũ possit dici, quod sit in Deo subiectiuè.

æuiternorum: habet enim hæc verba: *Quia licet vna existentia sit perfectior alia, & per hoc posset eam mensurare tali mensuratione quiditatiua, sicut loquitur Philosophus x. Met. quod primum in omni genere, tamen mensuratione duratiua, quæ dicitur aliquo modo reduci ad genus quantitatis, non videtur vna existentia inuariabilis esse inuariabilior alia, quia cuilibet omninò repugnat successio partium in ipsa, & tunc diceretur quod cum Aeuum ponatur mensura alicuius in in quantum durans est inuariabiliter, & illud sic extrinsecum oporteret esse notius ex natura rei secundum rationem inuariabilitatis, & cum non sit talis differentia inter existentias æuiternorum, nihil sic erit æuum.* Hæc Scotus.

Tunc sic arguo. Quæcunque plura æqualiter participant rationem alicuius communis, & non includunt differentias specificas contrahentes illud commune, tunc illud non potest diuidi in illa plura tanquam in species, hoc patet, quia genus diuiditur in species per differentias specificas ipsum contrahentes; sed omnia æuiterna æqualiter participant rationem Durationis æui, quia æqualiter sunt inuariabilia, quę inuariabilitas est complementum rationis formalis æui, & inter existentias æuiternorum nulla est differentia secundum hanc rationem inuariabilitatis ex Sco. loco iam citato, vt patet ex verbis eius allatis; ergò æuum non diuiditur in existentias æuiternorum, tanquam in species: ergò æuum est species athoma Durationis.

Tacita responsio cōfutatur. Si dicant quòd existentia est formale, licet inuariabilitas sit complementum æui, & ideò secundum differenrentias existentiarum, & non inuariabilitatis debet ęuum diuidi.

Contra Genus diuiditur in suas species secundum esse completum, non incompletum, quia animal non diuiditur in hominem, & leonem secundum esse substantiale animatum, sed secundùm esse sensibile: ergò si ęuum est genus debet diuidi secundum suum esse completum, quod est existentia

ſtentia inuariabilis: ergò non debet diuidi ſecundum exiſtentiam præcisè, ſed ſecundum exiſtentiam inuariabilem, ſed ratio exiſtendi inuariabiliter æqualiter participatur ab æuiternis, vt dictum eſt: ergò æuum erit ſpecies athoma, & non genus.

Præterea Angeli exiſtentia, & operationum eius diſtinguuntur ſpecie, imò toto genere, ſicut ſubſtantia, & accidens, & tamen ſecundum Sco. 2. d. 2. q. 4. ante A. §. contra Concluſionem &c. non habent durationem ſpecie diuerſam, ſed eiuſdem rationis, eò quia habent eundem modum manendi: ergò ſecundum modum exiſtentiarum, & non ſecundum exiſtentias, durationes diſtinguuntur: ergò æuiterna omnia, cum habeant eundem modum manendi, licet diſtincta ſpecie, habebunt Durationem eiusdem rationis: ergò vnum æuum ſpecie omnium æuiternorum: & arguit Sco. in propria ſententia contrà Henricum de Tempore diſcreto. Conut. ſ2.

Confirmatur ad hominem, quia iſti in hac diſp. q. p. art. p. num. 34. dicunt, quòd tempus pro duratione, quod ponunt commune ad exiſtentiam tranſeuntem in tempore, & in inſtanti, diuiditur in ſpecies ſecundùm modos tranſeundi, & non ſecundum diuerſitatem exiſtentiarum; Ergò æuum debet diuidi ſecundum modos exiſtendi inuariabiliter: ſed non dantur in æuiternis plures modi exiſtendi inuariabiliter, cum æqualiter æuiterna ſint inuariabilia, vt dictum eſt ex Sco. ergò æuum non poteſt diuidi in plures ſpecies, ſicuti non diuidunt tempus, accipiendo illud communiter pro exiſtentia rerum ſucceſſiuarum, & hoc non alia ratione, niſi quia res ſucceſſiuæ, licet habeant diuerſas exiſtentias ſpecificas, habent tamen eundem modum exiſtendi. *Confirmatur confutatio ad hominem.*

Pater Rubeus de Lugo Tomo controu. metaph. controu. x. §. dico tertio ſuſtinet durationem non poſſe formaliter importare negationem deſitionis connotando exiſtentiam *Opinio Patris Rubei.*

rei

rei durantis, & citat Sco.quol.6. §.contra istud obiicitur, & asserit infrà, quòd formale significatum Durationis est essentia realis rei durantis, connotando non destructionem illius; & reddit rationem in fine diluendam, quia si per impossibile ab essentia reali extra causas suas producta non dimanaret ipsa existentia, adhuc talis essentia esset verè res realis non corrupta, & in suo esse permanens, neque fundans negationem desitionis.

Cõfutatur Sed hæc opinio mihi videtur de directo contra Sco.loco cit.quia Scotus ibi probabiliter sustinet æternitatem formaliter importare negationem desitionis.

Argumentor tamen quòd duratio in via Scoti non importat essentiam realem, vt formaliter ab existentia distinctam: Æternitas, vt æternitas ex Sco.quol.6.loco cit.competit existentię vt existentia est, & hoc determinat in propria sententia: ergò non essentię formaliter, quia existentia, vt existentia ab essentia formaliter distinguitur, sed æternitas est Duratio; ergò Duratio non competit essentiæ, vt distinguitur ab existentia: ergò si Deus, vel aliquod aliud esset sine existentia, esset sine duratione formaliter.

Confut.2. Præterea necessitas ab æternitate importata est modus existentiæ, non essentiæ, ex Sco. p.dist 18.q.Vnica C. ergò Duratio competit existentiæ, non essentiæ.



Senten-

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Duratio importat existentiam connotatiuè, formaliter verò importat relationem aptitudinalem coexistentiæ alteri existentiæ.

Elicitur ex Sco.quolib.6.Q.& R. & 2.dist.2. q.3.A. & q.4. A.

PRo cuius declaratione Notatur primò, quòd Duratio in communi non est, nisi ratio coexistendi alicui existentiæ, vel ratio referendi ad externam existentiam, siue extrinsecè, vt in Deo, in quo nulla est relatio realis ad Creaturas, siue intrinsecè, vt in Creaturis, in quibus duratio est relatio fundata in re durante, & terminata ad existentiam possibilem, non actualem, quia relatio aptitudinalis non requirit terminum in actu, sed in aptitudine; In Deo verò est relatio aptitudinalis coexistentiæ fundata in creatura, & terminata ad ipsum Deum: Ratio verò formalis fundandi huiusmodi relationem, vel referentiam extrinsecam est existentia, quapropter Sco.quolib.6.Q.R. dicit existentiam Dei esse fundamentum, & subiectum æternitatis, quod intelligi debet de fundamento, & subiecto proximo, non remoto, quia habens existentiam dicitur durans vltimata denominatione; Vnde Duratio connotat existentiam, & formaliter dicit relationem aptitudinalem coexistentiæ: Et hæc Duratio in communi diuiditur tanquàm genus in suas species in Æternitatem, Euum, Tempus, & Instans, iuxtà quatuor modos essentialiter diuersos existendi rerum: Nam aliqua entia sunt successiua, quæ sic existunt, vt eis repugnet habere partes simul, & sunt in continuo fluxu, vt motus, cuius duratio est tempus; Alia ex sui natura raptim transeunt, vt indiuisibilia conti-

De Duratione in communi.

Quid dicat Duratio in communi.

Quæ sint species Durationis.

nuantia

nuantia motum, quæ dicuntur mutata esse, ac etiam mutationes substantiales, & hæc durant instanti temporis; Alia existunt inuariabiliter, vt ipsis non repugnet habere partes simul, vt permanentia, siue ipsis omninò repugnet fluxus, & acquisitio partis post partem, vt formæ substantiales, & substantialia, siue in eis possit esse aliquo modo fluxus, per aquisitionem partis post partem, vt qualitates, & hæc omnia durant Æuo, licet in hoc sit problematicus Sco.2.d.2.q.4 B. & sequentibus: Aliud, quod existit sine principio, & fine inuariabiliter, & independenter, vt Deus, & hic durat æternitate: Sed quia communiter, & famosè Duratio accipitur pro ea, quæ dicit permanentiam essendi, quæ est tantùm triplex ex Sco.loco cit.§.ad oppositum,&c. Æternitas, Æuum, & Tempus; De primis duabus Durattonibus aliqua dicam, licet cognitio durationis in communi conducat ad perfectam cognitionem suarum specierum, De tempore tamen distinctè disputabo, quia eius consideratio ad Philosophum spectat.

Famosè loquendo tres sunt species Durationis.

De æternitate.

Secundò Not. quòd Duratio est nomen connotatiuum, quod connotat existentiam rei durantis, formaliter importando relationem aptitudinalem coexistentiæ; & in hoc Sco.non est problematicus, vt dicunt Aduersarij, quolib. 6.Q.R vbi cum determinauerit æternitatem conuenire existentiæ,vt existentia est,inquirit an æternitas,vt æternitas sit modus existentiæ,vel addat aliquā relationem,&in hoc non se determinat: Et si dicat relationem, problematicè sustinet dicere relationem positiuam, & negatiuam; Ego autem dico, quòd cùm nomen connotatiuum possit connotare subiectum, & alia diuersæ naturæ, quæ circumscribant nobis differentiam essentialem ipsius connotatiui; Æternitas pro formali impotrat coexistentiam aptitudinalem, connotando non solùm existentiam vt subiectum, & fundamentum istius relationis, seu referentiæ aptitudinalis, sed etiam aliquod aliud, quod nobis circumscribit differen-

tiam

tiam essentialem æternitatis, per quam æternitas ab aliis durationibus essentialiter differt, & hoc est negatio terminationis, successionis, & dependentiæ; Vnde æternitas definitur à Boetio 5.de consolatione prosa 6. *quod sit interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*. Ponitur in hac definitione *Vita* pro existentia actuali perfecta tanquam connotatum (inquit Scotus) sed alia tria scilicet interminabilis, quod excludit desitionem, *tota simul*, quod excludit successionem, *& perfecta possessio*, quod excludit dependentiam, dicit relationem aptitudinalem existendi cuicunque sine desitione, successione, & dependentia; Et licet asserat ibi Sco. quòd æternitas formaliter, vel dicit negationem, vel relationem aptitudinalem, non vult semper negationem ab aptitudinali coexistentia separare in formalitate æternitatis; quia inquit, quod si dicat æternitas relationem aptitudinalem coexistentiæ, ista relatio importat etiam illas negationes, & ratio esse potest, quia Deus non coexistit alteri sic simpliciter, quia sic Durationes non differrent, sed sine desitione, successione, & dependentia: Vult igitur dicere Scotus, (& attende diligenter) quòd si æternitas dicit negationem, tunc non dicit relationem aptitudinalem, quia illa triplex negatio sufficit sola ad complendam totaliter rationem formalem æternitatis: Si verò dicat coexistentiam aptitudinalem, tunc illa connotabit tanquam differentiam essentialem illam triplicem negationem per quam essentialiter differt ab æuo, & Tempore; Differt ab æuo per negationem desitionis, & dependentiæ, quia æuiternum est terminabile, seu defectibile, & dependens: Differt à Tempore per triplicem negationem, quia tempus est terminabile, successiuum, & dependens. *Per quid differat ab alijs Durationibus.*

Tertiò Not. quòd relatio formaliter à Duratione in communi importata potest dici, quòd nec sit realis, nec rationis, sed abstrahit à relatione tàm reali, quàm rationis, &

alio extremo ex Sco.p.dist.35.q.Vnica I. vel est mutua coexigentia, si est relatio mutua, vel dependentia in altero extremo., Deus autem nullam creaturam coexigit ad sui esse, nec à creatura dependet, quia est summè simplex, & summè necessarius, & ideò ad creaturam nulla erit relatio realis actualis, nec potentialis, & aptitudinalis, quia cùm sit summè simplex identificaret sibi illam relationem ad Creaturam, qua ablata per possibile, vel impossibile secundum quodcunque esse, siue actuale, siue possibile, adhuc destrueretur Deus, & non esset summè necessarius; Vnde relatio Dei ad Creaturam siue actualis, siue aptitudinalis est rationis ex Sco.p.dist.18.q.Vnica D. potest tamen dici, quòd relatio realis, actualis, vel aptitudinalis sit in Deo, non formaliter, sed subiectiuè, sicut logicè loquendo prę dicatum quodcunque dicitur inesse subiecto, & hic modus essendi (inquit Scotus p.dist.39.x.) dicitur appellatio relatiua; In proposito illa relatio aptitudinalis, quam importat ęternitas in Deo erit merè rationis, vel facta ab intellectu Diuino, vel creato comparando ipsum Deum in ordine ad existentias possibiles: Vel erit relatio realis in Deo non formaliter, sed subiectiuè, & secundùm appellationem, quatenus dicit existentiam potentem terminare coexistentiam cuiuscunque creaturæ: Et quia æternitas est attributum Dei, erit attributum reale positiuum, vel reale negatiuum importans triplicem negationem desitionis, successionis, & dependentiæ; Vnde æternitas formaliter non erit in Deo, ex natura rei, inquit Scotus quolib. 6.5.quia licet Deus sua existentia habeat repugnantiam ad desinere esse, ad successionem, & dependentiam, & per consequens existentia sit fundamentum illius repugnantię, fundamentum istius repugnantiæ erit ex natura rei, scilicet existentia, sed formalis ratio repugnantiæ ad desinere esse, siue sit negatio desitionis, siue necessitas coexistendi cuicunque possibili, hoc vltrà illud, quod est ex natura rei,

Quomodo relatio creturæ ad Deũ possit dici, quod sit in Deo subiectiuè.

addit negationem imperfectionis, vel respectum aptitudinalem ad extrà.

De æuo, & quid sit.

Quintò Nota pro cognitione alterius Durationis, quod dicitur Æuum, est duratio rei existentis inuariabiliter, dependenter, & defectibiliter: Vnde æuum connotat tanquam subiectum existentiam æuiterni, pro formali verò dicit coexistentiam aptitudinalem, & defectibilitatem, & dependentiam tanquam differentias essentiales, per quas æuum ab aliis durationibus essentialiter distinguitur, quia licet defectibilitas, & dependentia sint alterius rationis à Duratione, quia tamen circumscribunt nobis differentiam essentialem æui, sine quibus æuum non potest formaliter complete concipi, ideò dicuntur ab æuo formaliter importari: Vnde æuum erit Duratio rei existentis inuariabiliter, idest sine successione defectibiliter, & dependenter: Ista autem inuariabilitas potest accipi pro negatione fluxus tàm in fieri, quàm in facto esse, quæ competit substantialibus, quæ in instanti simul recipiunt esse: Alio modo pro negatione fluxus tantùm in facto esse, quæ competit formis accidentalibus naturalibus, sed an existentiæ quomodocunque inuariabiles mensurentur æuo, Sco: est problematicus 2.dist.2.q.4.A.B.C.quia dicit, quòd illa existentia mensuratur æuo, quæ est inuariabilis, hoc est cui repugnat, vt secundùm ipsam sit variatio, siue fluxus, vel acquisitio partis post partem; Si tamen dicatur omne esse inuariatum, & permanens mensurari æuo, tunc potest concedi, quòd illa forma quando secundùm eam non est actu motus, mensuratur æuo; Sed ista pars, inquit Scotus, videtur minus probabilis, quàm prima, quia oportet in tali re permanenti ponere duas durationes, scilicet quod in quantum est actualiter sub motu, & in acquisitione partis post partem, durat tempore, vt verò actualiter sub quiete, mensuratur æuo, quies autem eius potest dici, quòd mensuretur tempore, nam quies non est nisi priuatio suc-

Res dicitur inuariabilis dupliciter.

An permanens quod potest acquiri per motū, mensuretur æuo, Sco. est problematicus.

cessionis partis post partem secundum Arist. 5. phys. tex. 52. quæ mensuratio est quietis non positiuè, sed priuatiuè per motum; qui tunc posset in esse, quando ista priuatio inest, sicut in alijs priuatio semper mensuratur suo habitu, tantum enim malum est cæcitas in oculo quantum bonum est visio; Sed quia mihi difficile videtur, quòd permanens habeat successiuam durationem, vel quod idem permanens, vt est sub motu, & aquisitione partis post partem habeat durationem successiuam, vt verò sub quiete durationem permanentem, & per consequens duplicem durationem, magis mihi placet sententia Tatareti, quam sequuntur etiam Aduersarij Scotistæ, quòd omnia permanentia mensurantur, siue magis propriè loquendo durant æuo (pro eodem enim in Tractatu de æuo aliquando accipit Scotus mensurare, & durare, cum neget in æuo propriè mensuram;) Vnde inuariabilitas circumscribens nobis differentiam essentialem æui, erit negatio successionis secundum partes transeuntes, & non simul existentes.

Omnia permanentia mensurantur æuo.

Sextò Not. pro maiori declaratione huius Durationis, quòd æuum potest considerari dupliciter ex Sco. 2. dist. 2. q. 3. A. Vno modo in ratione mensuræ in perfectione, & sic tot sunt Æua, quot sunt Angeli Superiores; sed hoc modo existentia Angeli infimi non erit Æuum; Alio modo in ratione Durationis, vt est species Durationis in communi, tunc æuum non variatur specie; nec vna existentia, vt habet rationem Durationis diuersificatur specie ab alia, immò dicit Scotus loco cit. quòd secundum rationem inuariabilitatis non potest inueniri differentia inter existentias æuiternorum, vt tetigi in primo Cap. contra Meld. & Cat. Erit igitur æuum, sicut æternitas, & tempus vna species athoma. Durationis in communi, quæ contrahitur tanquam per differentias vltimas per diuersos modos existendi in primo Not. positos, per quos vnaquæque Duratio ab alia specificè, & formaliter differt: Vnde generaliter loquendo

Æuum, sicut & aliæ Durationes, est species athoma.

quendo de Æuo, quòd est Duratio omnium permanentium, ipsum erit vnum specie, numero verò tot sunt æua, quot æuiterna: In ratione verò mensuræ in perfectione tot sunt æua, quot perfectiora æuiterna in vnoquoque genere determinato; Vt in genere Angelorum, supremus est mensura aliorum: In genere animalium est homo. In genere verò substantiæ, vnum erit æuum, sicut in aliis generibus, quia in vnoquoque genere est aliquod, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt illius generis x. Met. tex. 2. annuente Scoto in 2. dist. 3. q. p. suprà A. His notatis.

Probatur Conclusio, quæ satis remanet probata in primo cap. potest tamen firmiter probari hac ratione. Omne relatiuum formaliter importat relationem: sed Duratio est ens relatiuum: ergò formaliter importabit relationem: minor probatur, quia non potest intelligi aliquod durare formaliter, nisi in ordine ad illud, cui coexistere potest, etiam in sententia Aduersariorum: ergò Duratio est ens relatiuum, & per consequens importabit formaliter coexistentiam potentialem, vel aptitudinalem, & connotabit existentiam.

Primum arg. Meld. & Cat. Contrà Arguitur primò à Meld. & Cat. ibi num. 4. quòd Duratio dicit formaliter existentiam, connotat verò relationem aptitudinalem coexistentiæ. Auctoritate Sco. 2. dist. 2. q. 2. H. vbi loquēs de Duratione Angelica, ait, quòd non est necesse ponere aliquod reale, siue absolutum, siue respectiuum distinctum ab existentia Angeli pro eius mensura, & Duratione; & quolib. 6. R. loquens de æternitate, ait suprà existentiam Diuinam addere relationem rationis aptitudinalem, necessariò coexistendi cuicunque extrinsecæ durationi.

Infideliter adducunt Scotum. Respondeo, quòd primus locus Scoti non fideliter adducitur, quia vtique dicit Scotus, quòd non est necesse ponere aliquod reale, siue absolutum, siue relatiuum distinctum.

ctum ab existentia Angeli pro eius mensura, (& loquitur de mensura propriè in hoc loco citato) sed non dicit pro duratione, vt ipsi referunt: Et miror quomodo adducunt Scotum hic accipere pro eodem mensuram, & Durationem, cum ipsi pro confirmatione eorum opinionis, & doctrinæ Scoti iam allatæ, immediatè post istas auctoritates adductas probent Durationem non posse dici mensuram.

Prætereà retorqueo argumentum. Ita se habet æuum ad existentiam æuiterni, sicut æternitas ad existentiam Dei; Sed ex Sco. quol. 6. R. loco ab ipsis in argumento cit. Æternitas addit relationem suprà existentiam diuinam; Ergò æuum addit relationem supra existentiam æuiterni. *Retorquetur arg. Meld. & Cat.*

Ideò Respondeo ex Sco. loco cit. quòd vtique in Angelo non debet addi absolutum, vel relatiuum distinctum ab existentia eius, quòd sit Angeli mensura. loquendo de mensura, non in perfectione, quia talem admittit in Angelo Sco. loco cit. G. & q. 4. A. Sed de mensura propriè, qua nota aliud minus notum cognoscimus, quia Angeli æqualiter sunt inuariabiles, nec vnum æuum est notius alio, debet tamen addi aliud, quod formaliter explicat rationem Durationis, & hoc est relatio aptitudinalis coexistentiæ, vt patet ex Sco. quolib. 6. R. loco ab Aduersarijs citato.

Secundò Arguunt num. 7. Nullum ens rationis potest formaliter importari ab eo, quòd est ens reale, sed ille respectus coexistentiæ est rationis; ergò non potest à Duratione, quę est ens reale formaliter importari. *2. Argum. Meld. & Cat.*

Respondeo, quòd maior non est simpliciter vera; nam quando ens rationis circumscribit differentiam essentialem entis realis, tunc ens rationis est de conceptu formali entis realis; Tamen concessa maiori, negatur minor, quia licet coexistentia potentialis, vel aptitudinalis non habeat omnes conditiones ad relationem simpliciter realem requisitas, eò quia est ad terminum in potentia, & per

male potentiale significatum, connotatum verò est formale actuale, vt patet de Creatione, & Conseruatione, quæ principaliter, & formaliter important relationem ad Deũ; quæ relatio est formale potentiale, respectus verò ad non esse præcedens in Creatione, & relatio ad esse præhabitum in Conseruatione gerunt vicem differentiæ, & sunt formalia actualia, sic de Prandio, & Cęna, quicquid dicant Meld. & Cat. formaliter important comestionem, quæ est formale potentiale, tempus verò matutinum, & vespertinum gerunt vicem differentiæ prandii, & Cœnæ, ideò illa tempora sunt formalia actualia; Et ratio generalis esse potest, quia in connotatiuis semper principale significatum est maius ens eo, quod est formale, & inter formalia, potentiale semper est maius eo, quod est actuale; Ad minorem vtique Duratio imponitur ad significandum principaliter existentiam, non tamen imponitur ad significandum formale Durationis, sed connotatum, vt habet Sco. in propria sententia quolib. 6. Q. R. quia Duratio est nomen relatiuum, quod connotat fundamentum, quòd est existentia ex Sco. loco cit. & principaliter formaliter dicit relationem aptitudinalem coexistentiæ; Vnde principale significatum formale nominis est illud, quod datur intelligi formaliter ex institutione imponentis nomen: Modò ex institutione imponentis nomen Durationis non datur intelligi formaliter existentia, sed relatio coexistentiæ, connotatiuè verò, idest materialiter datur intelligi existentia, & sic negatur consequentia.

Quartò Arguit Pater Rubeus de Lugo Tomo Controu. Met. Controu. x. §. Dico Primò, cum Meld. & Cat. disp. 13. q. p. num. 5. §. tum deinde &c. Si duratio adderet aliquod supra existentiam; ergò illud duraret, quia haberet propriam existentiam non destructam; ergò duratio duraret, & sic esset Durationis Duratio in infinitum. *Arguit P. Rubeus.*

Respondeo negando consequentiam, quia illud additum

est relatio aptitudinalis coexistentiæ, quæ relatio identificatur cum re durante, sicut & quælibet aptitudo cum eo, cuius est aptitudo, & per consequens non est primum ens, sed aliquitas entis; Et si illud additum poneretur distinctum à re durante, non tamen duraret, quia duratio non durat; Et cum probatur quia hoc additum haberet propriam existentiam non destructam, & per consequens vt res prima duraret: Dici potest illud, quod de relatione dicit Sco. 2. d. 5. q. 5. D. N quòd scilicet est ratio referendi, & tamen ipsa quoque refertur ad subiectum, non alia relatione, quia sic relationis esset relatio realis in infinitum, sed se ipsa refertur ad fundamentum, & sic datur status; sic etiam si Duratio duraret, se ipsa duraret, & sic daretur status.

Retorquetur argumentum P. Rubei.

Vnde retorqueo argumentum contra Patrem Rubeum, qui dicit Durationem formaliter importare essentiam, vel existentiam rei, connotando productionem sui; Nam illud connotatum additum existentiæ, vel essentiæ rei, quòd est productio, realiter distinguitur à re durante, & habet propriam existentiam non durantem; ergò illud connotatum durabit: ergò si connotatum Durationis durat: ergò eius duratio aliud connotabit, & sic connotati durationis erit duratio in infinitum.

Si diceret, quòd illud connotatum non erit primum ens, sed aliquid entis suo modo, quia est connotatum entis: A pari ego possem dicere, quòd illa relatio superaddita non erit primum ens, sed aliquid entis, quia est ratio formalis entis: Sicut enim albedo non est alba, sic nec Duratio durat.

2. argum. P. Rubei.

Quintò. Arguit idem Pater Rubeus §. dico secundo &c. probando, quòd duratio nullo modo potest importare relationem aptitudinalem coexistentiæ. Res absoluta in se inspecta, seclusa quolibet respectu ad aliud, verè intelligitur existens, & consequenter durans: ergò talis respectus coexistentiæ nullo modo pertinet ad Durationem, cùm

ante

antecedenter ad talem respectum res intelligatur durare.

Retorquetur arg. P. Rubei.

Retorqueo argumentum contra ipsum. Res absoluta in se inspecta, secluso quolibet respectu ad aliud, verè intelligitur existens, & consequenter durans; ergò secluso respectu productionis rei durantis, qui secundum ipsum complet rationem formalem durationis, res dicitur existens, & consequenter durans; ergò iste respectus productionis rei durantis nullo modo potest à Duratione importari.

Ideò Respondeo ad argumentum negando antecedens, quia vtique res absoluta, secluso quocunque respectu, intelligitur existens, sed negatur, quòd per hoc intelligatur durans, quia Duratio, vt sæpè dixi, est nomen relatiuum, & confirmatur per hoc, quòd res absolutè inspecta causat effectum, & tamen non intelligitur formaliter causans, sed tantum materialiter, quatenus potest fundare relationem causæ ad effectum, per quam causa dicitur formaliter causans; A pari res existens, secluso respectu coexistentiæ, non dicitur formaliter durans, sed solùm materialiter; Vnde si per impossibile nulla esset creatura, nec in esse reali simpliciter, nec in esse possibili, Deus diceretur tantùm æternus materialiter, quatenus si possent esse creaturæ, illis coexisteret formaliter, quia posset terminare relationem realem coexistentiæ in Creatura ad ipsum; quare negatur consequentia.

3. Argum. P. Rubei.

Sextò. Arguit idem Pater Rubeus ibidem §. dico tertio, & quarto sustinendo formale Durationis non esse existentiam, sed essentiam rei durantis, connotando productionem, seù transitum de non esse ad esse. Si per impossibile ab essentia reali non dimanaret existentia, adhuc essentia realis verè duraret; ergò existentia non erit formale, nec connotatum, vel subiectum Durationis.

Respondeo, negando antecedens, quia cùm Duratio sit

nomen relatiuum, importans formaliter coexistentiam aptitudinalem, cuius fundamētum proximum est existentia, essētia sine coexistentia non coexisteret, & per consequens formaliter non duraret, sed tantùm materialiter, si existentia non poneretur impossibilis; Nàm si repugnaret existētia, in tali casu rei habenti essentiam etiam repugnaret relatio coexistentiæ, & per consequens non posset esse materia illius relationis, & sic nec durans materialiter; Si enim repugnaret generanti Paternitas, generans non posset esse nec formaliter, nec materialiter Pater, nisi hoc modo, quatenus posset fundare relationem Paternitatis, si paternitas poneretur in esse.

Arguit Auctor pro Aduersarijs.

Septimò pro hac opinione arguo ex Scoto 2. dist. 2. q. 4. §. ad oppositum, vbi vocat Æternitatem, æuum, & tempus moras essendi; ergo Duratio importat essentiam, non existentiam.

Respondeo, quod Sco: in his quæstionibus de Æuo est totus problematicus, tamen dico, quod ibi accipit essentiam, non vt formaliter distinctam ab existentia, sed materialiter, quatenus est idem cum existentia realiter; Et confirmari potest, quia in quolib. 6. Q. R. determinando quid dicat æternitas, determinat, quod dicit existentiam, vt existentia est, replicat existentiam, vt ostendat ibi accipi existentiam vt formaliter distinctam ab essentia; in 2. verò Sent: loco citato, vocat Durationes moras essendi, & non replicat suam rationem formalem, vt ostendat essentiam accipi identice prò existentia, præterquam quod in eodem loco citato Sco: confutando opinionem Henrici ante A. vocat Durationem moram in existendo; Ex quo patet, quod pro eodem accipit in proposito esse, & existere.

Dispu-

Disputatio VI. de Tempore.

CONCLVSIO PRIMA.

Tempus intrinsecum, seu pro Duratione formaliter importat relationem aptitudinalem coexistentiæ rei existentis essentialiter successiuè.

Elicitur ex Sco. omnibus in locis cit. in principio disp. de Duratione in communi.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. 13. q. 4. art. p. num. 34 & inde sustinent, quòd tempus intrinsecum, pro vt species durationis adæquatè diuidens cum æternitate, & æuo Durationem in communi, dicit durationem entium ex propria natura transeuntium, & hoc siue instantaneè, vt mutationes instantaneę, siue successiuæ, vt motus successiui, & sic continebit sub se durationes rerum ex sui natura & necessariò transeuntium, præscindendo ab hoc, quod est transire in instanti, vel successiuè, in quos modos diuiditur, vt in species: At si sumatur tempus secundum vsitatam acceptionem, solum supponet pro successiua Duratione, non erit tamen illa diuisio adæquata, quia sub nulla illarum specierum directè continebitur duratio mutationis essentialiter instantaneæ, quæ tamen est vera duratio, sicut talis mutatio habet existentiam veram, & realem: Si primo modo accipiatur tempus, formaliter dicit existentiam rerum transeuntium, præscindendo ab instantaneitate, & successione, connotando coexistentiam alicui extrinsecæ durationi: Si verò accipiatur secundo modo

do, dicit tantùm formaliter existentiam successiuam.

Sed in hac opinione, & Doctrina multa falsa conspicio. Multa dicta in hac positione examinanda, & confutanda elicio.

Primum dictũ Mel. & Cat. Primum est quod tempus, vt species adæquatè cum æternitate, & æuo diuidens durationem in communi, dicit Durationem rerum transeuntium, siue instantaneè, siue successiuè.

Confut. 1. & ostenditur contradictio. Hoc dictum contradicit doctrinæ positæ in præfatione de Duratione rerum, vbi habent: *Nomine ergò Durationis, si vim vocabuli attendamus, intelligitur id quo res est, & persistit in rerum natura, & propriè dicit quandam permanentiam in esse, & perseuerantiam in eodem statu:* Hæc illi.

Confut. 2. Tunc sic; sed instantanea non perseuerant in natura; ergò propriè non durant; sed tempus est propriè duratio, ergò tempus non includit instantanea, & instantaneè transeuntia.

Præterea in hac disp. num. 3. habent: *Vnde res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conseruata, ita in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia duratio aliud non est, quam existentia rei continuata, & conseruata*; Hæc illi

Tunc sic; sed existentia rerum instantaneè transeuntium non est continuata, sed raptim transit; ergò non est propriè duratio; ergò sub vna specie Durationis contineri non potest: ergò tempus non est duratio in communi ad successiuam, & instantaneam: Item num 7. habent, quòd duratio importat existentiam cum respectu ad esse præhabitum, sed existentia instantanea non habet respectum ad esse præhabitum, ergò non est propriè duratio.

Tacita responsio cōfutatur. Si vellent has contradictiones saluare cum doctrina, quam referunt num. 8. scilicet, quòd duratio potest attendi secundum vim vocabuli, sic instantanea propriè

non

non durant. Si verò duratio sumatur latè, tunc instantanea verè durant; sed in vanum laborant, quia in præfatione huius disp. diuidunt Durationem in communi in æternitatem, æuum, & tempus, vt in suas species, & dicunt hoc genus durationis importare perseuerantiam, & continuitatem in esse, quam perseuerantiam tempori tribuunt, ut est species durationis: Et confirmatur ex his, quæ habent in hac disp. art.2. num.24. vbi ponentes differentiam æui ab aliis speciebus durationis, habent. *Dicimus primò Aeuum in communi à nostro tempore differre eò quia æuum est duratio rei permanentis defectibilis: tempus verò est duratio entis successiui*; & q.4. num. 29. explicando tempus, vt est species durationis, dicunt quòd nomine temporis intelligunt durationem rei successiuæ per partes continuò fluentes; ergò tempus, vt est species durationis non potest continere instantanea, quia hæc non habent partes continuo fluentes; Si igitur isti Scriptores per tempus, vt est species durationis, intelligunt durationem rei successiuæ per partes continuò fluentes, quomodo possunt diuidere tempus hoc, vt est species durationis, in durationem successiuam, & instantaneam?

Secundum dictum est, quòd tempus, vt est species durationis diuiditur in modos transeundi instantaneè, & successiuè, tanquam in species. *2. dictum Meld. & Cat.*

Sed hoc dictum contradicit ei, quòd asserunt in hac disp. num.36. vbi habent: *Attamen intrinsecum tempus debet multiplicari non solum numero, sed etiam specie ad multiplicationem numericam, vel specificam motuum, vt in simili diximus de æuo: Vnde & tempus materiale, & tempus spirituale dari debet, sicut datur existentia materialis, & spiritualis motus*; Hæc illi. *Confutatur, & ostēditur contradictio.*

Tunc sic arguo. Sed motus materialis, & spiritualis non differunt penes modum existendi instantaneè, vel successiuè, sed penes esse materiale, & spirituale; ergò tempus

pus secundùm istos distinguitur penes diuersitatem formalem existentiæ, & non penes modos existendi instantaneè, vel successiuè.

Confirmatur confutatio ad hominem. Confirmatur, quia dicunt, quòd tempus simili modo debet diuidi in suas species, sicut & æuum; sed num. 27. dicunt, quòd æuum debet distingui iuxta diuersitatem existentiarum, ita vt (inquiunt ipsi) tot sint æua specie distincta, quot existentię specie diuersæ; ergò debet dici, quòd sunt tot tempora specie diuersa, quot existentiæ specie diuersæ, & sic erunt plures, quàm duæ species temporis, quia multa sunt successiua specie diuersa, quia motus localis secundùm ipsos est hoc modo essentialiter successiuus actio, passio, coexistentia, & sunt etiam instantanea, ergò non distinguitur tempus pro duratione in modos existendi instantaneè, & successiuè, vt in species, quia sic tantùm erunt duæ species temporis.

3. dictum Meld. & Cat. Tertium dictum est, quòd Duratio instantanea est vera Duratio, & propria, & reddunt rationem, quia sicuti mutatio instantanea habet existentiam veram, & realem, ita etiam habet veram, & realem durationem.

Cõfutatur, & ostenditur contra dicto. Sed hoc dictum, licet sit verum, tamen in sententia istorum non potest sustineri, quia dicunt in præfatione istius disp. quòd Duratio instantanea est duratio latè sumpta, non propria, quia Duratio propria dicit perseuerantiam, & secundùm hanc perseuerantiam diuidunt durationem in communi, in Æternitatem, æuum, & tempus, vt in species proprias; ergò Duratio quatuor habebit species, & instantanea Duratio non poterit reduci ad tempus, quod essentialiter etiam secundùm ipsos est successiuum, quia vnum disparatum non potest contineri tanquam species sub alio disparato; Vt homo non potest contineri sub boue. Reuertamur: Esse propriam durationem, & non esse propriam Durationem contradicunt.

4. dictum Meld. & Cat. Præterea num. 29. dicunt Tempus accipi pro duratione

rei

rei successiuæ, & per res successiuas intelligunt actiones, passiones, coexistentiam tempori successiuo, Vbi locale per motum continuum acquisibile, & motus.

Contra, & probo quòd coexistentia tempori successiuo non potest dici successiua, tali pacto. Æternum, & Æuiternum coexistunt tempori successiuo; ergo eorum coexistentia erit successiua; ergo complementum Durationis permanentis, vt distinguitur à Duratione successiua, erit successiuum, quæ omnia sunt falsissima, quia permanens non potest essentialiter & formaliter intelligi, vt distinctum à successiuo per aliquod successiuum tanquam per differentiam essentialem & distinctiuam; sed coexistentia Æterni, & Æuiterni est secundum ipsos complementum propriæ durationis eorum tanquam differentia essentialis, & distinctiua à Duratione successiua; ergò existentia æterni, & æuiterni non erit successiua. Confut. 1.

Prętereà si tempus est Duratio rerum successiuarum essentialiter, inter quas connumerant coexistentiam tēpori successiuo; ergò tempus, & duratio successiui erit complementum durationis permanentis: ergò tempus erit Duratio æui, & ęuiterni; ergò existentia eadèm erit simul variabilis, & inuariabilis; Inuariabilis, vt supponitur, variabilis, quia ista duratio completur per durationem variabilem. Confut. 2.

Secundò probo, quòd vbi locale per motum continuum successiuè acquisibile non sit successiuum, & quod eius duratio nō est tempus; Eodem modo se habet, vbi locale acquisibile per motum successiue, sicut se habet qualitas successiue per motum acquisibilis. Sed huiusmodi qualitas non est succeessiua nec durat tempore, sed æuo ex ipsis in hac disp. num. 29. ergo tale vbi locale non erit successiuum, & tempore non durabit, minor probatur, quia vbi locale vel accipitur materialiter, & hoc non, quia est superficies, quę est quantitas permanens ex Arist. cap. de quantitate in prædi- Confut. 3.

ca mentis Vel accipitur pro formali ,& sic est respectus locantis ad locatum; Sed iste respectus successiuè acquisitus totus permanet in esse quieto; ergò eodem modo se habet sicut qualitas per motum successiuè aquisita, quæ in esse quieto habet partes simul existentes.

Confut.4. Præterea cui non repugnat esse simul, non est successiuũ,quia per hoc differt permanens à successiuo; sed vbi locali successiuè acquisito non repugnat esse simul; ergò non est successiuum.

Confut.5. Tertiò probo, quòd actio, & passio non sit essentialiter successiua, quia agens potest saltem per potentiam diuinam producere formam in subiecto in instanti, & ibi esset actio, & passio, quia esset relatio transmutantis ad transmutatum, & è conuersò; ergò ista actio, & passio non est successiua, quia in tantùm huiusmodi relationes sunt successiuæ, quatenus agens successiuè inducit formam.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Tempus intrinsecum, seu pro Duratione formaliter importat relationem aptitudinalem coexistentiæ rei existentis essentialiter successiuè.

Eiclitur ex Sco. omnibus in locis cit. in principio disp. de Duratione in communi.

Tempus duplex, & quid sit

PRo cuius declaratione Not. primò, quod tempus est duplex Intrinsecũ & extrinsecum; Tẽpus intrinsecũ est Duratio cuiuslibet rei essentialiter successiuæ, Tẽpus extrinsecũ dicitur mẽsura per quam duratio rei successiuæ dignoscitur; In pręsenti est sermo de tempore intrinseco, & pro duratione, quod importat pro materiali, & connotato existentiam rei essẽtialiter successiuæ, pro formali vero relationem aptitudinalem

nalē coexistendi cuicunq; successiuo modo variabili, & successiuo, quæ relatio fundatur in re successiua, & terminatur ad extrinsecum successiuè existens; Ratio vero fundandi istam relationem est existentia succesſiua. Res autem dicitur succesſiua dipliciter; Vno modo per se, & essentialiter & est cui ex sui natura repugnat inuariabilitas, & permanentia, siue simultanea existentia partium, & hæc entitas est solum motus, vt in primo cap. probaui contra Meld. & Cat. Alio modo res dicitur successiua tantùm per accidens, & est illa, cui non repugnat esse tota simul, sicut qualitas, actio, pasſio, vbicatio, & coexistentia permanentis cuicunque successiuo dicitur successiua tantùm terminatiuè, per se verò, & fundamentaliter est permanens; Vnde successio essentialis alicuius continui est ordo partium succedentium incomposſibilium simul existere, vt ordo partium motus, quæ simul existere non possunt: successio verò accidentalis est ordo partium succedentium, quibus simul esse non repugnat, vt ordo partium qualitatis succesſiuè aquisitæ, & similium; Successio autem motus fit vel penes partes mobilis, vel penes partes formæ, vel spatij; supra quod fit motus; Iste autem ordo partium fluentium in re successiua non est relatio realis simpliciter, quia fundatur in parte existente, & actualiter fluente, & terminatur ad partem posteriorem non existentem, sed quæ futura est.

Secundò Notandum, quòd tot sunt tempora intrinseca, quot durationes rerum succesſiuarum, quæ cum habeant eundem modum existendi, secundùm quem diuersificantur durationis species; Tempus in communi erit tantum vna species athoma durationis in communi, non valens includere durationem instantaneam, cùm sit omninò alterius rationis; instantanea enim diuersum modum existendi habet à succesſiuis, ac propterea diuersam specie durationem, vt diffusè probatum est contra Meld. &

Cat. in primo cap. non enim Duratio in communi adæquatè diuiditur in æternitatem, æuum, & Tempus, cum detur instans ab istis diuersum, sed tantum duratio in communi, quæ dicit permanentiam, & moram, in qua intelligitur respectus ad esse præhabitum, vt optimè sibi contradicentes dixerunt Aduersarii; Et quod dictum est de aliis durationibus, dicendum est de duratione instantanea, quæ connotat existentiam instantanei, importando formaliter coexistentiam aptitudinalem ad omne id, quod raptim transit, vt duratio mutationis coexistit aptitudinaliter mutato esse, & è conuersò mutatum esse coexistit mutationi; Vnde duratio, & res durans distinguuntur sicut res, & modus extrinsecus, relatio tamen cum re durante identificatur, quia omnis aptitudo realiter identificatur cum eo cuius est, licet formaliter distinguatur; his notatis:

Probatur conclusio omnibus rationibus, quibus probaui durationem in communi importare relationem aptitudinalem coexistentiæ, quia quo ad hoc eadem est ratio de duratione in communi, & eius speciebus, ideò illas omitto ne multoties idem repetatur.

Primum arg. Meld. & Cat. Contra arguunt Meld. & Cat. in hac disp. num. 35. infrascriptis rationibus. Primò. Duratio in communi formaliter dicit existentiam rei durantis; ergò & quælibet species sub ipsa contenta.

Respondeo negando antecedens, quòd negaui in disp. de duratione in communi, quæ in doctrina Scoti non potest connotare existentiam nisi tanquam fundamentum, & subiectum proximum durationis formaliter acceptæ, quæ est aptitudinalis coexistentia ad extrinsecas durationes.

2. Arg. Meld. & Cat. Secundò existentia est vltimus actus rei existentis, nec est vltimus essentialiter contrahibilis; ergò non potest per respectum contrahi; ergò tempus præter existentiam non poterit aliud formaliter importare.

Retorquetur arg. Retorqueo argumentum. Si existentia non potest contrahi

trahi; ergò non dantur existentiæ specificè diuersæ, aliter contraheretur existentia per differentias specificas; Sed hic est expressè contra ipsos in hac disp. vbi habent, quòd Æuum,&Tempus diuiditur in tot durationes,quot sunt existentiæ specie distinctæ.

Respondeo itaq; ad argumentũ,concedendo,quòd existẽtia non sit contrahibilis,quia modus intrinsecus additur naturæ contractæ,non enim existentia est successiua, vel permanens,nisi quia res, cuius est modus est successiua, vel permanens,differentiæ enim essentiales, sicut & res supponuntur modo tanquam posteriori natura; Sed negatur vltima consequentia, quia relatio aptitudinalis coexistentiæ non ponitur tanquam differentia contrahens ipsam existentiam sed additur existentiæ tanquam fundamento, & subiecto, proximo.

Tertiò Arguunt auctorit. Sco.2.dist.2.q.2.E.vbi & si problematicè loquatur,magis tamen inclinat ad partem ponentem identitatem inter tempus, & motum,sicut ponit litt:H. durationem Angeli à propria eius existentia non differre.

Respondeo negando, quòd Sco. loco cit. magis inclinet ad identitatem temporis cum motu, & loquitur de tempore intrinseco,& pro duratione, & arguentes doctissimum fabrum meum Conciuem, arguunt se ipsos; Scotus igitur ibi inquit,An in Angelo sit aliquod mensurans eius existentiam, vel durationem existentiæ eius, & determinat non esse tale in Angelo, qui a vult determinare durationem Angeli non posse mensurari,quia vel mensuraretur ab alio excedente, vel excesso vel æquale, neutrum dici potest, inquit Sco.ergò non datur in Angelo aliquod intrinsecum mensurans eius existentiam, vel durationem existentiæ; nos autem loquimur de Duratione, non de mensura; Et loquendo de tempore, loquitur de tempore pro mensura, non pro duratione, & dicit, quòd si oportet ponere tempus distinctum à motu, hoc est, quia motus inæquales possunt esse *3. Argum. Meld. & Cat.*

in eodem tempore, & ideò idem tempus non potest esse idem motibus diuersis; At istud tempus non est tempus pro Duratione, vt isti falsò immaginantur, sed pro mensura, quia duo motus diuersi non possunt esse in eodem tempore pro Duratione, sed quot sunt motus, tot sunt etiam tempora, & Durationes etiam secundum ipsos.

Præterea. Si etiam Sco. diceret, quòd tempus pro Duratione, & motus sunt idem realiter, non propter hoc sequitur, ergo tempus pro Duratione nihil aliud formaliter addit vltra existentiam motus, quia relatio aptitudinalis ad coexistendum potest poni realiter cum existentia motus, & tamen est aliquid aliud formaliter præter eius existentiam.

4. argum. Meld. & Cat.

Quartò Arguunt. Nulla res potest intrinsecè durare per aliquod realiter distinctum. Sed successio, quæ est ordo partium accidit enti successiuo; ergò res per successionem non potest intrinsecè durare; infero ego, ergò nec per relationem aptitudinalem coexistentiæ potest intrinsecè, & formaliter durare.

Respondeo ex Sco. 4. dist. 13. q. p. P. quòd ly *per* potest accipi dupliciter, vno modo, vt dicit rationem fundamentalem, & formalem remotam durandi, quæ est ratio formalis essendi durabile; Alio modo vt dicit rationem proximam, & formalem denominandi; In proposito nulla res potest intrinsecè durare per aliquod realiter distinctum, tanquam per rationem fundamentalem durandi, & concedo, tanquam per rationem proximam durandi, & formaliter denominandi, & nego; Minor est contra ipsos, quia in hac disp. num. 34. concedunt successionem intrinsecè, & essentialiter motibus conuenire, dico tamen, quòd licet ordo partium entis successiui secundùm se accidat successiuo, tamen circumscribit nobis differentiam eius essentialem. Quare negantur consequentiæ, quia licet coexistentia aptitudinalis successiua non sit de essentia durantis materialiter, est tamen de essentia rei durantis reduplicatiuè, vt du-

durans est formaliter, quia illa relatio est de essentia durationis, & licet esset realiter distincta à re durante, adhuc tamen posset res per eam intrinsecè formaliter durare; Res enim per existentiam tanquam per materiam, & rationem fundamentalem durat, per illam verò relationem formaliter durat; Sicut ignis per eius formam substantialem tanquam per rationem formalem remotam dicitur causa, per relationem verò causationis proximè formaliter est causans; Vnde sicuti causa importat solum formaliter relationem causæ ad causatum, connotando tanquam rationem fundamentalem propriam formam rei causantis intrinsecam, & fundamentum remotum rem causantem, ita Duratio formaliter importat solum relationem aptitudinalem coexistentiæ, connotando tanquam rationem formalem, remotam, seu tanquàm fundamentum proximum, existentiam, rem verò durantem tanquam fundamentum remotum.

Quintò, Arguo ego pro Aduersarijs. Non repugnat quemcunque motum in instanti fieri; ergò tempus intrinsecum, & pro Duratione non potest connotare existentiam motus; ergò nihil connotabit; antecedens probatur, quia recipiens formam successiuè, & in tempore, potest recipere in instanti, saltem per potentiam Diuinam. *Arguit Auctor pro Aduersarijs.*

Respondeo negando antecedens; Et cum probatur, quia subiectum potest recipere formam in instanti, quam recipit in tempore, hoc verum est, sed ille non esset propriè motus, sed haberet aliquid de motu, & aliquid de mutatione; sicut motus animæ ad gratiam haberet aliquid de motu, quia esset ad formam accidentalem, haberet aliquid de mutatione, quia fieret in instanti; motus enim ex sua ratione formali habet hoc, quod sit ad formam accidentalem, quæ per partem post partem priuationi succedat, & fiat in tempore, per hoc enim differt motus à mutatione, quia mutatio in instanti, motus verò fit in tempore,

quia

quia est essentialiter successiuus, quia successione ablata, tanquam differentia essentiali, amplius non est motus, sicut ablata rationalitate ab homine, non esset amplius homo.

CONCLVSIO SECVNDA.

Non datur tempus pro Duratione discreta

Est Sco.2.dist.2. q.4.ante A.

Sententia Auctoris. Cap. Vnicum.

PRo cuius declaratione primò Not. ex Sco. loco cit. quòd ponentes tempus discretum, dicunt, quòd est verè quantitas discreta distincta specie à continua, nec est species quantitatis discretæ, quæ est numerus, vel oratio, quia partes huius temporis non permanent, partes autem numeri permanent, ita quod si non permaneant, accidit numero; pars autem orationis non permanet; conuenit igitur cum oratione quoad non habere partes permanentes; Vnde istud tempus discretum nihil aliud est, quàm aliqua quantitas discreta composita ex discontinuatis instantibus; Quod tempus discretum ita se habet ad tempus nostrum, quod instans temporis discreti necessariò coexistit alicui parti temporis nostri; Si enim Angelus in aliquo instanti nostro habeat aliquam cognitionem, non statim in proximo instanti habebit aliam, sed in tempore immediato sequenti illud proximum secundum instans, & in alio instanti terminante illud tempus potest habere aliam sic continuando cum tempore nostro, & sic totum ex illis instantibus compositum erit tempus discretum, cuius instans est improportionatum tempori nostro, quia instans temporis

Quid sit tempus discretum.

discreti

discreti potest coexistere cum quantocumque tempore nostro maiori, vel minori, secundnm quod Angelus potest continuare eandem intellectionem indiuisibilem cum maiori, vel minori parte temporis nostri absque alia noua intellectione, quia transit prima intellectio, adueniente alia.

Secundò Not. quòd ponitur tempus discretum ab aliquibus propter operationem Angelorum, & cognitiones, volunt enim quòd huiusmodi intellectiones sint transeuntes, non simul existentes, sed quod vna adueniente recedat alia, non successiuè per partes, quia sunt indiuisibiles, & totæ simul, & ideò dicunt vnam illarum necessariò coexistere pluribus instantibus temporis nostri, nè concedant tempus nostrum esse discretum, quia si illæ intellectiones, quibus correspondent instantia duratiua discreta, solum coexisterent instantibus nostri temporis, eodem modo se haberet tempus nostrum, & sic esset discretum, quia sicut tunc mora eius continuaretur per illa instantia, sic tempus nostrum continuatur per instantia, & sicut illud tempus est discretum, & nostrum erit discretum, quod est omninò falsum.

Propter quid po na tur Tempus discretum.

Tertiò Not. quòd cum duratio distinguatur in diuersas durationes specie distinctas, & hæc specificatio non attendatur penes differentiam essentialem constitutiuam, sed penes diuersum modum manendi, quæ habent eundem modum manendi, habent etiam durationem eiusdem rationis; Vnde cum operatio Angeli, & Angelus habeant eundem modum manendi scilicet inuariabiliter, & defectibiliter, eandem durationem habebunt; Et licet operatio Angeli non duret, quantùm durat existentia eiusdem Angeli, non per hoc debent habere durationes diuersæ rationis, quia eadem duratione durat Angelus, si in instanti anihilaretur, ac si diutius maneat, quia semper est eodem modo inuariabilis, & defectibilis. His notatis,

Diuersitas Durationū est penes tantū secundum diuersum modū manendi.

Probatur Conclusio ex Sco.loc.sup.cit. Quæ habent vniformem modum manendi, dum manent, habent etiam durationem eiusdem rationis, sed Angelus, & eius operationes habent eundem modum manendi, dum manent; ergò habent durationes eiusdem rationis; sed Angelus durat æuo, ergò & eius operationes; ergò propter illas non est ponendum tempus istud discretum ex indiuisibilibus constans.

Si dicatur, quòd non diuersus modus manendi, sed diuersitas existentiarum exposcit diuersam durationem; ac propterea cum existentiæ Angelorum, & operationum sint existentiæ specie diuersæ, diuersam quoque habebunt durationem.

Contrà arguitur ex Sco.loco cit. ergò vnum tempus discretum constabit ex instantibus diuersæ rationis; Consequens est falsum, ergò & antecedens; consequentia probatur, quia Angelus dum fluit tempus nostrum potest intelligere hominem, lapidem, aquam, lignum, &c. sed istæ intellectiones essent diuersæ rationis, sicut & obiecta sunt diuersæ rationis; ergò tempus illud discretum constaret ex diuersis instantibus diuersarum rationum.

Contra Conclusionem arguitur primò. Duratio debet proportionari existentijs rerum, quia duratio permanentis est permanens, & succedetis, & fluentis est successiua; ergò debet dari duratio correspondens operationibus Angelorum; quæ sunt totæ simul indiuisibiles, sed transeuntes, sic quod vna desinit, adueniente alia, quod non reperitur in existentiis Angelorum; sed talis duratio indiuisibilis tota simul transiens est tempus discretum; ergò debet dari tale tempus discretum à tempore nostro, & à duratione permanentium essentialiter distinctum.

Respondeo ex Sco.loco in principio conclus.cit.ante A. §.contra Conclusionem,&c.ad antecedens,quòd duratio debet proportionari existentijs rerum secundum vniformitatem

tem manendi, licet vna res diutius maneat, quàm alia, & consequenter debet dari duratio correspondens existentiæ operationis Angelorum, sed hæc dicitur æuum, quia habet eundem modum manendi cũ Angelo scilicet indiuisibiliter, & defectibiliter; quod verò operationes transeant & vna non maneat cum alia, hoc non prouenit ex natura operationis, quia non repugnat sibi cum alia operatione existere, sed prouenit ex imperfectione operantis, quod propter eius finitam virtutem non potest simul habere plures intellectiones; Ad minorem subsillatam, nego, quòd talis duratio sit tempus discretum, sed est æuum, quare negatur vltima consequentia.

Secundò arguit etiam Henricus auctorit. D. Augustini supra Genesim ad litteram, vbi vult, quòd Deus mouet creaturam spiritualem per tempus; sed hoc non potest esse tempus continuum nostrum; ergò erit tempus discretum.

Respondeo ex Sco. loco cit. H. quòd hic accipitur tempus à D. Augustino pro omni transitu de non esse ad esse, ideò moueri per tempus est recipere esse post non esse, & hoc modo omnia sunt temporalia, præter Deum; Et sic concessa minori, negatur consequentia, quia nec erit tempus nostrum, nec discretum, quia sic secundùm Aduersarios omnes creaturæ tempori discreto durarent, quod etiam ipsi negant, cum omnes creaturæ transeant de non esse ad esse.

CONCLVSIO TERTIA.

Tempus pro mensura est formaliter ens rationis simpliciter, materialiter est reale.

Elicitur ex Sco. 4. dist.48.q.2. G.H. & quol. 13. N.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld.& Cat. disp.13.q.4.art.1. licet in hoc articulo determinent de tempore intrinseco, determinant tamen existentiam de tempore extrinseco, & pro mensura, & respondendo ad argumenta num. 32. loquendo de partibus eius, loquuntur de præsenti, præterito, & futuro, quæ competunt tempori extrinseco; sed quicquid sit de hoc, cùm eadem sit ratio quoad existentiam de tempore intrinséco, & extrinseco materiali, dicunt, quòd tempus existit per partes actualiter successiuè existentes, quæ sunt prius, & posterius; Vnde partes temporis non sunt præteritum, & futurum reduplicatiuè, sed vt præsentia sunt successiuè, sed partes temporis sunt prius, & posterius, quæ præsentia dici possunt successiuè, quia prius, tunc est prius, quando est ante posterius, & posterius est tale, quando subsequitur prius, at præteritum, dum est præteritum, non existit, neque futurum dum est futurum; Vnde dicunt, quòd rectiùs loquendo dantur solùm duæ partes temporis scilicet prius, & posterius, & quia quælibet pars temporis est tempus, consequenter debet includere prius, & posterius, idcircò pars prior dicitur tempus, quia includit prius, & posterius, non quidem respectu eiusdem, sed diuersorum; nam

nam prioritas, & posterioritas sunt ipsamet successio, & quælibet pars est successiua; Et loquendo de tempore, vt dicit rationem mensuræ in hac disp. num. 43. & 45. in fine dicunt, quòd tempus, vt dicit rationem mensuræ actualis, dicit relationem causæ in cognoscendo ad cognitum per ipsam, quæ relatio non est simpliciter realis, quia est inter extrema habentia esse cognitum, non tamen est purè rationis, vt est secunda intentio, & dicunt hanc falsam doctrinam esse Sco. quol. 13. N.

Contrà, & probo, quòd tempus non existit per partes successiuè existentes, quæ sunt prius, & posterius; Vna pars tantòm temporis successiui existit; ergò successiuum non potest existere per partes succedentes, aliter aliquod existeret per partes non existentes; Antecedens probatur, quia si plures partes existerent, tunc successiuum esset permanens. *Confut. 1.*

Si dicant, quòd si plures partes simul existerent, vtique sequeretur, quòd successiuum esset permanens, sed partes successiui tantum existunt successiuè.

Contrà. Existere successiuè est vnam partem alteri succedere, sed quādo vna pars succedit, alia non est; ergò per illam non existentem non potest tempus existere; ergò solum existit per partem præsentem, & non per prius, & posterius. *Tacita Rēsponsio cōfutatur.*

Confirmatur, quia quando pars prior est, posterior est futura, quando pars posterior existit pars prior præteriit; ergò in successione tantū vna pars existit, quæ dicitur pars presēs, & hoc patet ex ipsis loco cit. num. 32. vbi sibi contradicentes asserunt, quòd pars prior est tempus, quia includit prius, & posterius respectu, diuersorum, idest respectu partis præteritæ includit posterius, & respectu partis futuræ includit prius; Sed hæc pars est tantum pars præsens; ergò tempus tempus tantùm per partem præsentem existit, & non per partem priorem, & posteriorem; ergò rectius dicitur, quòd tempus existit solum per partem præsentem. *Confirmatur confutatio.*

Se-

Probatur cõtra Mel. & Cat. Tẽpus nullã dicere relationem realem.

Secundò Arguo principaliter contra illud, quòd dicunt; scilicet, quod tempus, vt mensura importat relationem realem secundum quid, ad mensuratum; Nam relatio inter mensuram, & mensuratum est tertii modi ex Arist. 5. met. tex. 20. quæ non habet in termino mutuam relationem; sed secundum Scot. 4 dist. 48. q. 2. I. & quolib. 13. N. mensuratum refertur ad mensuram; ergò si è conuersò mensura dicit relationẽ ad mensuratũ, tũc relatio inter mensurã, & mẽsuratũ non erit tertii modi, quod est contra Arist. & Sco. lo. cit.

Confut. 2.

Præterea mensura non refertur ad mensuratum ex Sco. 4. loco cit. & reddit rationem, quia mensura non dependet à mensurato, sed e conuersò; ergò mensura nullam dicit relationem realem, sed tantum relationem simpliciter rationis.

Tacita Responsio cõfutatur.

Si dicant, quòd ibi Sco loquitur de mensura in essendo, quæ nullam dicit relationem, & de hac loquitur Arist. non autem de mensura in cognoscendo, vt est in proposito tempus; Hoc est contra Scotum quol. 13. N. ab ipsis cit. vbi loquens de mensura, & mensurato in cognosci, dicit quòd in mensurato est relatio realis secundùm quid ad mensuram, quia est relatio causati in cognosci ad causam in cognosci, & hæc relatio est realis quantùm est ex parte dependentiæ causati ad causam; Et miror quomodo audeant elicere ex Sco. quolib cit. propriam opinionem, cum Sco. totum oppositum dicat; Attendite diligenter Scotistæ. Volunt isti Scriptores ostendere mensuram in cognosci dicere relationem realem secundum quid ad mensuratum in cognosci per hoc, quod dicit Sco. quol. cit. quòd ratio mensuræ actualis dicit relationem causæ in cognoscendo ad cognitum per ipsam, & Sco. nihil dicit de relatione mensuræ, & causæ in cognoscendo, sed tantùm quod in causato in cognosci, & mensurato est relatio ad causam in cognosci; Vnde nec possunt elicere ex Sco. & Arist. nec Sco. potest vnquam dicere, qòd mensura in cognosci dicat relationem realem

Eliciunt opinionem propriã ex opposita doctrina Scoti.

realem

realem secundùm quid, & rectè quidem, quia in relatiuis tertii modi ibi ponitur relatio, vbi est dependentia ex Sco. 4. dist. 48. q. 2. I. sed mensuratum in cognosci dependet à mensura in cognosci ex Sco. quol. 13. N. ideò dicit Scotus, quòd in mensurato est relatio, non autem in mensura.

Inter alia falsa in hac disp. hoc, vnum est, quòd dicunt num. 42. scilicet quod ex Sco. quol. 13. N. & 2. dist. 2. q. 2. §. ad secundam partem quæstionis, &c. quòd mensura est duplex. Alia in essendo, Alia in cognoscendo.

Sed isti Doctores decipiuntur & nullus inueniet in Sco. & maximè locis cit. diuersam esse mensuram in essendo, scilicet per participationem, & imitationem à mensura in cognoscendo, habet enim hæc verba. *Quia Arist. non dicit relationem in tertio modo esse mensurati ad mensuram, sed esse mensurabilis, hoc est apti nati mensurari ad mensuram, hoc est aptam natam mensurare; quod sic potest intelligi: sicut enim ex dictis patet mensurari actualiter est actualiter dependere in cognosci, ita mensurabile dicit aptitudinem, vel potentialem dependentiam in cognosci, vel dicit dependentiam in cognoscibilitate. Vnumquodque autem se habet ad cognoscibilitatem, sicut se habet ad entitatem, igitur per mensurabile intelligitur illud substractum, ratione cuius hoc est mensurabile, & illud est entitas causata, & participata, vt sic in tertio modo relatiuorum per hoc, quod est aliquid dici vt mensurabile ad mensuram, intelligitur dici tanquàm dependens in entitate ad illud, à quo participat entitatem:* hæc Scotus.

Tunc sic arguo. Si mensura in essendo secundum Sco. est à qua mensurabile dependet actualiter in cognosci, quãdo actualiter mensuratur, vel in cognoscibilitate, quando actualiter non mensuratur: ergò mensura in essendo est mensura in cognoscendo, siue actualiter, siue aptitudinaliter; ergò non distingnit Sco. mensuram in essendo scilicet *Probatur quod mensura in essendo non distinguitur à mensura in cognoscendo.*

in eodem tempore, & ideò idem tempus non potest esse idem motibus diuersis; At istud tempus non est tempus pro Duratione, vt isti falsò immaginantur, sed pro mensura, quia duo motus diuersi non possunt esse in eodem tempore pro Duratione, sed quot sunt motus, tot sunt etiam tempora, & Durationes etiam secundum ipsos.

Præterea. Si etiam Sco. diceret, quòd tempus pro Duratione, & motus sunt idem realiter, non propter hoc sequitur, ergo tempus pro Duratione nihil aliud formaliter addit vltra existentiam motus, quia relatio aptitudinalis ad coexistendum potest poni realiter cum existentia motus, & tamen est aliquid aliud formaliter præter eius existentiam.

4. argum. Meld. & Cat.

Quartò Arguunt. Nulla res potest intrinsecè durare per aliquod realiter distinctum: Sed successio, quæ est ordo partium accidit enti successiuo; ergò res per successionem non potest intrinsecè durare; infero ego, ergò nec per relationem aptitudinalem coexistentiæ potest intrinsecè, & formaliter durare.

Respondeo ex Sco. 4. dist. 13. q. p. P. quòd ly *per* potest accipi dupliciter, vno modo, vt dicit rationem fundamentalem, & formalem remotam durandi, quæ est ratio formalis essendi durabile; Alio modo vt dicit rationem proximam, & formalem denominandi; In proposito nulla res potest intrinsecè durare per aliquod realiter distinctum, tanquam per rationem fundamentalem durandi, & concedo, tanquam per rationem proximam durandi, & formaliter denominandi, & nego; Minor est contra ipsos, quia in hac disp. num. 34. concedunt successionem intrinsecè, & essentialiter motibus conuenire, dico tamen, quòd licet ordo partium entis successiui secundùm se accidat successiuo, tamen circumscribit nobis differentiam eius essentialem. Quare negantur consequentiæ, quia licet coexistentia aptitudinalis successiua non sit de essentia durantis materialiter, est tamen de essentia rei durantis reduplicatiuè, vt

du-

durans est formaliter, quia illa relatio est de essentia durationis, & licet esset realiter distincta à re durante, adhuc tamen posset res per eam intrinsecè formaliter durare; Res enim per existentiam tanquam per materiam, & rationem fundamentalem durat, per illam verò relationem formaliter durat; Sicut ignis per eius formam substantialem tanquam per rationem formalem remotam dicitur causa, per relationem verò causationis proximè formaliter est causans; Vnde sicuti causa importat solum formaliter relationem causæ ad causatum, connotando tanquam rationem fundamentalem propriam formam rei causantis intrinsecam, & fundamentum remotum rem causantem, ita Duratio formaliter importat solum relationem aptitudinalem coexistentiæ, connotando tanquam rationem formalem, remotam, seu tanquàm fundamentum proximum, existentiam, rem verò durantem tanquam fundamentum remotum.

Quintò, Arguo ego pro Aduersarijs. Non repugnat quemcunque motum in instanti fieri; ergò tempus intrinsecum, & pro Duratione non potest connotare existentiam motus; ergò nihil connotabit; antecedens probatur, quia recipiens formam successiuè, & in tempore, potest recipere in instanti, saltem per potentiam Diuinam. *Arguit Auctor pro Aduersarijs.*

Respondeo negando antecedens; Et cum probatur, quia subiectum potest recipere formam in instanti, quam recipit in tempore, hoc verum est, sed ille non esset propriè motus, sed haberet aliquid de motu, & aliquid de mutatione; sicut motus animæ ad gratiam haberet aliquid de motu, quia esset ad formam accidentalem, haberet aliquid de mutatione, quia fieret in instanti; motus enim ex sua ratione formali habet hoc, quod sit ad formam accidentalem, quæ per partem post partem priuationi succedat, & fiat in tempore, per hoc enim differt motus à mutatione, quia mutatio in instanti, motus verò fit in tempore,

quia

quia est essentialiter successiuus, qui, successione ablata, tanquam differentia essentiali, amplius non est motus, sicut ablata rationalitate ab homine, non esset amplius homo.

CONCLVSIO SECVNDA.

Non datur tempus pro Duratione discreta.

Est Sco.2.dist.2. q.4.ante A.

Sententia Auctoris. Cap. Vnicum.

PRo cuius declaratione primò Not. ex Sco. loco cit. quòd ponentes tempus discretum, dicunt, quod est verè quantitas discreta distincta specie à continua, nec est species quantitatis discretæ, quæ est numerus, vel oratio, quia partes huius temporis non permanent, partes autem numeri permanent, ita quod si non permaneant, accidit numero; pars autem orationis non permanet; conuenit igitur cum oratione quoad non habere partes permanentes; Vnde istud tempus discretum nihil aliud est, quàm aliqua quantitas discreta composita ex discontinuatis instantibus; Quod tempus discretum ita se habet ad tempus nostrum, quod instans temporis discreti necessariò coexistit alicui parti temporis nostri; Si enim Angelus in aliquo instanti nostro habeat aliquam cognitionem, non statim in proximo instanti habebit aliam, sed in tempore immediato sequenti illud proximum secundum instans, & in alio instanti terminante illud tempus potest habere aliam sic continuando cum tempore nostro, & sic totum ex illis instantibus compositum erit tempus discretum, cuius instans est improportionatum tempori nostro, quia instans temporis

Quid sit tempus discretum.

discreti

discreti potest coexistere cum quantocumque tempore nostro maiori, vel minori, secundnm quod Angelus potest continuare eandem intellectionem indiuisibilem cum maiori, vel minori parte temporis nostri absque alia noua intellectione, quia transit prima intellectio, adueniente alia.

Secundò Not. quòd ponitur tempus discretum ab aliquibus propter operationem Angelorum, & cognitiones, volunt enim quòd huiusmodi intellectiones sint transeuntes, non simul existentes, sed quod vna adueniente recedat alia, non successiuè per partes, quia sunt indiuisibiles, & totæ simul, & ideò dicunt vnam illarum necessariò coexistere pluribus instantibus temporis nostri, nè concedant tempus nostrum esse discretum, quia si illæ intellectiones, quibus correspondent instantia duratiua discreta, solum coexisterent instantibus nostri temporis, eodem modo se haberet tempus nostrum, & sic esset discretum, quia sicut tunc mora eius continuaretur per illa instantia, sic tempus nostrum continuatur per instantia, & sicut illud tempus est discretum, & nostrum erit discretum, quod est omninò falsum. *Propter quid ponatur Tempus discretum.*

Tertiò Not. quòd cum duratio distinguatur in diuersas durationes specie distinctas, & hæc specificatio non attendatur penes differentiam essentialem constitutiuam, sed penes diuersum modum manendi, quæ habent eundem modum manendi, habent etiam durationem eiusdem rationis; Vnde cum operatio Angeli, & Angelus habeant eundem modum manendi scilicet inuariabiliter, & defectibiliter, eandem durationem habebunt; Et licet operatio Angeli non duret, quantùm durat existentia eiusdem Angeli, non per hoc debent habere durationes diuersæ rationis, quia eadem duratione durat Angelus, si in instanti anihilaretur, ac si diutius maneat, quia semper est eodem modo inuariabilis, & defectibilis. His notatis, *Diuersitas Durationũ est penes tantũ secundum diuersum modũ manendi.*

Probatur Conclusio ex Sco.loc.sup.cit. Quæ habent vniformem modum manendi, dum manent, habent etiam durationem eiusdem rationis, sed Angelus, & eius operationes habent eundem modum manendi, dum manent; ergò habent durationes eiusdem rationis; sed Angelus durat æuo, ergò & eius operationes; ergò propter illas non est ponendum tempus istud discretum ex indiuisibilibus constans.

Si dicatur, quòd non diuersus modus manendi, sed diuersitas existentiarum exposcit diuersam durationem; ac propterea cum existentiæ Angelorum, & operationum sint existentiæ specie diuersæ, diuersam quoque habebunt durationem.

Contrà arguitur ex Sco.loco cit. ergò vnum tempus discretum constabit ex instantibus diuersæ rationis; Consequens est falsum, ergò & antecedens; consequentia probatur, quia Angelus dum fluit tempus nostrum potest intelligere hominem, lapidem, aquam, lignum, &c. sed istæ intellectiones essent diuersæ rationis, sicut & obiecta sunt diuersæ rationis; ergò tempus illud discretum constaret ex diuersis instantibus diuersarum rationum.

Contra Conclusionem arguitur primò. Duratio debet proportionari existentijs rerum, quia duratio permanentis est permanens, & succedetis, & fluentis est successiua; ergò debet dari duratio correspondens operationibus Angelorum; quæ sunt totæ simul indiuisibiles, sed transeuntes, sic quod vna desinit, adueniente alia, quod non reperitur in existentiis Angelorum; sed talis duratio indiuisibilis tota simul transiens est tempus discretum; ergò debet dari tale tempus discretum à tempore nostro, & à duratione permanentium essentialiter distinctum.

Respondeo ex Sco.loco in principio conclus.cit.ante A. §.contra Conclusionem,&c.ad antecedens, quòd duratio debet proportionari existentijs rerum secundum vniformita-

tem

tem manendi, licet vna res diutius maneat, quàm alia, & consequenter debet dari duratio correspondens existentiæ operationis Angelorum, sed hæc dicitur æuum, quia habet eundem modum manendi cũ Angelo scilicet indiuisibiliter, & defectibiliter; quod verò operationes transeant & vna non maneat cum alia, hoc non prouenit ex natura operationis, quia non repugnat sibi cum alia operatione existere, sed prouenit ex imperfectione operantis, quod propter eius finitam virtutem non potest simul habere plures intellectiones; Ad minorem subillatam, nego, quòd talis duratio sit tempus discretum, sed est æuum, quare negatur vltima consequentia.

Secundò arguit etiam Henricus auctorit. D. Augustini supra Genesim ad litteram, vbi vult, quòd Deus mouet creaturam spiritualem per tempus; sed hoc non potest esse tempus continuum nostrum; ergò erit tempus discretum.

Respondeo ex Sco. loco cit. H. quòd hic accipitur tempus à D. Augustino pro omni transitu de non esse ad esse, ideò moueri per tempus est recipere esse post non esse, & hoc modo omnia sunt temporalia, præter Deum; Et sic concessa minori, negatur consequentia, quia nec erit tempus nostrum, nec discretum, quia sic secundùm Aduersarios omnes creaturæ tempori discreto durarent, quod etiam ipsi negant, cum omnes creaturæ transeant de non esse ad esse.

CONCLVSIO TERTIA.

Tempus prò mensura est formaliter ens rationis simpliciter, materialiter est reale.

Elicitur ex Sco. 4. dist.48.q.2. G.H. & quol. 13. N.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld.& Cat. disp.13.q.4.art.1. licet in hoc articulo determinent de tempore intrinseco, determinant tamen existentiam de tempore extrinseco, & pro mensura, & respondendo ad argumenta num. 32. loquendo de partibus eius, loquuntur de præsenti, præterito, & futuro, quæ competunt tempori extrinseco; sed quicquid sit de hoc, cùm eadem sit ratio quoad existentiam de tempore intrinséco, & extrinseco materiali, dicunt, quòd tempus existit per partes actualiter successiuè existentes, quæ sunt prius, & posterius; Vnde partes temporis non sunt præteritum, & futurum reduplicatiuè, sed vt præsentia sunt successiuè, sed partes temporis sunt prius, & posterius, quæ præsentia dici possunt successiuè, quia prius, tunc est prius, quando est ante posterius, & posterius est tale, quando subsequitur prius, at præteritum, dum est præteritum, non existit, neque futurum dum est futurum; Vnde dicunt, quòd rectiùs loquendo dantur solùm duæ partes temporis scilicet prius, & posterius, & quia quælibet pars temporis est tempus, consequenter debet includere prius, & posterius, idcircò pars prior dicitur tempus, quia includit prius, & posterius, non quidem respectu eiusdem, sed diuersorum;

nam

nam prioritas, & posterioritas sunt ipsamet successio, & quælibet pars est successiua; Et loquendo de tempore, vt dicit rationem mensuræ in hac disp. num. 43. & 45. in fine dicunt, quòd tempus, vt dicit rationem mensuræ actualis, dicit relationem causæ in cognoscendo ad cognitum per ipsam, quæ relatio non est simpliciter realis, quia est inter extrema habentia esse cognitum, non tamen est purè rationis, vt est secunda intentio, & dicunt hanc falsam doctrinam esse Sco. quol. 13. N.

Contrà, & probo, quòd tempus non existit per partes successiuè existentes, quæ sunt prius, & posterius; Vna pars tantòm temporis successiui existit; ergò successiuum non potest existere per partes succedentes, aliter aliquod existeret per partes non existentes; Antecedens probatur, quia si plures partes existerent, tunc successiuum esset permanens. *Confut. 1.*

Si dicant, quòd si plures partes simul existerent, vtique sequeretur, quòd successiuum esset permanens, sed partes successiui tantum existunt successiuè.

Contrà. Existere successiuè est vnam partem alteri succedere, sed quãdo vna pars succedit, alia non est; ergò per illam non existentem non potest tempus existere; ergò solum existit per partem præsentem, & non per prius, & posterius. *Tacita Rẽsponsio cõfutatur.*

Confirmatur, quia quando pars prior est, posterior est futura, quando pars posterior existit pars prior præteriit; ergò in successione tantũ vna pars existit, quæ dicitur pars presẽs, & hoc patet ex ipsis loco cit. num. 32. vbi sibi contradicentes asserunt, quòd pars prior est tempus, quia includit prius, & posterius respectu, diuersorum, idest respectu partis præteritæ includit posterius, & respectu partis futuræ includit prius; Sed hæc pars est tantum pars præsens; ergò tempus tempus tantùm per partem præsentem existit, & non per partem priorem, & posteriorem; ergò rectius dicitur, quòd tempus existit solum per partem præsentem. *Confirmatur confutatio.*

Se-

Probatur cōtra Mel. & Cat. Tēpus nullā dicere relationem realem.

Secundò Arguo principaliter contra illud, quòd dicunt; scilicet, quod tempus, vt mensura importat relationem realem secundum quid, ad mensuratum; Nam relatio inter mensuram, & mensuratum est tertii modi ex Arist. 5. met.tex.20.quæ non habet in termino mutuam relationem; sed secundum Scot. 4 dist.48. q.2. I. & quolib. 13.N. mensuratum refertur ad mensuram; ergò si è conuersò mensura dicit relationē ad mensuratū,tūc relatio inter mensurā,&mēsuratū non erit tertii modi,quodest contra Arist.&Sco.lo.cit.

Confut. 2.

Præterea mensura non refertur ad mensuratum ex Sco. 4.loco cit. & reddit rationem, quia mensura non dependet à mensurato, sed e conuersò; ergò mensura nullam dicit relationem realem, sed tantum relationem simpliciter rationis.

Tacita Responsio cōfutatur.

Si dicant, quòd ibi Sco loquitur de mensura in essendo, quæ nullam dicit relationem, & de hac loquitur Arist. non autem de mensura in cognoscendo, vt est in proposito tempus; Hoc est contra Scotum quol.13.N.ab ipsis cit. vbi loquens de mensura, & mensurato in cognosci, dicit quòd in mensurato est relatio realis secundùm quid ad mensuram, quia est relatio causati in cognosci ad causam in cognosci, & hæc relatio est realis quantùm est ex parte dependentiæ causati ad causam; Et miror quomodo audeant elicere ex Sco.quolib cit.propriam opinionem, cum Sco. totum oppositum dicat; Attendite diligenter Scotistæ. Volunt isti Scriptores ostendere mensuram in cognosci dicere relationem realem secundum quid ad mensuratum in cognosci per hoc, quod dicit Sco.quol.cit.quòd ratio mensuræ actualis dicit relationem causæ in cognoscendo ad cognitum per ipsam, & Sco.nihil dicit de relatione mensuræ, & causæ in cognoscendo, sed tantùm quod in causato in cognosci, & mensurato est relatio ad causam in cognosci; Vnde nec possunt elicere ex Sco. & Arist. nec Sco. potest vnquam dicere, qoòd mensura in cognosci dicat relationem

Eliciunt opinionem propriā ex opposita doctrina Scoti.

realem

realem secundùm quid, & rectè quidem, quia in relatiuis tertii modi ibi ponitur relatio, vbi est dependentia ex Sco. 4. dist. 48. q. 2. I. sed mensuratum in cognosci dependet à mensura in cognosci ex Sco.quol.13.N. ideò dicit Scotus, quòd in mensurato est relatio, non autem in mensura.

Inter alia falsa in hac disp. hoc, vnum est, quòd dicunt num. 42. scilicet quod ex Sco.quol.13.N. & 2. dist.2. q.2.§. ad secundam partem quæstionis,&c. quòd mensura est duplex. Alia in essendo, Alia in cognoscendo.

Sed isti Doctores decipiuntur & nullus inueniet in Sco. & maximè locis cit. diuersam esse mensuram in essendo, scilicet per participationem, & imitationem à mensura in cognoscendo, habet enim hæc verba. *Quia Arist. non dicit relationem in tertio modo esse mensurati ad mensuram, sed esse mensurabilis, hoc est apti nati mensurari ad mensuram, hoc est aptam natam mensurare; quod sic potest intelligi: sicut enim ex dictis patet mensurari actualiter est actualiter dependere in cognosci, ita mensurabile dicit aptitudinem, vel potentialem dependentiam in cognosci, vel dicit dependentiam in cognoscibilitate. Vnumquodque autem se habet ad cognoscibilitatem, sicut se habet ad entitatem, igitur per mensurabile intelligitur illud substractum, ratione cuius hoc est mensurabile, & illud est entitas causata, & participata, vt sic in tertio modo relatiuorum per hoc, quod est aliquid dici vt mensurabile ad mensuram, intelligitur dici tanquàm dependens in entitate ad illud, à quo participat entitatem:* hæc Scotus.

Tunc sic arguo. Si mensura in essendo secundum Sco. est à qua mensurabile dependet actualiter in cognosci, quãdo actualiter mensuratur, vel in cognoscibilitate, quando actualiter non mensuratur; ergò mensura in essendo est mensura in cognoscendo, siue actualiter, siue aptitudinaliter; ergò non distingnit Sco. mensuram in essendo scilicet

Probatur quod mensura in essendo non distinguitur à mensura in cognoscendo.

cet essentialem à mensura in cognoscendo.

In secundo autem sent.loco cit.nihil facit nisi explicando quid sit mensurare, & dicit quòd est quantitatem ignotam certificare per quantitatem magis notam, quæ certificatio potest fieri multipliciter, & ibi ponit tàm quantitatem quidditatiuam, quàm accidentalem; ergò si ibi poneret Sco.mensuram in essendo, & in cognoscendo, vtraque esset mensura in cognoscendo, quia vtraque certificaret, vel esset nata certificare.

Confutatur dictum Meld. & Cat. ad hominem. Probo hoc ad hominem. Mensura in cognoscendo est quantitas illa, qua nota, intellectus de alia ignota certificatur ex ipsis ibi num. 42. sed ex Sco.quol. cit. mensura in essendo, & per participationē, vel imitationem est quantitas, qua nota, intellectus de alia ignota certificatur; ergò mensura in essendo erit mensura in cognoscendo; ergò non sunt distinctæ mensuræ.

Confut. 2. Preterea Arist.x.met.tex.2.deffiniens mensuram in communi, dicit, quod est illa, qua quantum cognoscitur: ergò omnis mensura dicitur mensura in cognoscendo.

Tacita Responsio cōfutatur. Si respondeant quòd loquitur Arist.de mensura tantùm in cognoscendo, non in essendo; Hoc est falsum, quia Arist.statim exemplificat de vno, quod est mensura numeri; Vnum autem est mensura numeri in essendo, cùm vnitas constituat essentialiter numerum; ergò Arist. loquitur etiam de mensura in essendo; ergò mensura essentialis, & in essendo erit mensura in cognoscendo.

Aliud dictum Mel. & Cat. Aliud falsum habent in hac disp. num. 46. vbi quęrunt an ratio mensuræ soli durationi successiuæ conueniat, an verò etiam durationi permanenti quale est Æuum, vel Æternitas, ita vt detur vnum æuum, quod sit omnium mensura, dicunt, quòd lis est inter Doctores, deinde num. 47. determinant, quòd est sermo de mensura in cognoscendo quoad durationem successiuam.

Cōfutatur Sed certè isti Scriptores dubitationem non perceperunt;

quia

quia non dubitant Doctores si mensura successiua competat durationi permanēti, aliter dubitarent successiuum posse fieri permanens. Non est igitur sermo de mensura quò ad durationem successiuam, cum queritur an ratio mensuræ possit durationi permanenti conuenire; Sed dubium est. An aliqua duratio permanens possit esse mensura omnium durationum permanentium, sicut motus primi Cæli est mensura omnium motuum, vt sicut verificatur quælibet duratio motus inferioris per motum primi Cæli, possit etiam certificari duratio hæc vel illa permanens per aliquā vnam aliam durationem permanentem, quod Sco. determinat negatiuè in 2. dist. 2. q. 3. A. quia durationes permanentes sunt æqualiter inuariabiles, durationes verò successiuæ non sunt æqualiter successiuæ, & variabiles, cum vnus motus sit velocior alio; Hoc etiam isti Scriptores dicunt eodem num. §. dicimus rationem mensuræ, vt confiteantur contradicentem doctrinam transcripsisse.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Tempus pro mensura formaliter est ens rationis simpliciter; pro materiali est ens reale.

Elicitur ex Sco. 4. dist. 48 q. 2. G. H. & quol. 13. N.

PRo cuius declaratione Not. primò, quòd tempus propter sui minimam entitatem est nobis valdè immanifestum; Vnde D. August. ii. confess. cap. ii. dicit. Domine vsq; nunc nescio quid sit tempus; Tamen quia in rerum natura reperitur tam ens, permanēs, quàm successiuū, istud successiuum vocamus tempus, quod est duplex (vt alias dictum est) intrinsecum; & extrinsecum; Tempus intrinsecum est duratio cuiuslibet motus, seu existentia motus apta *Duplex Tempus.*

ad coexistendum alteri successiuo; Tempus extrinsecum est mensura motus, & est motus primi Cœli, à quo omnes motus propter eius conditiones mensurantur, quod tempus extrinsecum est duplex ex Sco. quol. ii. f. Vnum reale, & positiuum, vt motus primi Cęli. Aliud imaginarium, & priuatiuum, & est fluxus, seu motus possibilis, qui posset inter duo instantia imaginata percipi; Vnde si non esset motus primi Cæli, intellectus habens notitiam temporis actualis,& positiũ applicando eam ad aliquem motum, posset cognoscere quantitatem ipsius, scilicet, quod talem haberet positiuè, si esset tempus positiuum.

Secundò Not. quòd tempus ab Arist. ponitur in genere quantitatis, cuius species sunt quantitas permanens,& successiua, quantitas permanens est illa, quæ habet partes simul, vt linea, superficies, & corpus; quantitas successiua est cui repugnat habere partes simul, sed vna alteri succedit transeundo, & sunt in continuo fluxu, cuius partes sunt tres, præsens, præteritum, & futurum, quæ sunt copulatæ per instans, quod solum est simul, quia indiuisibile non habet partes, secundum quas possit esse fluxus, & hoc loquendo de tempore extrinseco, & pro mensura, quia si esset sermo de tempore intrinseco, & pro duratione, cum hoc non sit materialiter, nisi motus, eius partes significatæ per præteritum, præsens, & futurum copulantur per mutata esse.

Tertiò Not. quòd tempus extrinsecum, seu pro mensura ex Scoto 4. dist. 48. q. 2. G. H. non est in motu Cæli, sicut vna quantitas in alia quantitate, quia non oportet ponere duas tales quantitates in eodem subiecto permanente, quarum vna sit, quasi subiectum, & alia quasi passio, ergò tempus vltra motum, vt motus includit propriam successionem, non addit, nisi rationem mensuræ formaliter, & fũdamentaliter rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum, quæ sunt vniformitas, seu regularitas, quia mensura est quid certis-

tissimum, & velocitas, quia mensura est quid minimum, & ideò tempus non erit passio primi motus, nec ratio mensuræ in nullo alio motu fundamentaliter, quia nullus alius motus, præter motum primi Celi, habet rationes fundamentales, quæ ad rationem mensuræ requiruntur; Vnde motus pro mensura importat pro materiali motum primi Cœli, connotando in motu regularitatem, & velocitatem, & pro formali importat relationem mensuræ; In proposito est sermo de tempore pro materiali, quatenus est quantitas successiua, & de tempore pro formali; Circa cuius existentiam actualem variæ sunt opiniones Doctorum; Nam aliqui dicunt tempus existere per instans; sed hoc non, quia instans nihil est temporis, & totum simul, cum sit indiuisibile, vnde si tempus existeret per instans, tempus simultaneam haberet existentiam, quod suæ entitati successiuæ repugnat; Aliqui dicunt existere actualiter per partem priorem, & posteriorem, & hoc non, quia cum vna alteri succedat, semper vna succedente, alia præteriit, & non est, vt dictum fuit in primo cap. & sic per partem non existentem existeret; Sed dicitur existere tantum per partem præsentem, dum fluit, quæ pars determinatè assignari non potest, cum vnaquæque sit diuisibilis in infinitas partes, sed dicendum est, quòd est illa, quæ immediatè existit post instans, & dicitur immediatè existere post instans, quia inter ipsam, & instans nullum est medium; Vnde partes temporis sunt præsens, præteritum, & futurum, ex quibus constituitur vnum tempus, quod cum sit continuum, debet constitui ex pluribus partibus continuatis, ad cuius existentiam sufficit, quòd vna pars existat, quia non est permanens, sed successiuum.

Quæ sint cõditiones ad mensurandum.

Per quid Tempus dicatur existere.

Quartò Not. quòd mensura est duplex, Vna essentialis, alia accidentalis; Mensura essentialis, seu quidditatiua est illa, quæ mensurat quidditatem, seu quantitatem virtutis, quæ est perfectio essentialis à qua scilicet mensuratum de-

Quotuplex mensura, & quid sit.

pendet per participationem, vel per imitationem ex Sco. quol.13.N.sed ly *vel* non accipitur diuisiuè, vt accipiunt Meld,& Cat.in hac disp.num.42. quasi quod detur mensura per participationem, quæ non sit per imitationem, vel quod possit dari mensura per imitationem, & non per participationem, vt præcitati Doctores dicunt, ponentes Deum esse mensuram per participationem, obiectum verò per imitationem, hæc enim doctrina est contra Scotum quol. cit.qui §.Vlterius &c. ponit actum cognoscendi participare perfectionem ab obiecto, quia imitatur ipsum, sed peculiari modo, scilicet sicut Ideatum imitatur Ideam; Vnde tam Deus respectu creaturæ, quam obiectum respectu scientiæ dicitur mensura per participationem, & imitationem, quia omne quod dependet in esse ab alio, participat entitatem illius, & illam imitatur, diuersa tamen est imitatio, & similitudo Creaturæ ad Deum ab imitatione, & similitudine, quam habet scientia ad obiectum; Vnde ly *vel* accipitur coniunctiuè, & per consequens mensura essentialis, & quidditatiua dicitur mensura per participationem, & imitationem, sine qua mensuratum non potest esse; Mensura accidentalis est quæ per applicationem, vel coextensionem mensurat, à qua mensuratum non dependet in esse; Vt vlna est mensura panni, quantitas autem panni non dependet à quantitate vlnæ, & hoc modo solùm motus primi Cęli acceptus secundum suam extensionem successiuam cum relatione mensurationis ad alios motus est mensura eorum per applicationem, vel coextensionem, non autem per terminationem dependentiæ essentialis eorum, quia motus inferiores possunt esse sine motu Cœli, patet ex D.Augustino ij.Confess.quod stante Cęlo moueretur rotula figuli, & Iosue pugnauit stante Sole, & Luna, & per consequens toto Cœlo, quia fuisset nimia irregularitas in corporibus Cœlestibus, si stante Sole, & Luna, alia corpora Cœlestia mota fuissent. Item dici po-

ci potest, quòd mensurà accidentalis sit illa, quæ fit per accessum, vel recessum alicuius quantitatis, siue accidentalis, siue essentialis, vt cum vna quidditas dicitur mensura alterius, à qua non dependet in esse. V. G. quidditas albedinis est mensura aliarum quidditatum sub genere coloris; Vnde generaliter mensura essentialis est, à qua mensuratum dependet in esse. Mensura verò accidentalis est, à qua mensuratum dependet in esse; Mensura verò accidentalis est, à qua mensuratum non dependet in esse: Sine mensura essentiali non potest esse mensuratum; Sine mensura accidentali mensuratum potest esse; Et vtraque mensura tàm essentialis, quàm accidentalis dicitur mensura in cognoscendo, siue actualiter, cum actualiter mensurat, siue aptitudinaliter, & potentialiter, quando consideratur in actu primo, & vt in potentia ad mensurandum, vt expressè patet ex Scoto quol. 13. N. & ex Arist. x. met. tex. 2. qui deffiniens mensuram in communi, dicit, quòd mensura est, qua quantum cognoscitur, & dat exemplum etiam de mensura in essendo, scilicet de vnitate respectu numeri.

Quintò Not. quòd mensura debet esse vna Arist. x. met. tex. 2. non quòd vnitas sit mensura, sed illud cui conuenit vnum, ita Arist. loco cit. tex 7. contra Platonem, quod etiam considerauit Scotus 1. dist. 8. q. 3. x. Secundò debet esse indiuisibilis non simpliciter, quia vt dicit Arist. tex. 3. loco cit. in lineis vtuntur pedali tanquam indiuisibili, sed dicitur indiuisibilis, idest minima, quia mensura debet esse minor quantitas, per quam maior dignoscitur, ita elicitur ex Sco. 4. dist. 48. q. 2. H. & ex Arist. x. met. tex. 4. quæ mensura indiuisibilis non est talis ex natura rei, sed ex beneplacito hominis determinantis mensuram, solùm vnitas constituens numerũ est indiuisibilis, & ex natura rei mensura determinata. Tertiò debet esse certissima ex Aristot. x. met. loco cit. quia per ipsam debemus aliud cognoscere. Quartò debet esse homogenea, quia, vt inquit Arist. loco *Conditiones mensuræ.*

cit.

cit.tex.4.mensura debet semper esse eiusdem generis, magnitudo enim magnitudine, longitudo longitudine, grauitas grauitate mensuratur, & hoc verum est de mensura quacunque creata, siue sit mensura essentialis, siue accidentalis; Si verò intelligatur ly *eiusdem generis* idest eiusdem rationis, tunc est verum simpliciter de quacunque mensura etiam increata, quæ est Deus, qui est mensura omnium entium ex Sco.1.dist.8.q.3.X.quia omne quantum mensuratur vt quantum à mensura vt quanta siue quantitate essentiali, & virtutis, siue quantitate accidentali, & extensiua: In proposito motus primi Cœli est vnus, quia est ens, cui competit esse vnum; est indiuisibilis quia velocissimus, & per consequens minimus; Est certissimus quia regularis, & vniformis; Est homogeneus, quia est eiusdem generis cum motu mensurato, cum vterque sit motus, & quantitas successiua; Et quia motus primi Cœli non habet partes ex natura rei determinatas, per quas motus inferiorum possint mensurari, ideò intellectus humanus illas determinat, diuidendo motum primi Cœli, in vigintiquatuor partes, & illas in alias determinatas, vt notum est apud Astrologos; Vnde motus primi Cœli dicitur tempus, & mensura motuum inferiorum in potentia remota quatenus est vniformis, & velocissimus, quæ sunt conditiones ad mensurandum; est verò in potentia proxima, quatenus est ab intellectu determinatus secundum partes, ideò dependet ab intellectu, vt est mensura in potentia proxima, quare tempus pro mensura est ens reale fundamentaliter, quia est motus primi Cœli, ac etiam quo ad rationes mensurandi, quæ sunt regularitas, & velocitas; secundum quas ab intellectu non dependet, Vndè dependet ab intellectu totum quo ad esse formale mensuræ in ipso primo motu fundata, quia talis ratio formalis est relatio rationis simpliciter, vt statim dicetur.

Motus Cœli habet omnes conditiones ad mensurandum.

Sextò Not. quòd mensura nullam relationem importat

ad

ad mensurabile, siue realem simpliciter; siue realem secundum quid ex Aristot. 5. met. tex. 20. & Sco. 4. dist. 48.q.2.I & quol.13. N. sed in tantùm dicitur relatiuè ad mensurabile, vel mensuratum, quatenus mensurabile, vel mensuratum ad ipsam refertur: Est tamen hæc differentia inter relationem mensurati ad mensuram, & mensurabilis ad mensuram ex Sco. loco cit. quòd relatio mensurati ad mensuram est relatio realis secundum quid, quia est inter extrema vt actu cognita: Relatio verò mensurabilis ad mensuram est relatio realis simpliciter, quia est inter extrema secundum esse reale, & non secundum esse cognitum propter hanc rationem tantum vocat Sco. illam relationem realem simpliciter licet non habeat omnes conditiones requisitas ad relationem simpliciter, quarum vna est, quòd sit inter extrema actualiter existentia cuiusmodi est relatio scientiæ ad scibile, quod scibile licet non existat actualiter, vt patet in cognitione abstractiua, attamen illa cognitio dicit ad scibile non actualiter existens relationem realem simpliciter, per hoc solum quòd illa relatio est inter extrema secundum esse reale, & non secundum esse cognitum: Vnde in mensura nulla est relatio nisi rationis simpliciter facta per actum comparatiuum intellectus, & in tantum mensura siue essentialis, siue accidentalis dicitur realiter mensura quatenus terminat relationem realem mensurati, vel mensurabilis ad ipsam, & sic mensura formaliter secundum denominationem intrinsecam erit tantum ens rationis simpliciter: Secundum verò denominationem extrinsecam erit ens reale, sicuti Creator denominatione intrinseca dicitur Creator per relationem tantum rationis, denominatione verò extrinseca dicitur formaliter Creator per relationem realem Creaturæ ad ipsam terminatam.

Mensura nullam dicit relationem realē ad mensuratum.

Septimò Not. quòd mensurare ex Sco. 2. dist. 2.q.2.G. est quantitatem ignotam certificare per quantitatem magis notam

Quid sit mensurare

notam: Certificatio autem aliquando potest fieri per quantitatem existentem in re, vel imaginatione, sicut Artifex expertus per aliquam quantitatem, quam habet in sua imaginatione mensurat quantitatem quamcunque occurrentem: Si autem fiat per quantitatem existentem in re, hoc potest esse tripliciter: Vel per quantitatem excedentem, & tunc certificatur intellectus de quantitate minori per accessum eius ad quantitatem maiorem, vel recessum ab ea; Et hoc modo mensura ponitur in quidditatibus rerum, & mensura est perfectior ipso mensurato, & ista dicitur notior naturaliter ipso mensurato, sicut albedo ponitur mensura in genere colorum, & Deus dicitur prima mensura omnium, quæ sunt in quocunque genere. Secundo modo mensuratur per quantitatem excessam, quia quantitas nota minor est, & pars quantitatis maioris, quæ magis ignota est, & tunc illa quantitas minor per sui replicationem mensurat ipsum totum quantum maius, & hoc modo minor motus potest esse mensura maioris motus ex natura rei, tertio modo mensuratur quantitas ignota per aliquam quantitatem notam, distinctam, & æqualem sibi, & hoc fit per applicationem, seu suppositionem: Ex quibus elicitur, quod triplex est mensura scilicet perfectionis, adæquationis, & reduplicationis. Mensura perfectionis est illud, quod perfectius est in aliquo genere, de qua dicebat Arist. quod in quolibet genere est aliquod, quod est metrum, & mensura omnium in illo genere, vt albedo in genere coloris, homo in genere animalis; Mensura adæquationis est, quæ adæquatè continet mensuratum, vt quarta grani continet adæquatè granum; Mensura reduplicationis est illa, quæ per reduplicationem mensurat quantum maius, sicut vlna mensurat pannum.

Quot modis aliquid dicitur mẽsurari.

Triplex est mensura.

Ratio mẽsuræ solum durationi successiuæ conuenit.

Octauò Not. quod ratio mensuræ solum durationi successiuæ potest conuenire, & nullo modo permanenti, loquendo simpliciter de mensura durationis, & non de mensura

sura successiua, vt inquiunt Meld.& Cat. in hac disp. num. 47 quia nullus dubitare potest, quòd mensura successiua possit competere durationi permanenti, quia esset dubitare an duratio permanens possit fieri successiua; Ratio igitur mensuræ solum durationi successiuæ potest competere, & non permanenti, quia durationes successiuæ non vniformiter se habent, quia vnus motus potest esse tardus, & velox, & vnus alio tardior, & velocior, & licet sint æqualiter successiui; quia vnus motus non est magis successiuus alio, difformiter tamen se habent in successione secundum velocitatem, & tarditatem; Et ideò cum possit dari vna duratio successiua, & vnus motus regularis, & vniformis, ille poterit rationem mensuræ habere, permanentia autem cum sint æqualiter inuariabilia, unum permanens non potest esse notius alio secũdum rationem inuariabilitatis, & per consequens non poterit habere rationem mensuræ, quæ debet esse notior mensurabili, cum quantitas, & duratio mensurabilis certificetur per mensuram; His notatis.

Probatur Conclusio, quòd omnes partes secundum Scotum 4. dist. 48 q. 2. H. Tempus est motus primi Cæli, vt dicit rationem mensuræ; Sed motus primi Cæli est ens reale, & ratio mensuræ in motu est tantum relatio rationis simpliciter; ergo tempus pro materiali est ens reale, pro formali est ens rationis simpliciter; maior patet secundum comuniorem sententiam Philosophorum; minor probatur quo ad secundam partem (quia prima pars per se patet, & conceditur ab omnibus) quia mensura est relatiuum tertii modi ex Arist. 5. met. tex. 20. Sed relatiuum tertii modi non dicitur ad aliud, nisi quia aliud ad ipsum refertur ex Arist. loco cit. ergò motus vt mensura nullam dicit relationem ad mensuratum vel mensurabile, nisi quia mensuratum, vel mensurabile ad ipsum refertur; ergo si mensura dicit aliquam relationem, illa tantum erit rationis simpliciter.

Dicerent Meld.& Cat, quòd verum est de mensura in es-

ſendo, & quidditatiua, non autem in cognoſcendo.

Tacita reſponſio cõfutatur. Contra. Menſura in eſſendo eſt menſura in cognoſcendo; ergò ſi menſura in eſſendo nullam dicit relationem realem; ergò nec menſura in cognoſcendo; Antecedens probatur, quia omnis menſura eſt per quam quantitas alterius certificatur, vel certificari poteſt; ergò menſura ſiue in actu primo, & in potentia, ſiue in actu ſecundo, quæcunque ſit, erit menſura in cognoſcendo.

Contra Concluſionem arguitur primò, quòd tempus nullo modo eſt ens. Partes temporis ſunt præteritum, & futurum, nam præſens eſt inſtans; ſed iſtæ partes non exiſtunt, nec ſunt entia; ergò nec tempus ex illis conſtitutum nullo modo eſt ens.

Reſpondeo, quidquid dicant Meld. & Cat. concedendo, quòd partes temporis ſunt præteritum, & futurum reduplicatiuè, ſed negatur, quòd præſens ſit ſolùm inſtans, quia poſt inſtans immediatè ſequitur pars temporis, quæ dicitur præſens continuata per vnum inſtans cum parte præterita, & per aliud inſtans cum parte futura, non permanenter, ſed in fieri, & ſucceſſiuè; Vnde partes temporis ſunt præſens, præteritum, & futurum reduplicatiuè, quia de ratione ſucceſſiui eſt, quòd habeat partes non ſimul exiſtentes, ſed ſufficit, quòd vna pars ſuo modo exiſtat. Ad minorem concedo, quòd præſens, & futurum non exiſtunt, ſed negatur conſequentia, quia tempus exiſtit per partem præſentem, quòd ſufficit ad exiſtentiam ſucceſſiui, nec aliter poteſt eſſe, quia de ratione ſucceſſiui eſt, quòd non habeat partes ſimul exiſtentes, ſed eſt per vnam partem ſucceſſiuè exiſtentem: ſic tempus quod componitur ex parte præterita, præſenti, & futura, exiſtit per vnam partem ſucceſſiuè exiſtentem, ſcilicet per partem præſentem.

Secundò. Quòd conſiſtit in ordine non entis ad non

ens.

ens, non verè existit; sed tempus consistit in ordine non entis ad non ens scilicet præteriti ad futurum; ergò tempus non verè est ens.

Respondeo quicquid dicant Meld. & Cat. concedendo maiorem, sed negando minorem, quia tempus non est ens relatiuum, sed absolutum de genere quantitatis, ideò non consistit in ordine non entis ad non ens, cum ordo sit relatio, sed consistit in continuitate partis præsentis, præteritæ, & futuræ, quarum vna, scilicet pars præsens est ens, & existit suo modo, & sic negatur Consequentia.

Tertiò. Omne fieri ordinatur ad aliquod esse, quia prius natura est fieri, quam esse; sed tempus non habet esse post fieri, quia esset permanens: ergò tempus non est.

Respondent Meld. & Cat. ibi num. 32. negando quòd fieri præcedat esse, immò potius subsequitur esse. *Resp. Mel & Cat. cõfutatur.*

Contrà; ergò res prius est, quàm fiat, quod ridiculum est.

Ideò Respondeo absolutè, quòd omne fieri permanentium ordinatur ad esse permanens, & tale fieri præcedit natura tale esse; sed negatur, quòd fieri successiuorum ordinetur ad esse, & præcedat natura esse successiuum, quia fieri successiuorum est esse, & esse est fieri, & sic concessa minori, negatur consequentia. *Resp. Auctoris.*

Quartò. Si tempus esset; ergò esset corruptibile, sed omne corruptibile corrumpitur in tempore; ergò tempus in tempore corrumpitur, & sic esset processus in infinitum; ergò tempus nullo modo est ens.

Respondeo, quòd tempus non generatur, nec corrumpitur, quia generatio, & corruptio soli substantiæ competit, sed tantùm recipit, & desinit esse simpliciter; Non in tempore, quia temporis non est tempus, cum fieri, & destrui in tempore sit mensurari tempore; Vtique

omne aliud à tempore eſt, & deſinit eſſe in tempore; ſed tempus nec eſt, nec deſinit in tempore ſecundum ſe totum, & ſic negantur conſequentiæ.

Vel poteſt dici, quòd tempus eſt, & deſinit ſecundum ſe totum tempore imaginario, quia intellectus humanus cognoſcens diſtinctè motum Cęli, poteſt imaginari partem vniformem motus, & ſecundum illam per replicationem menſurare exiſtentiam, & deſitionem motus primi Cœli, tamen hoc modo non eſset proceſsus in infinitum, niſi in imaginationibus, quod fortè non eſt inconueniens.

Vel poteſt dici, quòd ſicuti ſecundum Sco. Tempus per partes eius poteſt menſurari realiter, quod ſecundum partes deſinit eſse in tempore, non tamen ſic ſequitur proceſsus in infinitum, quia ſi illa pars determinata menſurans tempus ab alia æquali, vel minori determinata menſuraretur, tandem finiretur, quia continuum non eſt diuiſibile in infinitas determinatas partes.

Argum. Meld. & Cat.

Quintò arguunt Meld. & Cat. in hac diſp. num. 43. ſuſtinentes tempus pro menſura actuali dicere relationem realem ſecundùm quid, & adducunt Sco. quol. 13. N. vbi habet, quòd actualis menſura dicit relationem cauſæ in cognoſcendo ad effectum in cognoſci; ergò tempus formaliter pro menſura non erit ſimpliciter ens rationis.

Falſificāt doctrinam Scoti.

Reſpondeo, quòd Sco. nec in loco cit. nec alibi aſserit menſuram in cognoſcendo dicere relationem cauſæ in cognoſci ad effectum in cognoſci, ſed è contra menſuratum dicere relationem dependentiæ in cognoſci ad menſuram tanquam ad cauſam in cognoſci.

Arguit Auctor cō tra ſeipsū.

Sextò. Arguo ego contra meam Concluſionem. Relatiuum tertii modi dicitur ad aliud, quia aliud ad ipſum dicit relationem; ſed menſurabile eſt relatiuum tertii modi; ergò menſurabile dicitur ad menſuram, quia menſura dicit relationem ad ipſum; maior, minor, & Concluſio

sio est Arist.5.met.tex.20. subinfero: sed relatio tertii modi est realis, vt patet ex Sco. quol. 13. N. ergò mensura formaliter dicit relationem realem, & non rationis simpliciter.

Explicatio tex. Arist. non soluit dubitationē.

Respondeo, quòd omnes expositores, quos vidi, dicunt mensurabile, & scibile esse tertii modi relatiua, non quia inter extrema non est mutua relatio, sed tantùm in vno extremo, & loquendo de mensurabili, & mensura, asserunt quòd relatio est in mensurabili, & non in mensura; sed non soluunt difficultatem, quia Arist. in eodem tex. replicando relatiua tertii modi, replicat mensurabile, scibile, & intelligibile, & dicit, quòd hæc sunt relatiua, non quia dicant relationem ad aliud, sed quia aliud dicit relationem ad illa, & per consequens mensurabile secundum tex. Arist. relatiuè dicitur ad mensuram, quia mensura dicit relationem ad mensurabile.

Nec valet dicere, quòd Arist. loquitur de mensura actuali, & accipit ibi Arist. mensurabile pro mensurato, quia Arist. loquendo de mensurabili, & mensurato, loquitur de relatiuis, quæ referuntur per relationem realem simpliciter ex Sco. quol. 13. N. sed relatio, quæ est inter mensuram actualem, & mensuratum est tantùm relatio realis secundum quid ex Sco. loco cit. ergò Aristot. non loquitur de mensura actuali, sed aptitudinali, vt expresè docet Sco. quol, cit.

Responsio Auctoris.

Ideò dico, quòd tex. Arist. est corruptus, debet enim dicere: *Quædam vt mensura ad mensurabile, & scibile ad scientiam*, vt legit Auerroes Commentator Arist. quem ingenti gaudio legi, & perlegi in córpore illius tex. & sic argumentum potius est pro mea conclusione; Et sic concedendo maiorem, nego minorem, quia Arist. dicit, quòd mensura est tertii modi, non mensurabile, & per consequens mensura nullam dicit relationem realem, sed tantum rationis.

Quod

Quod verò textus sit corruptus, patet non solùm ex Commentatore, sed ex expositoribus, quos vidi, asserentibus mensurabile dicere relationem ad mensuram, non è conuersò, & maximè Scotus 4.dist.48.q.2. H. explicando illum textum Arist. dicendo. quòd mensuratum tale dependet à mensura tali ex Arist. 5. met. tex. 20. & accipit ly mensuratum pro mensurabili, vt se explicat quol.13.N. & præcipuè littera. M. vbi pro eodem accipit mensuratum, & mensurabile, habet enim hæc verba. *In speciali autem videtur esse duplex relatio actualis in isto actu ad obiectum; Vna potest dici relatio mensurati, vel verius mensurabilis ad mensuram &c.* Hæc Scotus, qui relationem mensurabilis ad mensuram vocat actualem, quia est actualis dependentia mensurabilis ad mensuram in entitate, vt est dependentia scientiæ ad obiectum, hæc verò relatio actualis dicitur aptitudinalis in ordine ad actualem mensurationem, & certificationem intellectus, quia mensurabile in entitate, de quo loquitur Arist. & Sco. præcipuè est, cuius quantitas potest certificari, & cognosci per mensuram, à qua actualiter dependet in cognoscibilitate.

Sed quod magis mihi certificat textum esse corruptum, est, quia Arist. in eodem textu ponit mensuram esse relatiuum tertii modi, & non mensurabile, quia ibi dat exemplum de mensurabile, & scibili, subinfero; sed scibile est mensura, & non mensurabile; ergò dicit mensuram esse relatiuum tertii modi, & non mensurabile; ergò dicendo, quòd scibile dicitur ad scientiam, quia scientia dicit relationem ad scibile, ait mensuram dici ad mensurabile, quia mensurabile dicit relationem ad mensuram.

Arguit Auctor cõtra seipsũ.

Septimò. Arguo etiam pro ipsis, quòd mensura actualis dicit relationem realem saltem secundum quid ad mensuratum. & non solùm mensuratum dicit relationem ad mensuram. Nam Scotus quol.13. N. dicit relationem mensurati ad mensuram non esse tertii modi; ergò habet in ter-

termino mutuam relationem, aliter relatio mensurati ad mensuram esset tertii modi, quòd est contra Scotum.

Respondeo, quòd ibi Sco. tacitæ obiectioni satisfacit; Nam cum determinasset relationem mensurati ad mensuram esse relationem realem, non simpliciter, sed secundum quid, quia est inter extrema secundum esse cognitnm, posset obiici, quòd relatio mensurati ad mensuram est relatio tertii modi, quæ est relatio realis simpliciter, qualis est relatio scientiæ ad obiectum. Respondet quòd ibi Arist. inter relatiua tertii modi non connumerat relationem mensurati ad mensuram, sed .nensurabilis ad mensuram, quæ est realis simpliciter, ideò cum fundamento Aristot. non possumus asserere relationem mensurati ad mensuram esse relationem simpliciter realem, non est tamen de ratione relationis tertii modi, quod sit realis simpliciter sed solum quòd non habeat in termino mutuam relationem, siue illa relatio sit realis simpliciter, siue realis secundum quid, vt patet ex Arist. in illo tex. vbi habetur, quòd relationes tertii modi ad aliud dicuntur solùm, quia terminant relationem alterius.

Vnde ad argumentum dico, quòd Scotus non negat relationem mensurati ad mensuram esse tertii modi, sed quòd Arist. non dicit relationem in tertio modo esse mensurati ad mensuram, sed mensurabilis ad mensuram, quia Arist. enumerat tantum illas relationes reales simpliciter, quæ habent huiusmodi modum, hoc tamen non obstat quin aliæ relationes secundum quid reales habeant eundem modum referendi, cuiusmodi est relatio mensurati ad mensuram, & maximè in doctrina Scoti, qui assignando relationem inter mensuram, & mensuratum, semper assignat ex porte mensurati tantum, eò quia mensuratum dependet à mensura.

Octauò. Philosophia non versatur circa ens rationis, aliter

aliter non esset ſcientia realis, ſed rationalis; ergò tempus non erit ens rationis.

Reſpondeo ad antecedens, quòd Philoſphia non verſatur circa ens rationis principaliter, & præcisè, quia ſic non eſſet ſçientia realis, ſed rationalis, cuiusmodi eſt Logica, quæ conſiderat tantùm quidditates ſecundarum intentionum, & entis rationis, tamen Philoſophia versatur circa ens rationis tantùm minus principaliter, quatenus concomitatur ens reale, quod principaliter conſiderat; Vnde ſcientia realis poteſt conſiderare omnia, quæ aduenium enti reali, ſiue illa ſint realia; ſiue rationis; Et ſic negatur Conſequentia.

Nonò. Menſura debet eſſe homogenea menſurato; Sed tempus eſt menſura motus, qui eſt ens reale; ergò tempus debet eſſe reale.

Reſpondeo, quòd menſura debet eſſe homogenea menſurato ſecundum illud, quod importat materialiter, & ſecundum eſſe reale, non autem ſecundum illud, quod importat formaliter, ſicut cauſa vniuoca debet eſſe ſimilis effectus, & tamen cauſa ſecundùm ſuum eſſe formale, quod eſt relatio cauſæ ad effectum non aſſimilatur effectui, ſed tantùm aſſimilatur ſecundum illud, quod importat materialiter, & fundamentaliter, non formaliter.

Decimò. Arguit Toletus 4. Phyſ. q. 15. ſuſtinens tempus non eſſe formaliter ens rationis, ſi tempus formaliter eſt ens rationis; ergò eſt in aliqua ſpetie entis rationis, nā à forma ſumitur tempus; ergò non erit in prdicamento quantitatis, quod eſt ens reale formaliter.

Reſpondeo ad Conſequentiam, quòd cum tempus ſit relatiuum, & concretum, pro formali dicit relationem rationis menſuræ ad motum menſuratum, & pro materiali dicit motum primi Cæli, conotando regularitatem, & velocitatem, vt dictum eſt in Not. ideò cum hoc relatiuum importet entia diuerſæ rationis, non poteſt reperiri in una ſpecie, & in vno præ-

prædicamento, sicut album in nullo vno est prædicamento, sed tantùm secundum esse formale est in genere qualitatis & secundum suum esse materiale, & fundamentale est in genere substantiæ, si connotabit substantiam; sic in proposito tempus secundum esse formale est in specie mensuræ per coextensionem, cuius genus est mensura in communi, quæ ponitur sub genere generalissimo secundæ intentionis; si verò consideratur fundamentaliter, & materialiter, tunc erit in genere quantitatis, & in specie quantitatis, & in specie quantitatis continuæ successiuæ.

Vndecimò. Si tempus formaliter est ens rationis: ergo cessante operatione intellectus non erit actu tempus, sed potentia, quòd est falsissimum, quia tunc motus elementorum non fierent in tempore, nisi intellectus actu aprehenderet tempus, quòd assertum indignum est Philosopho, cùm tempus, & motus sint entia realia, & passiones entis naturalis.

Respondeo ad Consequentiam concedendo, quòd cessante intellectus operatione, non esset actu tempus, & nego, quòd hoc sit falsum, nec est inconueniens, & indignum Philosopho asserere, quòd motus elementorum non fierent in tempore, accipiendo tempus pro mensura actuali, sicut non est indignum asserere, quòd nulla mensura actualiter datur, nisi quando intellectus per mensuram actualiter certificatur de quantitate alterius; Et tempus dicitur passio, seu accidens entis naturalis secundum esse materiale, non secundum esse formale, quia tempus, vt dixi in Not. cum Sco. nihil addit supra motum, nisi rationem mensuræ, quæ dicit tantum in eo, quòd est mensura relationem rationis simpliciter.

XII. Probat cum Alberto, quòd tempus non est ab anima quantum ad determinationem partium, secũdum quam tempus dicatur mensura; Nam si res est mensurabilis ab intellectu: ergò aliquod est in rebus, ratione cuius res sit

numerabilis, sed hoc non destruitur, destructo intellectu, sicut visibile non destruitur destructo visu; ergò non destruitur tempus, quia tempus nihil est, nisi illud, per quod motus dicitur mensurabilis, cum tempus non sit numeratus in anima, sed in re, scilicet in motu.

Respondeo ad consequentiam, quòd in tempore est aliquid, ratione cuius est numerabilis, & determinabilis ab intellectu, sed hoc est entitas ipsius motus, quod non destruitur destructo intellectu, sed non sequitur, quòd non destruatur tempus in potentia proxima, & negatur quòd tempus pro formali sit illud, per quod motus dicitur numerabilis, & licet tempus sit numeratus in re, est tamen numeratus ab anima determinante partes in motu primi Cæli.

XIII. Ita se habet sensibile ad sensum, sicut numerabile ad animam numerantem; sed ablato sensu, non aufertur sensibile; ergò ablata anima non aufertur numerabile; ergò non aufertur tempus.

Respondeo concedendo argumentum, negando solum vltimam consequentiam, quia tempus pro mensura actuali non est motus numerabilis, sed numeratus, & determinatus inter duo indiuisibilia, vt dicetur in Conclusione de definitione temporis; Tempus autem, vt mensura in potentia remota vtique potest esse, ablata anima; Si verò accipiatur vt mensura in potentia proxima, non potest esse tale, nisi ab anima determinante partes, per quas possit cognoscere quantitatem alterius motus.

XIV. Secluso intellectu, in motu est prius, & posterius; ergò secluso intellectu, est tempus.

Respondeo ad antecedens, quòd secluso intellectu, est prius, & posterius indeterminatum, cum vnaquæque pars sit tempus, & diuisibilis in infinitas partes, quarum vna est prior, altera posterior, sed negatur quòd secluso intellectu, sit prius, & posterius determinatum, quod non potest esse nisi per intellectum determinantem, vt possit terminari

de

de quantitate alterius successiui; Et sic negatur consequentia, quia tempus est quod habet prius, & posterius determinatum, à quo alter motus dependeat in cognosci.

CONCLVSIO QVARTA.

Tempus extrinsecum, & pro mensura non est realiter distinctum à motu primi Cæli.

Est Sco.4. dist.48.q.2.G.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld.& Cat. eandem sustinent opinionem in hac disp. num.37.& 44.sed in eorum doctrina non potest sustineri; Nam in hac disp.num.34. & inde sustinent tempus intrinsecum, vt est vna species adæquata durationis, dicit durationem, & existentiam rei transeuntis, vt abstrahit à re transeunte in instanti, & successiuè. *Opinio Meld. & Cat.*

Tunc sic arguo. Tempus extrinsecum non addit suprà tempus intrinsecum nisi rationem mensuræ; sed tempus intrinsecum non est motus; ergò tempus extrinsecum non est motus; maior probatur, quia si tempus extrinsecum diceret aliquid aliud realiter vltrà rationem mensuræ distinctum à tempore intrinseco; ergò tempus intrinsecum, & extrinsecum realiter essent distincta; ergò si etiam tempus extrinsecum esset solùm in motu primi Cęli, realiter ab illo motu distingueretur; minor est ipsorum loco cit. quia tempus intrinsecum secundum ipsos abstrahit ab instantaneo, & successiuo; ergò non erit formaliter successiuum; ergò non erit motus, quia quod abstrahit à successiuo non est successiuum. *Cõfutatur.*

Si dicant, quòd tempus extrinsecum non aptatur durationi, & tempori intrinseco in communi, sed tantum tempori intrinseco successiuo, cui potest competere ra-

tio mensuræ.

Tacita Responsio cõfutatur. Contrà ergò erunt duo tempora extrinseca specie distincta, quòd est falsum, & contra Arist. Probatur consequentia. Omne tempus intrinsecum, quòd potest habere rationem mensuræ, potest dici, & esse tempus extrinsecum: sed duratio instantanea est tempus intrinsecum secundum ipsos, & habet rationem mensuræ respectu raptim transeuntium; quia mutatum esse mensuratur instanti, similiter est mutatio, vt generatio; ergò duratio instantanea erit tempus extrinsecum; ergò duo tempora extrinseca specie distincta. Hanc vltimam consequentiam probo, quia secundùm istos tempus intrinsecum diuiditur in Durationem instantaneam, & successiuam, vt in duas species durationis in communi; ergò dabitur tempus distinctum realiter à motu, & à motu primi Cœli; In hæc absurda incidunt, quia sustinent contra doctrinam Arist. & Scoti durationem instantaneam esse speciem temporis, quod est absurdissimum.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Tempus extrinsecum & pro mensura non est realiter distinctum à motu primi Cæli.

Est Sco.4.dist.48.q.2.G.

PRo cuius declaratione Not. Primò, quòd cum tempus possit dupliciter considerari; Vno modo pro materiali, & sic non est, nisi motus; Alio modo pro formali, & sic non est nisi relatio rationis simpliciter mensuræ ad motum mensuratum, & consequenter motus erit duplex. Alter regularis, vniformis, & velocissimus; & est motus primi Cœli; Alter irregularis, difformis, & non velocissimus, vt sunt alii motus Creaturarum; In proposito

cùm

cùm dico, quòd tempus est motus, intelligo de tempore pro materiali, & de motu primi Cæli; Et licet motus Angeli possit esse vniformis, & velocior motu primi Cæli, attamen quia est inuisibilis & in se, & ratione subiecti, non potest cognosci, sicut motus primi Cæli, & per consequens non posset esse tempus pro mensura, quia mensura debet esse notior mensurato, certificatur enim per ipsam quantitas mensurati, vt dictum est in præcedenti conclusione.

Secundò Not. quòd tempus extrinsecum potest accipi dupliciter; Vno modo propriè, & est illud, quod est propriè omnium motuũ mensura, & est motus habens omnes conditiones ad mensurandum, vt motus primi Cæli; Alio modo impropriè, & est quilibet motus per quam possumus certificari de quantitate alterius motus; Vt cùm dicimus Prædicationem durasse, quanta fuit deambulatio circa totam Ciuitatem, ille motus prædicationis mensuratum per motum deambulationis, & per motum progressiuum; Immò motus primi Cæli mensuratur motu progressiuo, vel motu horologii; Vt cùm dicimus motum horarium primi Cæli esse tantum, quantus est motus progressiuus circa Ciuitatem, vel quantus est motus horologii ab hoc signo ad aliud determinatum signum; Sed isti motus particulares certificantes alios motus dicuntur tempora impropriè, non solum quia non habent conditiones prædictas necessarias ad mensurandum, sed quia sunt signa motu primi Cæli, quia in tantum motus progressiuus circa Ciuitatem dicitur vnius horæ, quia fuit mensuratus à motu horologii V. G. & motus horologii dicitur vnius horæ, quia est mensuratus à motu primi Cæli; Vnde omnes isti motus inferiores, qui possunt dici impropriè tempora, sunt signa motus primi Cæli, per quam quãtitas aliorum motuum certificatur, vt si per Vlnam mensuraretur pannus sine replicatione, possumus vlnam impropriè mensurare, dicendo, quod tanta est vlna quantus est pannus, sed quantitas panni non erit propriè mensura,

Tempus extrinsecũ potest accipi dupliciter.

sed

sed signum quantitatis vlnæ magis notæ.

Tertiò Not, quòd cum de ratione mensuræ sit certitudo, & per consequens illud, quod est magis notum accipiatur pro mensura, per quam aliud certificatur, non defuerunt aliqui, qui dicebant motu Solis & Lunæ esse propriissime tempora, cum sint magis noti, & eò maxime quia etates, & durationes rerum mensurantur per motum solarem, ac etiam per annos, menses, dies lunares, tamen dicendum est, quòd motus primi Cæli, quàm motus alterius orbis magis propriè dicitur tempus, quia motus planetarum sunt ab occidente in orientem, & non sunt ita veloces sicut motus primi Cæli, nam Luna mouetur in mense, Sol in anno, & alii aliis temporibus, primum autem mobile complet motum quotidie rapiens secum omnes orbes; Vnde dies, noctes, menses, & anni non distinguuntur per motum naturalem Solis, & Lunæ, sed per motum raptum, qui est motus vniformis motui primi Cæli, & à motu primi Cæli dependet, & ideò motus raptus Solis, & Lunæ magis notus erit potius signum motus primi Cæli, qui est propriè tempus, & omniū motuum mensura; nam valet dicere, quòd motus raptus Solis, & Lunæ est tantus, quantus est motus naturalis primi Cæli, & quia primum Cælum sic rapit vniformiter orbes, quorum motus cum non sint ex se velocissimi, quia minus spatium transeunt, quàm primum mobile, nec regulares, & vniformes ex natura sua; sed dependenter à primo mobili, non poterunt dici propriè tempora, licet sint magis noti, dicuntur tamen magis noti nobis confusè, non distinctè, quia non possumus distinctè cognoscere motum raptum Solis, & Lunæ, nisi sciamus motum primi mobilis esse tantum, & sic vel sic rapere orbes, & sic quantitas motus rapti distinctè cognoscitur per motū naturalē primi mobilis, Vnde est magis nobis certus motus naturalis primi mobilis, quā motus raptus Solis, & Lunæ, cū sit certior causa suo effectu; His notatis

Motus Solis, & Lunæ nō sunt propriè tempora.

Probatur Conclusio. Quòd non addit alicui, nisi relatio-

nem

nō rationis, ab illo non distinguitur realiter; Sed tempus pro mensura non addit motui primi Cæli, nisi relationē mensuræ, quæ est rationis simpliciter, vt dictum est in præcedenti Conclusione, ergò tempus pro mensura non est realiter distinctum à motu primi Cæli, Maior patet, & minor est Scoti 4. dist. 48. q. 2. G.

Præterea secundò. Tempus est mensura motus, quia mensura, & mensuratum, vt dixi alias cum Arist. debent esse eiusdem generis; Sed nullus motus potest esse talis mensura, nisi motus primi Cæli; ergò tempus non est realiter distinctum à motu primi Cæli; minor subsillata probatur, quia solum motus primi Cæli habet conditiones requisitas ad mensurandum, quæ sunt vniformitas, & velocitas.

Contrà Arguitur primò auctoritate Arist. 4. Phys. 94. 95. & 96. vbi habet tempus non esse motum; ergò falsa conclusio. *Argumentum.*

Respondent Meld. & Cat. in hac disp. num. 37. quòd Arist. loquitur de tempore pro mensura in ordine ad motus, quos mensurat, ita quod sensus Arist. est, quod tempus non est ille motus, quem mensurat. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc responsio est contra Arist. vt videre est in tex. cit. & tex. 101. & 102. vbi loquitur de motu primi Cæli, & in quo fundatur ratio mensuræ, quando dicit tempus non esse motum, & tex. 93. reddens rationem, quare tempus non est motus primi Cæli. inquit, quòd tunc si essent plures Cæli, essent plura tempora; ergò loquitur de motu primi Cæli, non de motu, quem tempus mensurat. *Cõfutatur*

Ideò Respondeo, quòd Arist. loquitur de tempore in ordine ad motum, qui fundat relationem rationis mensuræ, non in ordine ad motus, quos mensurat, ita quod vult ostendere, quòd motus primi Cæli non est tempus, vt est motus simpliciter, sed vt est motus numeratus. idest determinatus inter duo indiuisibilia, quorum vnum est prius, alterum posterius, & sic negatur consequentia: hec enim sunt *Responsio Auctoris.*

verba Arist. *Non ergò motus tempus est, sed quatenus numerum habet motus*; Vnde tempus addit supra motum primi Cœli determinationem partium factam ab anima, secundum quam est mensura in potentia proxima; Vnde tempus pro formali est aliquid ipsius motus, quia dicit in motu relationem rationis mensuræ, vel non repugnantiam ad terminandam relationem dependentiæ mensurati ad ipsam in esse cognito, præsupponendo in eodem motu determinationem partium.

Secundò, si tempus esset motus primi Cœli, sequeretur, quòd plura essent tempora quod est impossibile; probatur consequentia, quia si essent plures primi Cœli, tunc darentur plures primi motus, & sic plura tempora.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. sequentes Iandunum q. 148. 4. Phys. quòd tunc Arist. arguit ad hominem contra Antiquos ponentes tempus esse motum primi Cœli, & tamen habebant pro impossibili plura esse tempora.

Responsio Auctoris. Ego autem dico, quòd non loquitur Arist. ad hominem, & argumentum similiter valere, quia licet, data hypotesi, possent esse plura tempora, quia intellectus posset quoscunque motus primos determinare secundum partes, vt mensuraret motus totius mundi, non tamen necessariò determinaret, ac propterea plura tempora non necessariò essent, sed tantùm contingenter, sunt igitur impossibilia plura tempora necessariò, sicut est impossibile Creaturam liberè agentem, & contingenter, necessariò agere, & necessariò numerare, & determinare partes motus primi Cœli; Est igitur intentio Arist. probare motum, vt sic simpliciter non esse tempus, quia si essent plures primi Cœli, darentur plures primi motus, ergò si motus, vt sic, esset tempus, tunc darentur necessariò plura tempora, quòd est impossibile, quia est impossibile dari necessariò plura tempora, cum tempus contingenter, & non necessariò dari possit, nam contingenter numeratur, & determinatur à Creatu-

tâ intellectuali motus primi Cœli :

Contra Arguo. Si darentur plures primi motus, Deus posset illos motus numerare, & determinare secundum partes; ergò necessariò numeraret, & determinaret, quia quicquid Deus potest intelligere, necessariò intelligit; ergò illi plures primi motus essent necessariò numerati; ergò plura tempora necessariò essent, quia tempus non est nisi motus numeratus. *Arguit Auctor cõtra seipsũ.*

Respondeo concedendo, quòd illi plures motus essent necessariò numerati, & necessariò tempora, & per consequens esent necessariò plura tempora, sed non ea necessitate, quæ ponitur ab Arist. si tempus esset motus, vt sic simpliciter, quia tunc plura tempora essent necesariò necessitate intrinseca, & ex natura rei; Sed si Deus illos motus necesariò numeraret, esent plura tempora necesariò necessitate secundum quid, & extrinseca, eò quia aliud à motu, nempè Deus talem necessitatem tribueret, quatenus necesariò intelligeret; Vnde Aristot. ad probandum tempus non ese motum, ducit ad hoc impossibile, quòd tunc necessariò esent plura tempora necessitate simpliciter, quòd est omninò impossibile, quia motus non est tempus, nisi mensuratus ab anima.

Præterea si Deus numeraret, & determinaret illos primos motus, illa numeratio, & determinatio non eset sufficiens ad hoc, vt illi motus esent tempora, & mensura in potentia, quia illa mensuratio non eset nota, nisi ipsi Deo, qui non potest mensurare cum cognoscat quantitatem cuiuscunque motus, debet igitur motus ese numeratus, & determinatus ab illo, qui mensurat, scilicet à Creatura, vt possit per motum ab ipsa numeratum, & determinatum secundùm partes cognoscere quantitatem alterius motus, ac propterea etiam impossibile eset dari plura tempora necesariò necessitate secundum quid.

Si dicas tunc pose Deum notificare creaturę illam numera-

merationem, & determinationem motuum. Dico; quòd sicut notificatio illa esset contingens, & libera, quia Deus notificat si vult, ita etiam illi plures motus essent tempora contingenter.

Tertiò. Potest idem motus Dei virtute reproduci, non verò idem tempus, quia ad præteritum non est potentia, & quia dies externus, & hodiernus essent vnus dies, quòd est falsum.

Respondeo negando consequentiam, & cum dicitur; quòd ad præteritum non est potentia. Respondet Sco. 4. dist. 43. q 3. ad consimile argumentum ex Arist. 6. Eth. approbantis dictum Agathonis, scilicet, quòd hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt, idest non potest facere ingenita, quæ facta sunt, sed non sequitur; ergò præterita non potest facere præsentia alia factione, non enim repugnat esse præsentia, quæ facta fuerunt, etiam si destructa fuerunt inter primam, & secundam factionem; Nec est inconueniens diem externum reproduci, & fieri hodiernum per aliam factionem, & sic dies externus, & hodiernus essent omninò idem dies realiter, & formaliter, differrent tamen secundum diuersam coexistentiam ad tempus diuersum imaginarium, scilicet differrent tantùm per fuisse, & esse.

Quartò Arguitur ex Scoto 2. dist. 2. q 2. E. nulla quantitas est eadem alteri quantitati, nisi partes vnius sint æquales numero, & magnitudine partibus alterius, sed partes motus non sunt ita æquales partibus temporis; ergò tempus est distinctum à motu; minor probatur, quia idem motus secundum easdem partes potest stare cum maiori, vel minori tempore, si motus fiat tardè, vel velociter; ergò partes motus non sunt æquales partibus temporis.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. num. 37. responsione adducta à Complutensibus, & ab Amico, & ab eisdem confutata, concedendo, quòd partes motus sunt æquales partibus

bus temporis extrinseci, non intrinseci, & pro duratione, Sco. autem loquitur de tempore extrinseco, non intrinseco.

Contra hanc responsionem arguit Amicus, probando, quòd Sco. loquitur de tempore pro duratione, non autem de tempore extrinseco, eo quia facit comparationem inter durationem motus, & durationem intrinsecam Angeli, & ait, quòd potest stare inæqualitas partium motus, & temporis. *Confutatur ab Amico.*

Respondent, quòd Sco. loquitur ex suppositione, quòd tempus distinguatur à motu realiter, & nihil dicunt ad rationem Amici probantis Sco. loqui de tempore pro duratione. *Respondet sed insufficienter.*

Respondeo ego ad rationem Amici, negando, quòd Sco. faciat comparationem inter durationem motus, & Angeli, sed inter mensuram motus, & mensuram Angeli eo modo, quo permanentia, & Angelus potest habere mensuram; Et respondet cuidam argumento probanti mobile, vt est sub motu, mensurari tempore, vt verò est ante motum habere mensuram propriam, quæ est *nunc* secundum substantiam, & dicit, quòd si in motu ponitur aliquid aliud à se, quòd sit mensura eius, hoc est quia tempus, quod est eius mensura habet partes inæquales motui, non propter hoc oportet ponere in permanenti vniformi aliud, quòd sit eius mensura, cum permanentia æqualiter sint inuariabilia, & si permanens aliquam mensuram habet, hæc non potest esse nisi Æuum, motus autem vltrà propriam durationem habet aliquid realiter distinctum eius durationem mensurans. *Responsio Auctoris.*

Respondeo itaque ad argumentum contra Conclusionem, quòd Sco. non loquitur ex suppositione, vt dicunt Meld. & Cat. sed dicit similitudinem non valere de mensura motus, & de mensura rei permanentis; Nam si mensura motus, vt tempus, est aliquod distinctum à motu, non

propter hoc debet poni mensura permanentis esse aliquod distinctum ab illo; Vnde concedo totum argumentum Sco. quod verum est,quia tempus est aliquid aliud à motu,quem mensurat, sed non à motu,qui dicitur mensura, de quo tantum procedit conclusio.

Quintò.Tempus reperitur in rebus quiescentibus in quibus non est motus, quies enim tempore mensuratur non solum per accidens, sed etiam per se ex Sco. 2. dist.2. q. 4. & è conuerso motus potest esse,quando tempus non est exScoto 4.dist.48.q.2 .H.I. ergò tempus non est motus.

Respondeo, quicquid dicant Meld. & Cat. malè deducentes responsionem suam ex Sco. quol. 11. f. §. ad tertium quòd vtique quies, in qua nullus est motus, mensuratur tempore positiuo, quia tanta est quies, quantus est motus, qui interciperetur coexistendo tempori mensuranti quietem; Si verò nullus esset motus etiam primi Cœli, tunc mensuraretur tempore negatiuo, & hoc est, quòd dicit Sco. quol. cit. Vnde licet in rebus quiescentibus non sit motus, est tamen motus primi Cœli, qui dicitur tempus, & sic negatur quòd sit tempus sine motu; Et cum dicitur ex Sco.4.loc.cit. quòd potest esse motus, quando tempus non est, conceditur, quia secundum Sco. & rectè, possunt esse isti motus interiores, etiam si primum Cœlum non moueretur, negatur tamen quòd possit esse motus primi Cœli numeratus, & determinatus, quin sit tempus; Et sic negatur consequentia, quia tempus est realiter motus primi Cœli numeratus, dicens formaliter mensuratiuitatem, seù non repugnantiam ad terminandam dependentiam alterius successiui in esse cognito.

Sextò. Tempus est effectus ipsius motus, quia prius, & posterius in tempore oriuntur à priori,& posteriori in motu; Sed esse, & effectus realiter distinguuntur; ergò tempus, & motus sunt realiter distincta.

Respondeo negando maiorem; Et cum probatur, dico quòd.

quòd prius, & posterius in tempore oriuntur à priori, & posteriori in motu, non quia verè efficiantur, quia partes temporis sunt omninò idem realiter cum partibus motus, & instans cum mutato esse, sed formaliter distinguuntur secundum rationem mensuræ, ac propterea variis nominibus nominantur, sed hoc ideò est, quia determinando prius, & posterius in motu primi Cœli, determinatur etiam in tempore, quia tempus est idem motus numeratus, & determinatus secundum prius, & posterius; Et sic concessa minori negatur consequentia, immò potius deducitur, quòd tempus, & motus sunt idem.

Septimò. In motu sunt plura indiuisibilia continuantia, in tempore est tantum vnum per Arist. 4. Phys. tex. 104. vbi dicit, quòd est idem nunc in toto tempore, & diuersum secundum esse; ergò tempus, & motus realiter distinguuntur.

Respondeo negando, quòd sit tantum vnum nunc, & instans in toto tempore, quia cùm partes temporis sint continuatæ per instans, plura sunt instantia, immò inassignabilia, sicut inassignabiles sunt partes temporis; Et cùm dicitur, quòd idem est nunc in toto tempore, non accipit nunc pro mobili, vt dicit Tatar. quia dicit Arist. quòd eodem modo se habet nunc in toto tempore, sicut mobile in toto motu, nam sicut mobile est idem secundum substantiam, diuersum verò secundum esse, idest secundum diuersas partes motus, ità idem nunc secundum substantiam est diuersum secundum esse, idest in ordine ad diuersas partes temporis, quia diuidendo totum tempus in prius, & posterius copulata per instans, illud instans est vnum, & idem omninò, diuersum tamen, quia est finis præteriti, & principium futuri, & ideò dicitur diuersum secundum esse, quia habet rationem principii, & finis, quæ sunt rationes diuersæ.

Quomodo intelligitur quòd idem est nunc in toto tempore.

Contrà, & probo, quòd nunc inter prius, & posterius tem-

Arguit Auctor cōtra seipsum.

temporis non est omninò idem num. vt dictum est; Nam ex Sco. 2.d.2.q.2.D. non est tanta identitas instantis in toto tempore, quanta est vnius instantis respectu substantiæ mobilis, si tale instans daretur in mobili; ergò (infert Sco.) instans in toto tempore est aliud, & aliud secundum substantiam.

Respondeo ex ipsomet Sco. loc. cit. quòd si daretur instans in mobili, sicut Æuum in Angelo, illud nunc non esset aliud à substantia mobilis, sicut instans temporis est aliud à substantia temporis, & ideò non esset tanta identitas in instanti temporis, quanta esset identitas instantis in mobili, quia instans temporis est aliud à substantia temporis, instans verò mobilis non esset aliud à substantia temporis, instans verò mobilis non esset aliud à substantia ipsius mobilis; Ad Consequentiam Respondeo, quòd Sco. non infert instans temporis esse aliud secundum substantiam in se, sed quod est aliud secundum substantiam à tempore, quia inter prius, & posterius totius temporis non potest esse nisi vnum numero instans indiuisum, & indistinctum à se, distinctum verò secundum substantiam à tempore, quia instans est indiuisibile, tempus est diuisibile, sunt verò plura instantia secundùm substantiam in toto tempore, quatenus pars prior, & pars posterior copulatæ per idem numero instans possunt diuidi in infinitas partes continuatas per infinita, & indeterminata instantia, vt dictum est prius.

Octauò. Probo, quòd motus Cœli non est mensura omnium motuum; mensura, & mensuratum debent esse eiusdem generis, vt alias dictum est, sed motus locales, & alterationes sunt diuersorum generum; igitur motus Cœli, qui est motus localis non potest esse mensura motus alterationis; ergò non omnium motuum est mensura.

Respondeo, quòd mensura, & mensuratum debent esse eiusdem generis proximi, vel remoti; Ad minorem dico,

dico, quòd motus localis, & alterationis non sunt eiusdem generis proximi, sunt tamen in eodem genere motus, & quantitatis successiuæ.

Nonò Tempus est vbique ex Arist. 4. Phys. tex. 95. non sic motus primi Cœli; ergo tempus non est motus primi Cœli;

Respondeo, quòd tempus dicitur esse vbique, eo quia per ipsum omnes motus in Vniuerso mensurantur, & sic dicitur vbique virtualiter, quia causat cognitionem omnium motuum in Vniuerso; sic motus primi Cœli dicitur esse vbique, quia per ipsum omnes motus mensurantur, & sic negatur Consequentia.

CONCLVSIO QVINTA.

Solum successiua per se primò tempore mensurantur.

Est Sco. 2. dist. 2. q. 4. B. & Arist. 4. Phys. à tex. 114. vsque ad tex. 121.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld. & Cat. num. 48 dicunt non solum motum mensurari tempore, verum etiam velocitatem, & tarditatem per se primo tempore mensurari ex Sco. 2 d. 2. 9. 2. E. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed hæc opinio, quæ falsa est, non potest elici ex Sco. loc. cit. qui non dicit velocitatem, & tarditatem motuum per se primò tempore mensurari, sed tantum dicit, quòd maior motus potest coexistere illi tempori, cui coexistit minor tempus; Ex quo solùm concluditur, quòd vnus motus potest esse velocior altero, non tamen quòd eorum velocitas, & tarditas per se primò tempore mensurentur. *Cõfutatur*

Et probo. Motus velox, & tardus non differunt nisi secun-

ſecundum coexiſtentiam ad maius, vel minus tempus; ſuppoſita æqualitate ſpatii, ſupra quod fit motus, vt patet ex ipſis in hac diſp. num. 38 §. Reſp. ad primum, ergò velocitas, & tarditas formaliter non dicunt niſi relationem coexiſtentiæ ad maius, vel minus tempus, ſuppoſita æqualitate ſpatii, ſuprà quod fit motus, vel dicunt relationem coexiſtentiæ ad idem tempus, ſuppoſita inæqualitate ſpatii, ſed iſta coexiſtentia non poteſt per ſe primò menſurari tēpore; ergò velocitas, & tarditas non poteſt per ſe primò tempore menſurari; minor probatur, quia quod menſuratur per aliud, non poteſt per ſe primò menſurari, ſed coexiſtentia menſuratur per aliud, nempè per exiſtentiam motus, quia tanta eſt coexiſtentia motus, quanta eſt ſucceſſio ipſius motus; ergò coexiſtentia non per ſe primò menſuratur.

Confirmatur. Connotatum alicuius, quòd per ſe primò menſuratur tempore, non poteſt per ſe primò tempore menſurari, ſed coexiſtentia ſecundùm iſtos Scriptores connotatur à duratione motus, qui per ſe primò menſuratur tempore, ergò coexiſtentia non poteſt per ſe primo tempore menſurari; ergò velocitas, & tarditas non per ſe primò menſuratur tempore, quia, vt dictum eſt, velocitas, & tarditas non eſt niſi coexiſtentia ad tempus.

2. *dictum Meld. & Cat.* Secundò. Dicunt num. 51. Tempus extrinſecum poſſe eſſe menſuram quarumcunque rerum permanentium, etiam ſpiritualium, non ſolum, vt ſubſunt mutationi, ſed etiam ſecundum exiſtentiam, eò quia habent exiſtentiam virtualiter diuiſibilem, quatenus ſcilicet exiſtentię iſtorum permanentium habent cum tempore quandam homogeneitatem, quæ ſufficit ad iſtam menſuram.

Cōfutatur Contrà hoc eſt Sco. 2. d. 2. q. 4. B. & E. vbi habet, quòd ſubſtantiæ, & permanentia non menſurantur tempore.

Re-

Respondent, quòd Scotus intelligit de Tempore intrinseco, & pro duratione, non de Tempore extrinseco. *Responsio Aduers.*

Sed hæc Responsio est omninò voluntaria, nam ibi Scotus loquitur de Tempore tàm intrinseco, quàm extrinseco, quia littera B. assignando res, quæ tempore mensurantur, vt motus, & quies, & quæ tempore non mensurantur, vt substantiæ generabiles, & corruptibiles, & loquendo de Tempore, quo mensuratur quies, habet hæc verba: *Illa enim secundum se nō habet habitudinem ad Tempus, in quantum talis, nec actualem, nec aptitudinalem.* *Confut. 1.*

Tunc sic; sed Tempus, ad quod quies non habet habitudinem, est tempus tantùm extrinsecum; ergò Scotus loquitur de Tempore extrinseco; minor patet, quia motus non dicit habitudinem ad propriam existentiam, ad propriam durationem, & ad Tempus intrinsecum, ita quies non potest dicere negationem ad tale Tempus, sed tantùm ad Tempus extrinsecum.

Præterea isti Scriptores nu. 50. probantes quietem mensurari tempore extrinseco adducunt eundem locum Scoti; ergò si ibi loquitur Scotus de Tempore intrinseco, malè adducunt Doctorem ad probandam quietem mensurari tempore extrinseco; ergò etiam secundum ipsos Scotus loquitur de Tempore extrinseco, cum dicit substantiam generabilem, & corruptibilem non mensurari tempore, quod prius negabant. *Confut. 2.*

Præterea sibi contradicunt; Nam in hac disp. num. 42. in fine dicunt, quòd extensio localis, longitudo, latitudo, & num. 43. Deus non possunt mensurari Tempore. *Contradictio Aduers.*

Si dicant, quòd si permanentia secundum se considerentur, non mensurantur Tempore, tamen si considerentur, vt habent existentiam virtualiter diuisibilem, tunc possunt mensurari Tempore. *Tacita Responsio cōfutatur.*

Contrà. Permanentia habere existentiam virtualiter

diuisibilem est ipsorum existentiam habere cum Tempore homogeneitatem, vt se explicant num. 51. sed permanentia non habent homogeneitatem cum Tempore; ergò non possunt habere existentiam virtualiter diuisibilem; minor probatur, quia ipsi num. 42. mensura debet esse homogenea, idest eiusdem rationis, ac propterea probant extensionem localem, longitudinem, & latitudinem Tempore mensurari non posse; sed Permanentia, substantiæ, Deus non sunt eiusdem rationis cum Tempore, quod est successiuum; ergò nullam possunt habere cum Tempore homogeneitatem.

Alia tacita Resp. cõfutatur. Si dicant quòd Permanentia dicuntur habere homogeneitatem cum Tempore, quia coexistunt tempori, hoc est contra ipsos num. 43. vbi habent hæc verba: *Vnde Tempore mensurari non erit esse simul cum tempore, nam Deus coexistit Tempori, non tamen tempore mensuratur*: hæc illi: quid est igitur ista virtualis diuisibilitas existentiæ? est ne existentiam permanentium posse fieri successiuam? nequaquam, dicam ego, imaginaria est, & per consequens permanentia fictè dicuntur Tempore mensurari.

Confut. 3. ad hominẽ Præterea homogeneitas, quæ requiritur inter mensuram, & mensuratum debet esse eiusdem rationis, ita quod duratio eiusdem rationis duratione mensuratur; sed permanentia non habent durationem eiusdem rationis cum motu mensurante, quia talis est essentialiter successiuus; ergò permanentia non possunt per se primo tempore mensurari; minor patet etiam in doctrina ipsorum; maior etiam est ipsorum in hac disp. num. 50. in fine, vbi habent hæc verba: Resp. *in re vnum Tempus, & vnum motum ab altero mensurari, & rationabiliter quidem, quia mensura debet esse homogenea, modò duratio non nisi duratione mensuratur*: Hæc illi: nihil clarius; Ex quibus concluditur, quòd æternitas nullo modo per se primò possit Tempore mensurari, vt ipsi dicunt num. 51. cùm sit duratio alte-

alterius rationis à tempore.

Præterea illud est in Tempore, quòd est necessariò variabile secundùm aliud, & aliud esse ex Sco.2.d.2.q.3. suprà B. sed permanentia non sunt variabilia secundum aliud, & aliud esse; ergò non possunt esse in tempore, ergò nec per se primò tempore mensurari. Vnde infert ibi Scotus, quòd impossibilia, & necessaria non sunt in tempore, quia non est alia, & alia dispositio in eis, vt possint excedi à tempore, vel aliter se habere. *Confut. 4.*

Confirmatur etiam euidenter ex doctrina ipsorum num. 49. in fine, vbi habent, quòd inter mensuram, & mensuratum non requiritur homogeneitas specifica, sed sufficit, quod sit generica, sed inter permanentia, & successiua non est homogeneitas specifica, nec generica; ergò permanentia non possunt per se primò tempore mensurari, quia tempus est successiuum, & accidens toto genere differens à substantiis. *Confirmatio ad hominem.*

Vltimò est Aristoteles clarissimè contra ipsos, qui in 4. phys. tex. 119. & 120. vbi cum demonstrauerit tempus esse mensuram eorum, quæ mouentur, quatenus mouentur, asserit in t. 120. tempus esse mensuram per se ipsius motus, aliorum verò per accidens, habet enim hæc verba: *Omninò enim si mensura quidem est motus tempus per se, aliorum verò secundum accidens manifestum est*, hæc Aristoteles; ergò secundum Aristotelem omnia alia præter motum, non per se primò, sed per accidens tempore mensurantur. *Arist. expressè cōtra Aduers.*



Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Solum successiua per se primò tempore mensurantur.

Est Sco. 2. dist. 2. q. 4. B. & Arist. 4. Phys. à tex. 114. vsque ad tex. 121.

Ordo rerũ, & eorum mensura.

PRo cuius declaratione Primò Not. ex Sco. loco cit quòd in entibus aliqua habent quendam ordinem inter se, qui ordo non potest esse nisi imperfecti ad perfectum; Nam primò est fluxus formæ, scilicet motus, qui est respectus terminatus ad formam fluentem. Secundò est forma, secundum quam est actualiter motus. Tertiò est forma, secundum quam potest esse fluxus partis post partem, idest forma in esse quieto, & hæc est forma accidentalis. Quartò est permanens, in quò non est natus esse fluxus partis post partem, tamen necessariò habet formam consequentem, in qua natus est esse fluxus, & hoc est substantia generabilis, & corruptibilis. Quintò est illud, in quo non potest esse fluxus, nec in aliquo consequente ipsum naturaliter, & hoc est substantia ingenerabilis, & incorruptibilis. Primum mensuratur tempore, quia contra rationem eius formalem est permanentia, vel quod aliqua pars eius maneat eadem, sed ratio eius requirit partem eius succedere parti, quia est essentialiter successiuum. Secundum, & Tertium est eadem forma, vt est in fluxu, & in recipi, & in esse quieto, & de hac forma est problematicus Scotus an mensuretur tempore, vel æuo, tamen ipsi formæ, quia non repugnat esse simul, sustineo mensurari Æuo, non tempore, vt aliàs dictum est. Quartum quod est substantia generabilis, & corruptibilis mensuratur æuo, & tempore per se, nec secundum ipsam est propriè quies, quia non est nata moueri, sed non debet intelligi,

quò d

quòd substantia generabilis, & corruptibilis non sit mobilis, quia habet naturam, sed debet intelligi, quòd secundum ipsam non est motus eò quia tota simul recipitur, nec secundum ipsam est quies, quia secundùm aliquod non est quies, nisi secundum illud sit motus, sed tantùm est motus, & quies per accidens, ratione scilicet quantitatis consequentis naturaliter ipsam substantiam, vt se explicat Sco. loco cit. D. Quintum verò, quod est substantia ingenerabilis, & incorruptibilis nullò modo mensuratur tempore, nec per se, nec per accidens, quia est omninò inuariabile; & indiuisibile, nec habet formam, secundùm quam potest esse motus, quia est incapax quantitatis, & cuiuscunque formæ materialis, secundum quam possit esse motus, & aquisitio pertis post partem.

Secundò Not. quòd cum Tempus sit successiua mensura non potest per se primò, nisi successiua mensurare, vt sunt omnes motus tàm materiales, quàm spirituales, qui licet à nobis non possint mensurari, quia non possunt à nobis cognosci, possunt tamen ab ipsomet Angelo mensurari, velocitas tamen, & tarditas motus cum dicat solum relationem coexistentiæ motus ad maius, vel minus tempus in æqualitate spatii, vel in spatio inæquali, quando motus in maiori spatio fit in æquali tempore, vel minori, non potest per se primò mensurari tépore sed tantùm per accidens ratione s. ipsius fluxus, & motus in quo fundatur, qui motus per se tempore mensuratur, quies autem tantùm per accidens tempore mensuratur, sicut & omnes priuationes, nam quies est tanta vel tanta, quia est tanti vel tanti positiui ex Sco. 2. d. d. 2. q. 4. D. & sic quies tanta est, quanta est motus, qui potuisset in toto illo cursu temporis esse, in quo non fuit motus; Et cum omnis motus sit mensurabilis tempore, motus etiam ipsius Cœli, licet non possit seipsum totaliter mensurare, nec ab alio motu mensurari, quia nullus alius motus habet vniformitatem, & velocitatem, quæ requiruntur ad men-

Quæ mensurantur tēpore per se, vel per accidens

mensurandum, nec ab alia quantitate, quæ sit in ipso, vt habet Sco.4.d.48.q.2.G.quia non oportet ponere duas tales quantitates in eodem subiecto permanente, quarum vna sit quasi subiectum, altera quasi passio, potest tamen seipsum mensurare per partem, quæ cognita est nata mensurare totum ipsum motum ex Sco.2.d.2.q.3.B. vt omnes antiqui Scotistæ notarunt, & licet vnus motus possit mensurari ab alio mtou,& motus Cœli ab alio motu inferiori, quia vnus motus potest esse notior alio, tamen isti motus non dicuntur propriè tempora, cum non habeant conditiones mensurandi scilicet vniformitatem, & velocitatem.

Tertiò Not. quòd potest accipi tempus pro omni eo, quod potest habere esse post non esse, & hoc modo quodlibet aliud à Deo est temporale ex Sco.2.d.2.q.4. H.Item & ipse Deus, & omnia permanentia possunt dici esse in tempore per accidens,quatenus tempori coexistunt,non tamen coexistunt secundum aliud, & aliud esse, & successiuè, sed permanenter, ideò tempore per se primò mensurari non posſunt; mutationes etiam substantiales posſunt dici esse in tempore minus propriè, quia nec successiuè sunt, nec tempori coexistunt, sed quatenus fiunt in instanti, quod est continuatiuum temporis, tamen si generatio fieret in tempore, sicut potest fieri creatio secundum Sco. qui vult Virginem potuisse post instans suæ Conceptionis iustificari tunc gratia fuisset in Tempore creata, in hoc casu mutatio, & creatio esset in tempore secundum coexistentiam ad tempus, licet indiuisibiliter, sicut gratia, vel Angelus indiuisibiliter tempori coexistit. His Not.

Permanẽtia tantùm per accidens mensurantur.

Probatur Conclusio omnibus argumentis positis in primo cap.contra Aduersarios, & præcipuè hac ratione mensura, & mensuratum sunt eiusdem generis, & rationis cum tempore, quia tempus est successiuum; ergò solum successiua posſunt per se primò Tempore mensurari, maior est Arist.& Sco.vt alias dictum est; Et potest confirmari,

quia

quia permanens non potest mensurare successiuum; ergò neque successiuum potest mensurare permanens; ergò mensura, & mensuratum debent esse eiusdem rationis.

Contra Arguunt primò Meld. & Cat. in hac disp. n. 45. probantes velocitatem, & tarditatem motus per se primò tempore mensurari Auct. Sco. 2. d. 2. q. 2. c. Et confirmant, quia ideò cognoscimus motum esse velocem, vel tardum, cum fiant super eandem quantitatem duo motus, vnus consumit plus, vel minus temporis, quam alter; ergò velocitas, & tarditas motus per se primò tempore mensuratur. *Arguunt Meld. & Cat.*

Respondeo negando quod Sco. dicat velocitatem, & tarditatem motus per se primò tempore mensurari, sed tantùm dicit quod motus factus in eodem spatio dicitur velocior altero, quia fit in minori tempore, fieri autem in minori tempore est coexistere minori tempori, coexistentia autem ad maius vel minus tempus, quæ est velocitas, & tarditas non per se primò potest mensurari tempore, sed tantùm per accidens scilicet ratione motus, in quo coexistentia fundatur; & sic negatur consequentia Argumenti prò confirmatione Auctoritatis Scot.

Secundò Probant permanentia per se primò tempore mensurari, numero 51. quæ habent quandam homogeneitatem cum tempore possunt per se primò tempore mensurari; sed permanentia sunt huiusmodi ergò &c. minor probatur; quæ habent existentiam virtualiter diuisibilem, habent homogeneitatem cum tempore; sed omnia permanentia habent existentiam virtualiter diuisibilem, quia dicimus substantiam, & alia permanentia fuisse decem, centum, vel mille annis; ergò permanentia habent homogeneitatem cum tempore.

Respondeo ad maiorem concedendo, quod illa, quæ habent homogeneitatem cum tempore, & quæ sunt eiusdem rationis cum tempore, per se primò tempore mensurantur, & hoc modo intelligitur homogeneitas inter men-

suram, & mensuratum, ex Arist. Sco: ac etiam secundùm istos; sed negatur minor; Ad probationem nego maiorem, quia ista diuisibilitas virtualis non est nisi posse coexistere successiuo, & diuisibili, quod non sufficit ad hoc, vt aliquid per se primò tẽpore mensuretur; quia requiritur diuisibilitas, & successio essentialis, non virtualis; & sic, concessa minori, negatur consequentia.

Argumẽtũ Auctoris prõ Aduers.

Tertiò Arguo ego prò ipsis. Substantia generabilis, & corruptibilis mensuratur tempore per accidens ratione quantitatis ex Sco. 2. d. 2. q. 4. D. ergò quantitas per se mensuratur tempore; Probatur consequentia, quia nihil conuenit per accidens alicui ratione alterius, nisi illud per se conueniat illi alteri; vt disgregare visum conuenit per accidens homini per albedinem, quia disgregare visum per se albedini conuenit; ergò si mensurari tempore conuenit per accidens substantiæ per quantitatem, per se conuenit quantitati.

Respondeo, quod Sco. debet sic intelligi, quod substantia generabilis, & corruptibilis mensuratur per accidens Tempore ratione quantitatis. i. quia secundùm quantitatem est fluxus, & motus qui per se tempore mensuratur; & sic negatur consequentia, & cum probatur dico, quod nihil conuenit per accidens alicui ratione alterius, nisi illud per se conueniat illi alteri, vel alicui concomitanti illud alterum, vt est in proposito de mensurari Tempore, quod per accidens conuenit substantiæ generabili, & corruptibili ratione quantitatis, non quia quantitas per se mẽsuretur tempore, cum sit permanens, sed quia secundùm ipsam potest esse motus & fluxus partis post partem, qui motus per se tempore mensuratur; & sic negatur consequentia probationis, quia vt dictum est, mensurari tempore conuenit tali substantiæ per quantitatem, quia secundùm ipsam potest esse fluxus, & motus, quia per se tempore mensuratur.

Quar-

Quartò. Arguo etiam ego pro ipsis. Potest dici quòd priuatio motus, & quies per se tempore mensuratur, quia mẽsuratur per motum, cuius est priuatio, quia sic quieti competit mensurari ex natura sua, ex Sco. 2. d. 2. q. 4. D. ergò à Pari Permanens potest dici, quod per se tempore mensuratur eò quia subest motui, qui per se primò tempore mensuratur, nàm permanenti sic competit mensurare ex natura sua. *Aliud argumentũ Aucttoris prò Aduers.*

Respondeo negando paritatem, quia permanẽtia habent propriam mensuram, secundùm quam nata sunt ex sui natura mensurari, quies autem, & priuatio nullam per se durationem, & mensuram habet, nisi mensuram illius, quod priuat, ideò si mensuratur ad mensuram alterius, mensuratur eo modo quo nata est mensurari, & sic suum per se, & naturaliter mensurari est mensurari per accidens, quia per aliud, permanentia autem habent durationem, & propriam mensuram, quæ est Æuum, si autem per mensuram alterius mensurantur simpliciter per accidens mensurantur, & nullo modo per se, quia habent per se mensurari propria mensura, & hoc est, quod voluit dicere Scotus, quando dixit quietem per se tempore mensurari, licet per accidens, seù per aliud mensuretur.



CONCLVSIO SEXTA.

Rectè diffinitur tempus cum dicitur quod est numerus motus secundum prius, & posterius.

Est Aristotelis 4. phys. t. 101. & elici potest ex Sco. 2. d. 2. q. 3. A. & B.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opini. Meld. & Cat. MEld. & Cat. in hac disp. q. 4. a. 2. num. 53. & 54. sustinent quòd numerus positus in diffinitione temporis accipitur pro numero numerante, & pro mensura, & licet Arist. dicat Tempus esse numerum numeratum, non numerantem, intelligit quòd non est numerus numerans simpliciter, sed secundum quid, quia motus Cæli non solum est Tempus, vt numeratus, & determinatus ab anima, sed etiam est numerus numerans, quia est mensura omnium aliorum motuum, & sic diffinitur tempus, vt est mensura in potentia proxima, quod dicit formaliter relationem aptitudinalem ad mensurabile, & dicunt hoc elici ex Sco. 2. d. 2. q. 3. A. B.

Confut. 1. Sed isti Doctores malè distinguentes rationem mensuræ in potentia à ratione numeri numerati, non benè hanc eorum doctrinam ex Sco. loco cit. eliciunt, quod patebit in Responsionibus ad argumenta, & probo, quòd ratio mensuræ in motu primi Cœli non dicat relationem aptitudinalem ad mensurandum. Relatiuum tertii modi nullam dicit relationem, sed quia terminat relationem alterius, sed mensura est relatiuum tertii modi; ergò nullam relationem dicit; ergò si actuale relatiuum tertii modi nullam dicit relationem actualem, multò minus Relatiuum tertii modi in potentia, maior, & minor est Arist. 5. met. t. 20.

Præ-

Præterea illa relatio aptitudinalis ad mensurandum, vel competit motui primi Cœli, vt motus est, vel vt regularis, & velocissimus, vel vt numerus numeratus, & determinatus ab anima secundum prius, & posterius; Non primum, quia motus, vt sic, & sine conditionibus necesariis ad mensurandum posset esse mensura, & Tempus; Non secundum, quia regularitas, & velocitas accidit motui primi Cœli, & per consequens accidens commune esset ratio, per quam motus primi Cœli haberet talem aptitudinem, & passionem, quod est falsum, quia passio egreditur à quidditate subiecti, neque vt numerus numeratus per eandem rationem, accidit enim cuicumque motui, quod ab anima determinetur secundum partes; ergò motus primi Cœli non habet talem relationem aptitudinalem ad mensurandum. *Confut. 1.*

Secundò probo, quod numerus positus in diffinitione Temporis accipitur pro numero numerato. Ille numerus ponitur in diffinitione Temporis, per quem motus primi Cœli est mensura in potentia proxima, sed motus primi Cœli est mensura in potentia proxima per numerum numeratum, ergò numerus in diffinitione Temporis accipitur pro numero numerato; minor patet, quia in motu Cœli nihil aliud est, quam determinatio facta ab anima secundum partes, secundum quam determinationem motus Cœli dicitur Tempus in potentia proxima, quia si aliud esset, hoc esset relatio ad mensuratum posita ab Aduersariis, quod est falsum, vt immediatè probatum est. *Alia confutatio.*

Præterea Relatiuum tertii modi per illud formaliter est relatiuum in potentia, per quod potest terminare relationem alterius ad ipsum, vt Deus dicitur formaliter creatiuus per eius voluntatem, sed motus primi Cœli, vt est mensura in potentia proxima est relatiuum tertii modi; ergò per illud est formaliter in potentia proxima per quod potest terminare relationem alterius motus mensurabilis ab ipso; sed motus primi Cœli potest esse mensura alterius motus, & po- *Alia confutatio.*

test terminare relationem motus mensurabilis ; quia est numerus numeratus ; ergò per esse numerum numeratum est formaliter mensura in potentia proxima.

Confirmatur inomnibus relatiuis in potentia. Omne relatiuum in potentia per illud formaliter est Relatiuum in potentia,per quod actualiter fundat relationem, quia ideò homo potest esse agens relatiuè, quia habet rationem formalem fundandi relationem actionis, per quam actualiter fundat actionem, & ignis potest fundare relationem calefactionis, quia habet calorem, ergò motus primi Cœli est formaliter mensura in potentia, per quod potest terminare relationem mensurati, vel fundare secundum Aduersarios relationem mensuræ;sed motus primi Cœli potest terminare, vel fundare relationem mensuræ, quia est numerus numeratus ; ergò motus primi Cœli est mensura in potentia proxima, quia est numerus numeratus.

2. dictum Meld. & Cat. Secundò dicunt, quod ly *motus* positus in hac diffinitione non intelligitur motus primi Cœli, quia talis motus explicatur per iliam particulam *numerus*, per talem enim numerum intelligit Arist. motus primi Cœli, sed per ly *motus* explicatur terminus relationis mensuræ actiuæ scilicet quilibet motus, omnis namque motus est tempore mensurabilis, licet motus non sit terminus adæquatus illius relationis mutuæ, quia multa alia tempore mensurantur, est tamen primum anologatum, quod debet poni in diffinitione temporis pro mensura.

Contra & arguo. Primò quod ly numerus positus in diffinitione temporis non explicat motum primi Cœli, Numerus ibi positus accipitur secundum istos pro numero numerante, qui dicit relationem, sed motus primi Cœli non est relatio ; ergò motus primi Cœli, non potest explicari per ly *numerus*.

Confut. 1. Confirmatur quia motus primi Cœli est tantum numerus numeratus ; ergò si ly *numerus* explicat motum primi

Cœli,

Cœli, numerus positus in diffinitione temporis non erit numerus numerans, vt isti dicunt, sed numerus numeratus.

Secundò probo quod per ly *mòtus* positus in hac diffinitione non explicatur correlatiuum Temporis pro mensura. Relatiuum non explicatur essentialiter nisi per suum Correlatiuum adæquatum; sed secundum istos Scriptores in hac disput.num.55.motus non est correlatiuum adæquatum ipsius temporis; ergò non rectè diffinitur per motum tanquam per correlatiuum; ergò *motus* positus in diffinitione temporis erit ipse motus primi Cœli, qui quatenus numerus numeratus erit Tempus.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Rectè diffinitur Tempus, cum dicitur, quod est numerus motus secundum prius, & posterius.

Est Arist.4.Phys.t.101.& elici potest ex Sco.2.d. 2.q.3. A.& B.

PRo cuius declaratione Not. primò, quòd cum Tempus extrinsecum de quo loquimur in præsenti sit motus primi Cęli, non vt est motus simpliciter, sed vt numeratus, & determinatus ab anima secundum prius & posterius, pro materiali importat non tantùm motum, sed talem motum numeratum, & determinatum ab anima, & hoc totum est absolutum, & solum relatiuum in potentia proxima, sicuti est mensura in potentia proxima, est verò relatiuum actualiter, quando actualiter, est mensura, & hoc quando intellectus per motum Cęli cognoscit quantitatem alterius motus, qui tunc dicitur dependere in cognoscendo à motu primi Cęli, & sic dicitur relatiuè mensura realiter secundum quid per terminationem dependentiæ *Tempus quid importat pro materiali, & quid pro formali.*

dentiæ

dentiæ alterius motus in esse cognito, & denominatione extrinseca; Si verò intellectus comparat motum primi Cœli ad motum cognitum, tunc intellectus derelinquit in motu primi Cęli relationem mensuræ, & dicitur formaliter Tempus denominatione intrinseca; Vnde quando Arist. diffinit tempus, non diffinit Tempus pro formali, & vt est relatiuum actualiter, sed vt est tantum mensura in potentia proxima, & relatiuum in potentia; Nam inquirendo Arist. 4. phys. quid sit tempus, concludit tex. 102. quod est motus, sed motus numeratus, & determinatus secundum prius, & posterius, & per consequens est numerus numeratus, & sic motns positus in diffinitione Temporis non est correlatiuum ipsius temporis, vt dicunt Meld. & Cat. cum Tempus non diffiniatur pro formali; & vt est actualiter relatiuum, sed tantùm vt est relatiuum in potentia, quod non est nisi motus primi Cœli, vt est mensura in potentia proxima, & vt numeratus, & determinatus ab anima secundum partes, & vt sic nullam dicit relationem nec actualem, nec potentialem, nec aptitudinalem, quia in mensura nulla est relatio realis ad mensurabile, vel mensuratum, sed potius è conuersò, & si diceret aliquam relationem, illa tantum esset rationis.

Cui propriè competit mensura, & à quo hoc nomen, & ratio desumitur.

Secundò Not. quòd mensura propriè accepta soli quantitati competit ex Arist. 10. met. t. 3. magis tamen propriè vnitati, quæ est mensura numeri, ab vnitate autem deriuatur ratio mensuræ, & transfertur ad numerum, & de numero transfertur ad continuum, quapropter continuum numeratum, & determinatum secundùm partes, quibus applicantur vnitates, tunc illud continuum secundum partes numeratas, & per numerum partium tanquàm per rationem formalem mensurandi dicitur mensura alterius; Vnde quantitas continua potest considerari dupliciter vno modo absolutè, vt linea, superficies, & corpus; Alio modo, vt determinata secundùm partes; Quantitas si ab-

solutè

solutè, & simpliciter, vt quantitas consideretur ; non potest esse mensura, quia ratio mensuræ propriè, & primò conuenit quantitati discretæ, vnde non potest ad quantitatem continuam transferri, nisi hæc secundùm partes numeretur, quantitas enim vlnæ non potest esse mensura alterius quantitatis, nisi numeretur secundum quartas, octauas, &c. Dicitur ergò Tempus conuenienter numerus, quia in mensurando motus exigitur determinatio, & numeratio partium Temporis scilicet partium motus primi Coeli.

Tertiò Not. quòd triplex est numerus scilicet numerus numerans, qui est intellectus. Secundus est numerus numeratus, & sunt res numeratæ, vt duo homines. Tertius est numerus quo numeramus, & dicitur numerus formalis, quo homines, vel lapides numeramus, vt sunt duo, tres, quattuor &c. qui numerus est discreta ; De ratione tamen numeri numerati tria requiruntur, ex Scot. p. d. 24. q vn. D. E. Primum est quòd vnitates, quæ sunt partes numeri sint vnius rationis saltem genericæ. Secundum quod quæ dicuntur vna sint distincta, ita quòd sic vnum non includit sic vnum, ideò vnitas naturæ non facit numerum cum vnitate suppositi, nec cum vnitate formalitatis, quia natura in vno supposito includitur & formalitas in natura. Tertiò requiritur quod in vtraque vnitate, vel in vtroque numero sit potentialitas partis ad totum ; Ideò Deus cum Creaturis, cum non sint eiusdem rationis, non faciunt numerum, Album etiam, & dulce non faciunt numerum, ratio huius gramaticalis est, quia terminus numeralis, adiectiuus scilicet album, & dulce determinant substantiuum scilicet subiectum, in quo sunt, albedo autem, & dulcedo nullm subiectum determinant, ideò faciunt numerum, quia sunt eiusdem rationis genericæ, cum ambæ sint in genere qualitatis ; Nec propter tertium Personæ in Diuinis non faciunt numerum, quia nihil in Deo habet rationem partis, & potentialis, tamen extendendo numerum ad distinctionem

Numerus multiplex

Quæ faciũt numerum, & quę non.

entium

entium, tunc hæc duo solum ad numerum requiruntur scilicet entitas, & distinctio realis numeratorum.

Tempus nullā dicit relationē actualem, vel potentialem ad temporale & mensurabile.

Quartò Not. quòd cum Tempus sit Relatiuum tertii modi, nullam dicit relationem, nec actualem, nec potentialem ad Temporale mensuratum, vel mensurabile, sed dicitur actualiter mensura, quatenus actualiter terminat relationem motus mensurati, & potentialiter mensura in potentia proxima; quatenus potest terminare relationem motus mensurabilis, quia terminus adæquatus ipsius Temporis contra aduersarios est motus in communi tantum, cum præter ipsum nulla alia tempore mensuretur. Ideò numerus positus in diffinitione Temporis accipitur pro numero numerato ex Arist. 4. Phys. t. 102. secundum quam numerationem præcisè motus primi Cœli dicitur mensura motus in potentia proxima, quapropter diffinitio Temporis, quæ est. Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius, sic intelligitur Tempus est motus primi Cęli numeratus inter duo indiuisibilia, quorum vnum est prius, & alterum posterius, quia sic partes motus primi Cęli determinantur, quibus vtimur ad mensurandum motum; Vnde genus in hac diffinitione est motus, non quicunque, sed regularis, & velox, & non solum talis, sed qui est determinatus secundùm partes, seu numeratus ab anima, & per ista Tempus differt ab omnibus aliis motibus non regulatis, & velocissimis, & à motibus non numeratis & determinatis secundum partes. His not.

Declaratur diffinitio Temporis.

Probatur Conclusio. Illa diffinitio est recta, quæ explicat essentiam diffiniti, & facit differre ipsum à quocunque alio, sed hæc diffinitio est huiusmodi, vt patet ex hoc vltimo not. ergò hæc diffinitio est recta.

Arguunt Meld. & Cat.

Contrà Arguunt primò Meld. & Cat. qui in hac disp. nu. 53. dicunt, quòd numerus positus in diffinitione Temporis accipitur pro numero numerante, qui est aptitudo

tudo

tudo ad mensurandum, non pro numero numerato Auctore Scot. 2. d. 2. q. 3. A. B. vbi ait, motum esse in Tempore est sicut aliquod esse in numero, & motum vocat numeratum. & mensuratum, Tempus verò numerum, & mensuram; ergò Tempus erit numerus numerans, & non numeratus.

Respondeo negando quod Sco. intelligat, quod illud quod est in tempore sit sicuti aliquod est in numero, vt ipsi intelligunt, quia esset sensus, quod esse in Tempore est esse sicut in aptitudine ad mensurandum, quod est ridiculum, sed ideò dicit, quod esse in Tempore est esse sicuti in numero, quia motus primus dicitur Tempus, quatenus numerum habet ex Arist. 4. Phys. t. 102. & 110. & motus primus quatenus habet numerum, dicitur secundum Arist. numerus numeratus, numeratur enim motus primus secundum viginti quatuor partes principales, & vt sic numeratus dicitur mensura in potentia, non propter relationem aptitudinalem, vt Aduersarii dicunt, sed præcisè quatenus potest terminare relationem dependentiæ alterius motus cogniti per ipsum, & sic negatur consequentia. Ibi enim Sco. postquam determinauerit primum æuiternum non posse æuo mensurari, nec secundum perfectionem, nec secundum mensuram duratiuam, infert contra seipsum, quod tunc motus primus non posset tempore mensurari, quia quod mensuratur tempore, exceditur à Tempore. Respondet quod non sequitur simpliciter, sed sufficit, quod excedatur à Tempore secundum partem, quia primum numeratum, quod est primus motus adæquatur ipsi numero, & non exceditur à numero, & ratio Sco. esse debet, quia totum numeratum secundum viginti partes adæquatur numero viginti quattuor partium simul sumptarum, quia tamen primus motus exceditur à numero secundum partem, quia pars exceditur à toto, ideò primus motus potest seipsum mensurare per partem ex Sco.

loco cit. Æuiternum autem cum non sit numeratum, non potest seipsum mensurare per partem; Esse igitur in Tempore sicut in numero, est esse, seù contineri in motu numerato per numerum, non qui sit aptitudo ad mensurandum, sed qui est quantitas discreta ex vnitatibus constans, vt patet ex Arist. 4. phys. t. 116. & 117. & sic idem motus primi Coeli numeratus est Tempus, & mensura, nec Arist. & Sco. distinguunt motum numeratum à Tempore, & mensura.

Si dicas ergò numerus, qui est quantitas discreta erit ratio formalis Temporis; nego, sed solùm sequitur quod talis numerus est ratio formalis, secundùm quam primus motus potest terminare relationem motus mensurati ad ipsum.

Secundò Argumt. Numerus propriè dicit mensuram vel actiuam, si est numerans, vel passiuam, si est numeratus ex Arist. 10. met. initio; At Tempus pro duratione non dicit rationem mensuræ; ergò Tempus extrinsecum per mensuram diffiniri debet; sed est mensura actiua, quia mensurat alios motus: ergò numerus acceptus in diffinitione Temporis accipitur pro numero numerante.

Respondeo, quòd numerus non dicit mensuram, sed ipsemet est mensura etiam relatiuè sine relatione in ipso fundata; cùm mensura sit relatiuũ tertii modi, sed solum per relationem mensurati ad ipsum, & negatur, quòd mensura dicatur actiua, vel passiua, quia nullam inuenio mensuram passiuam ex Arist. ab ipsis cit. quia quod numeratur, seu mensuratur nunquam potest dici mensura, sed præcisè mensuratum, licet respectu alterius possit dici mensura. Nec datur mensura propriè actiua, quia licet dicamus mensuram mensurare, hoc est quia mensura applicatur, & accipitur ab intellectu mensurante ad mensurandum; Vnde solus intellectus, qui mensurat, dicitur numerus mensurans; & sic concedo, quòd Tempus extrinsecum debet diffi-

diffiniri per mensuram in potentia proxima; Sed hæc ratio mensuræ non dicit numerum numerantem, nec relationem aptitudinalem ad mensurandum, sed tantùm dicit esse numerum numeratum, per quod primus motus potest assumi ab intellectu ad mensurandum; Ad subillationem dico, quòd Tempus nec est mensura actiua, nec passiua, cum tales mensuræ propriè non dentur, & licet Tempus diceretur mensura actiua, quia assumitur ad mensurandum, non tamen esset numerus numerans, sed numerus numeratus, quia primus motus per hoc quod est præcisè numerus numeratus, assumitur vel assumi potest ab intellectu ad alios motus mensurandos.

Tertiò. Arguunt alii. Tempus est quantitas continua; ergò non debet diffiniri per numerum, qui est quantitas discreta, aliter diffiniens, & diffinitum essent alterius rationis specificæ.

Respondent Meld. & Cat. ibi num. 54. numerum simpliciter numerantem esse quantitatem discretam, numerum verò secundùm quid numerantem posse esse quid continuum, quando est conflatum ex vnitatibus, non re ipsa discretis; sed solum mente seiunctis, vt in proposito, & numerus, vt dicit collectionem vnitatum, non est formale Temporis, sed materiale, formale verò erit ratio mensuræ in illis partibus fundata, quæ relatio aptitudinalis est ad mensurabilia. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc Responsio omninò est à veritate aliena, falsum est enim numerum simpliciter numerantem esse quantitatem discretam, cum talis numerus sit solus intellectus, qui nullo modo est quantitas, cum sit potentia omninò immaterialis. *Cõfutatur*

Præterea falsum est etiam in doctrina ipsorum, quòd numerus secundùm quid numerans possit esse quid continuũ ex vnitatibus solùm mente seiunctis, & quod sit materiale temporis, quia ibi determinant numerum secundum

quid numerantem esse formale Temporis, & dicere relationem aptitudinalem ad mensurandum, quia pro eodem accipiunt numerum numerantem, & rationem mensuræ actiuæ; habent enim hęc verba num. 53. *Sed quamuis diffinitio sic explicata cuicumque intrinseco Tempori possit accomodari, attamen rectius diceretur hic diffiniri Tempus extrinsecum, & consequenter in ratione mensura actiua, & vt numerus numerans est.*

Responsio Auctoris. Ideò Respondeo negando consequentiam, quia numerus positus in hac diffinitione non est numerus, quo numeramus, qui est quantitas discreta, sed est numerus numeratus, qui est quantitas continua; Tempus enim est motus primi Cęli numeratus, & determinatus secundùm diuersas partes, secundùm quas assumitur ad mensurandum.

Argumentum Meld. & Cat. Quartò arguunt Meld.& Cat.ibi nu.55.sustinentes quòd ly *motus* positus in diffinitione temporis non accipitur pro motu primi Cœli, sed pro motu in communi, qui est correlatiuum Temporis. Omne Relatiuum debet diffiniri per suum correlatiuum; sed Tempus est Relatiuum ad motum; ergò debet per motum diffiniri; ergò motus positus in hac diffinitione non est motus primi Cœli, qui est numeratus, & dicitur Tempus, sed est motus, qui est mensurabilis à tempore.

Respondeo concedendo, quòd omne relatiuum sub ratione relatiui diffinitur per suum correlatiuum, sed negatur, si diffiniatur secundum esse materiale, & absolutum, seu pro fundamento: Ad minorem dico, quòd Tempus formaliter acceptum pro mensura est relatiuum ad motum, sed nego de Tempore materialiter accepto; Modo ibi diffinitur Tempus pro materiali, non pro formali quòd patet ex Arist. 4. Phys. t. 101. & 102. vbi dicit quòd tunc sentimus tempus, cum sentimus motum numeratum secundum prius, & posterius, sicut si diffiniremus vlnam, diffiniremus quantum determinatum, & numeratum secundum partes,

& non

& non in ordine ad pannum, vel mensurabile; si verò vlna diffiniretur, vt formaliter mensura, tunc diffiniretur in ordine ad mensurabile, sicut si tempus diffiniretur, vt formaliter mensura, diffiniretur in ordine ad motum mensurabilem.

Quintò. Prius, & posterius sunt partes temporis; ergò Tempus diffinitur per Tempus.

Respondeo quòd prius, & posterius non sunt partes Temporis, sed sunt indiuisibilia primi motus, qui est numeratus, & determinatus secundùm partes inter duo indiuisibilia, quorum vnum est prius, & aliud posterius.

Præterea si prius, & posterius essent partes Temporis, nullum esset inconueniens, quod diffiniretur per partes eius, sicut compositum diffinitur per partes; Dicimus enim, quòd compositum est illud, quòd constat ex materia, & forma, quod continuum est constans ex partibus continuatis; & sic negatur consequentia, scilicet quod tempus diffiniretur per Tempus, sed explicaretur ratio ipsius Temporis, quòd debet habere partes numeratas, sicut explicamus Continuum quod debet habere partes continuatas.



Dispu-

Disputatio Septima.

De Inceptione, & Desitione Creaturarum.

POst tractatum de Tempore Moderni agunt de Inceptione, & desitione Creaturarum, eò quia Temporalia defectibilem entitatem habent; & diuidunt præsentem Disputationem in duas quæstiones. Prima est de Inceptione, & Desitione possibili Creaturarum secundum Æternitatem; An scilicet (inquiunt) de potentia Dei absoluta potuerit esse aliqua Creatura ab æterno, & in æternum poterit durare. Secunda de Inceptione, & Desitione in Tempore; Cum igitur Inceptio dicat transitum esse rei post non esse prius natura, vel tempore, disceptandum est nunc de Inceptione, & Desitione Creaturarum, quæ fiunt in Tempore, transferendo quæstionem de Æternitate possibili Creaturarum ad disputationem de Mundo; Et quia solùm est notabilis difficultas de Inceptione, & Desitione quietis, & Indiuisibilium, de istis tantùm erit hic disputatio: In Notabilibus autem tradam perfectam cognitionem de Inceptione, & Desitione omnium Temporalium pro vt de facto incipiunt, & desinunt esse.

CON-

CONCLVSIO PRIMA.

Quies opposita motui incipit per primum sui esse, & desinit per vltimum sui esse.

Est Sco. præcipuè 2. d. 2. q. 9. O.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld. & Cat. disp. 14. q. 2. a. 2. numero 26. distinguunt de quiete, quæ potest accipi pro negatione motus, vel quatenus est priuatio. Primo modo dicit carentiã motus in subiecto non apto nato: Secũdo modo dicit carentiam motus in subiecto apto nato; si quies primo modo sumatur, sic incipit, & desinit opposito modo, scilicet per primum sui esse, immò in quolibet instanti motus datur hæc quies, non tamen motus est interruptus, quia ad hoc requiritur quies priuatiua; si verò secundo modo sumatur, sic eodem modo incipit, & desinit, sicuti motus, scilicet extrinsecè, & dicunt colligere ex Sco. loco superius cit. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed hæc Doctrina non mihi videtur veritati consona, inuoluit enim tria dicta omninò falsa. Primum, quòd detur quies, quæ sit negatio motus in subiecto non apto moueri. Secundum quòd in quolibet instanti motus detur quies inter media. Tertium quod quies non habeat primum, & vltimum in esse, quod est principale in hac conclusione.

Probo igitur primo, quòd non detur quies in subiecto non apto moueri; quies præsupponit motum; ergò quòd non est natum mouere non potest quiescere; Consequentia patet. Antecedens probatur nam lapis, qui habet negationem motus ad intellectionem diceretur quiescere *Confut. 1.*

quie-

quiete opposita huic motui, & sic diceretur habere intellectionem, quam non potest habere; quod est irrationabile.

Confut. 2. Præterea sequeretur, quod immobilia, vt Angeli secundum Arist. & Deus quiescerent, quia habent negationem motus, & omnia, quæ habent formas sibi connaturales, sub illis formis quiescerent, ad quas habent negationem motus.

Contrà secundum dictum scilicet quòd in quolibet instanti motus sit quies estSco.2.d.2.q.9.N.vbi habet pro irrationabile, quòd motus cōponatur ex quietib. inter medijs.

2 dictum Meld. & Ca

Probo tamen ratione, quia continuum non continuatur ex contrariis, sed quies est motui contraria; ergò motus non potest ex quietibus continuari, & sic motus, qui est quantitas continua haberet partes non continuatas, & sic daretur motus, & tempus discretum; quod est falsum in doctrina Scoti.

Confut. 2. Præterea quòd mouetur per horam dicitur continuè moueri; At si daretur in quolibet instanti quies inter media, non continuò moueretur; ergò in quolibet instanti non datur quies inter media; Probatur minor, quia mobile per horam modò moueretur, modò quiesceret.

Responsio pro Aduers. Potest responderi pro ipsis negando minorem cum sua probatione, quia tunc mobile in motu per horam quiesceret in quocunque instanti, accipiendo quietem pro negatione motus, non autem pro priuatione, quæ est negatio motus in subiecto apto nato, & quies pro negatione stat simul cum continuatione motus.

Cōfutatur responsio. Contrà in quocunque instanti per vos non est motus, sed quies; ergò in quocunque instanti non continuatur motus, quia sequeretur, quod continuaretur per quietem quod est falsum.

Tacita resp. conf. Si dicatur, quòd motus continuatur in quocunque instanti per mutatum esse, & quando est mutatum esse, non est motus.

Con-

Contrà. In quocunque instanti est aliquid motus ipsum continuans, in eodem dicitur continuari motus; sed in quocunque instanti est mutatum esse continuans motum; ergò in quocunque instanti continuatur motus; sed quando continuatur motus non est quies, sed motus quo ad sui continuationem, vt magis patebit in sequenti capite; ergò in quocunque instanti nullo modo potest esse quies.

Contrà Tertium dictum, quod est principale in hac conclusione, scilicet quod quies non habet primum, & vltimum in esse, quod dicunt esse Scoti in 2. d. 2. q 9. O. Arguo primò Auctoritate Sco. loco ab ipsis cit. vbi habet, quòd datur primum, & vltimum in esse quieto, *Confut. 3 dictũ Mel. & Cat.*

Si responderent, vt inuenire videntur in hac disp. n. 26. quòd primum, & vltimum in esse quieto vocat Scotus instantia immutationis, non quietis, falsa est Responsio, quia dicit Sco. quòd primum, vel vltimum in esse quieto non est quies, sed instantia quietis, habet enim hæc verba: *Et in aliquo instanti, in quo per mutationem subitam inducitur aliquis gradus frigoris omninò incompossibilis calori, in illo primò calor non est, & vsque ad illum calor fuit, ita quod calor nullum vltimum habet sui esse, sed habet vltimum in esse quieto, & frigus nullum habet primum sui esse simpliciter, licet habeat primum in esse quieto, quod scilicet accipit per immutationem, licet illud non sit quies.* Hæc Sco. qui apertè ponit primum & vltimum in esse quieto, dicit tamen instans quietis non esse quietem, quia instantia temporis non sunt Tempus, nec mutata esse sunt motus, tamen sunt aliquid Temporis, & motus, sic immutata esse non sunt quies, sed aliquid quietis; Et si secundum Sco. datur primum & vltimum in esse quieto, quies incipit per primum esse, & desinit per vltimum esse sui: Vnde si Tempus haberet primum, & vltimum instans, daretur primum, & vltimum Temporis, licet illud non esset Tempus.

Conf. 2. ad hominem. Secundò probo ad hominem, quòd quies pro priuatione habet primum, & vltimum in esse; Nam isti Scriptores in hac disp. num. 26. ideò quies pro negatione incipit per primum sui esse, & desinit per vltimum sui esse, quia est indiuisibilis, & instantanea; Tunc sic; sed omnis negatio siue connotet in subiecto aptitudinem, siue non, est indiuisibilis, & instantanea; ergò quies, vt dicit priuationem, & negationem motus in subiecto apto nato erit indiuisibilis, & instantanea; ergò habebit primum & vltimum sui esse.

Confut. 3. ad hominem efficaciter. Tertiò ad hominem. Nam isti Scriptores in hac disp. nu. 31. in priuatiuè succedentibus si vnum habet vltimum non esse, alterum habebit vltimum esse; Tunc sic; sed motus, & quies sunt succedentia sibi inuicem priuatiuè, & motus habet vltimum non esse; ergò quies, quæ est priuatio motus habebit vltimum esse; ergò quies habebit inceptionem, & desitionem oppositam Inceptioni, & Desitioni motus.

Conf. 4. ad ad hominem. Quartò ad hominem. Nam isti Scriptores disp. 15. phys. q. p. nu. 7. ostendendo motum dicere respectum informationis ad non esse immediatè præcedens, dicunt, quòd isti respectui quies opponitur priuatiuè, nam (inquiunt) tunc subiectum quiescere intelligitur cùm iam formam aquisiuit, nec nouitas formæ in subiecto concipitur, hoc autem euenit cum forma immediatè non respicit non esse præcedens, sed esse eiusdem præhabitum, quod est carere respectu illo ad non esse immediatè præcedens; hæc illi; Tunc sic, sed in vltimo instanti immediatè præcedens tempus, in quo noua forma per motum introducitur iam formam aquisiuit, nec nouitas formæ in subiecto concipitur, forma immediatè non respicit esse præcedens, sed respicit esse eiusdem præhabitum; ergò in illo vltimo instanti subiectum quiescit priuatiuè ad excludendam eorum fugam de quiete negatiua: Et hoc argu-

mentum

mentum valet etiam ad probandum, quod in instanti dicitur quies priuatiua, quod est contra ipsos.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Quies opposita motui incipit per primum sui esse, & desinit per vltimum sui esse.

Est Sco. præcipuè 2. d. 2. q. 9. O.

Quomodo incipiāt, et desinant permanē-tia success-siua, & rapt im transeuntia, et quid sit primū, & vltimū esse rei, & quid primum, & vltimū nō esse rei.

PRo cuius declaratione. Primò Not. quòd res positiuæ, quæ incipiunt, & desinunt in tempore, Aliæ sunt æuiternæ, vt permanentia, aliæ Temporales, quæ per se primò tempore mensurantur, vt successiua, præter hæc dantur res, quæ durant tantum per instans, vt mutationes, & mutata esse, sed primò loquendo de rebus, quæ vel per se primò tempore mensurantur, vel tempori coexistunt, & non per se primò mensurantur tempore, vt æuiterna, hæc omnia ad duo reducuntur; Nam alia sunt quorum esse totum simul acquiritur, & deperditur, vt indiuisibilia, & alia, cuius esse successiuè acquiritur, & deperditur, vt permanentia diuisibilia, & successiua; Et quia eorum non esse præcedit esse in Inceptione, sicut in Desitione esse præcedit non esse debet assignari Instans diuidens Tempus non esse rei è Tempore, in quo res est, Vnde datur multiplex instans; scilicet primum instans esse rei, & est instans, in quo verum est dicere, hæc res est, & immediatè ante hoc non fuit; Aliud est primum instans non esse rei, & est illud, in quo verum est dicere. Hæc res nunc nō est, & immediatè ante hoc fuit; Aliud est vltimum instans esse rei, & est illud, in quo verum est dicere: Hæc res nunc est, & immediatè post hoc non erit; Aliud est vltimum instans non esse rei, & est illud, in quo verum est dicere: Hæc res nunc non est, & immediatè post

hoc erit; In proposito indiuisibilia, & ea, quorum esse totum simul aquiritur, & deperditur, incipiunt per primum instans esse rei, & desinunt per primum instans non esse rei, successiua verò, quorum esse successiuè aquiritur, & deperditur incipiunt per vltimum non esse rei, & desinunt per primum instans non esse rei, quæ autem raptim transeunt, vt mutata esse in motu, generationes, & ipsamet instantia temporis incipiunt per primum sui esse, & disinunt per vltimum sui esse, ita quòd idem instans dicitur primum, & vltimum, quia mediat inter tempus præteritum, in quo immediatè non fuit, & inter tempus futurum, in quo res immediatè non erit, & ideò idem instans Temporis eorum, quæ raptim transeunt. Dicitur primum in ordine ad Tempus præteritum, in quo tale ens immediatè non fuit, & dicitur vltimum in ordine ad Tempus in quo tale ens immediatè non erit; Vnde propositiones de Incipit, & Desinit eorum, quæ raptim transeunt, sic exponuntur: Hæc res nunc est, & immediatè ante hoc non fuit, & quando desinit, valet dicere; Hæc res nunc est, & immediatè post hoc non erit; eodem modo se habent æuiterna in ordine ad æuum, quo durant, habent enim primum, & vltimum esse rei sustinendo indiuisibilitatem Eui: Vnde valet dicere, quòd euiternum incipit esse, idest nunc est, & immediatè antè hoc non fuit; & desinit esse, idest nunc est, & immediatè post hoc non erit, quia dùm Euiternum incipit, & desinit, incipit, & desinit esse Euum ex Sco. 4. d. 43. q. 5. q.

Quare assignantur instãtia inceptionis, & desitionis eorum quæ incipiunt, & desinũt in tempore.

Secundò Not. quòd in inceptione, & Desitione rerum successiuarum, seù quæ Incipiunt, & desinunt esse in Tempore assignatur Instans Inceptionis, & Desitionis, quia quælibet pars Temporis est diuisibilis in infinitas partes, & ideò nulla pars determinata Temporis potest assignari, in qua successiuum Incipiat, & desinat esse, & ideò assignantur instantia determinata, quæ sunt termini totius Temporis, in quo successiuum durat in esse, quæ instantia sunt

extrin.

extrinseca rei successiuæ, quatenus durat in esse, eò quia sunt extra esse, & entitatem durantis, & ideò res non habet esse in quocunque instanti incipit esse, nisi illud instans sit intrinsecum rei, ita de desitione, si res desinit esse in instanti; & non in Tempore, vt successiua: Et si quæras; An permanens quod fit in tempore possit habere vltimum esse rei Sco. 4. loco cit. dicit quod de facto non habet, quia qui dicerent (inquit ipse) permanens habere esse in Tempore, debent dicere, quòd non habent vltimum sui esse, sed habent esse in toto Tempore, & in vltimo illius Temporis habent non esse, sed de possibili, nihil ibi dicit, tamen quolib. 12. L. asserit, quòd potest habere vltimum sui esse, quia sicut raptim transeuntia in eodem instanti sunt, & corrumpuntur, Deus posset facere, quod permanens duraret per hoc totum Tempus, & per totum instans sequens, & post illud instans non velle tale permanens conseruari.

Quid sit instans intrinsecum & extrinsecum.

Permanens quod fit in tempore potest habere vltimũ sui esse.

Tertiò Not. quòd quies opposita motui non est nisi priuatio motus ex Arist. 5. Phys. t. 53. & 8. Phys. t. 71. & ex Sco. 2. d. 2. q. 4. C. ac propterea non potest dari quies quæ dicat solùm negationem in subiecto non apto moueri, vt asserunt Aduersarii, quia vt dictum est in primo cap. quòd non est natũ moueri, non est natũ quiescere; Vnde quiescẽs quiescit sub aliqua forma, ad quam natum fuit moueri, cum forma in fieri, & influxu præcedat seipsam in esse quieto; Et quia tot modis debet dici vnum oppositorum, quot modis dicitur alterum, ideò sicut motus potest accipi in Communi ad motum substantialem, & accidentalem, ita quies potest accipi, vt est priuatio motus in communi, & specificè, vt est priuatio motus substantialis, & dicitur quies substantialis, & vt est priuatio motus accidentalis, & dicitur quies accidentalis; si loquamur de quiete in Communi, idem iudicium faciendum est, ac de motu; Nam sicuti motus in Communi nec in Tempore incipit, nec in instanti formaliter, præmissiuè autem incipit vtroque mo-

Nõ datur quies negatiua.

Quomodo incipiat quies quæcunq; tàm substantialis, quã accidẽtalis.

do, scilicet in instanti, & in tempore quatenus includitur in motu substantiali, & accidentali, ita quies in communi neutrum modum habet incipiendi, & desinendi formaliter, sed vtrumque præmissiuè quatenus includitur in quiete opposita motui substantiali, & in quiete opposita motui accidentali; Si loqnamur de quiete substantiali scilicet quæ opponitur substantiali motui, incipit per vltimũ sui non esse, quia valet dicere, quòd nunc non est negatio motus substantialis, & immediatè post hoc erit, & desinit per primum sui non esse, quia valet dicere, quòd nunc non est negatio mutationis, & immediatè ante hoc fuit, nam quies manet per solum totum tempus vsque ad illud instans, in quo noua forma substantialis in subiecto introducitur, mutatio verò raptim transit, & per consequns incipit per primum sui esse, & desinit per vltimum sui esse, vt dictum est in Not. primò: Vndè licet priuationes mensurentur per accidens eadem mensura, qua habitus oppositi mensurantur, non tamen eodem modo incipiunt, & desinunt quia, non eodem modò in re manent, vt patet de mutatione, & quiete sibi opposita, quia mutatio raptim transit, quies verò sibi opposita diù manet; si verò loquamur de quiete opposita motui accidentali, incipit per primum sui esse, & desinit per vltimum sui esse, datur enim secundum Scotum secunda d. 2. q. 9. O. primum, & vltimum in esse quieto, valet enim dicere, quòd nunc est negatio motus, & immediatè ante hoc non fuit, & nunc est negatio motus, & immediatè post hoc non erit, & de hac quiete opposita motui accidentali loquimur in præsenti.

Quartò Not. quòd sicuti quies opposita motui accidentali consideratur successiua, & continua sicuti motus, habet partes copulatas per indiuisibilia, quæ dicuntur immutata esse, sicuti motus per mutata esse, & sicuti mutata esse, non sunt motus, ita immutata esse non sunt quies, vt

dicit

dicit Sco. loco iam cit. motus tamen, & quies diuerso modo incipiunt, & desinunt, quia ante motum, & post motum non est mutatum esse, sed ante, & post quietem est immutatum esse, quod licet non sit quies, est tamen aliquid quietis, ideò primum immutatum esse dicitur primum instans extrinsecum non esse motus, & primum instans intrinsecum quietis, & vltimum immutatum esse est vltimū instans extrinsecum non esse motus, & vltimum instans intrinsecum non esse quietis; Vnde motus non incipit, & desinit in mutato esse, quia non datur in motu primum & vltimum mutatum esse, quies verò incipit & desinit in immutato esse, quia datur primum & vltimum immutatum esse quietis, quod immutatum esse dicitur intrinsecum quietis, quia est aliquid quietis, & dicitur extrinsecum motus, quia nihil est motus, & ideò Sco. 2. d. 2. q 9. O dicit quòd datur primum & vltimum in esse quieto, licet illud non sit quies, est tamen aliquid quietis, sicut punctus non est linea, sed aliquid lineæ, & sic de singulis copulantibus partes continui, ponitur tamen ibi quies quod sit negatio diuisibilis, & continua per accidens, non per se, quia quælibet negatio est indiuisibilis, intelligitur tamen ad modum motus, cui opponitur, priuatio enim est talis, & tanta, qualis & quanta est forma, quam negat. His Not.

Quies incipit, & desinit aliter, quàm motus.

Probatur Conclusio. In quocunque datur primum instans, in quo valet dicere, quòd res, vel aliquid rei est, & ante non fuit, & vltimum instans, in quo res, vel aliquid rei est, & post hoc immediatè non erit, in illo datur primum & vltiimum instans esse rei; sed in quiete opposita motui datur primum instans, in quo est immutatum esse, quod est principium quietis, & aliquid eius, & vltimum instans, in quo est vltimum immutatum esse, quod est aliquid ipsius quietis; ergò in quiete datur primum, & vltimum esse quietis; ergò incipit per primum instans esse rei, &

desi-

desinit per vltimum instans esse rei; minor patet; maior probatur, quia ideò motus, & alia, quæ incipiunt in Tempore non habent primum esse rei, quia in instanti immediato ante tempus inceptionis nihil est illius rei, quæ incipit, si enim motus haberet primum, & vltimum mutatum esse, tunc haberet primum, & vltimum instans esse rei, quia aliquid motus inciperet in instanti, & duraret per totum vltimum instans inclusiuè, sicut patet de quiete motui opposita.

Secundò probatur Conclusio ratione Sco. quol. 12. L. In succedentibus sibi inuicem, siuè sint opposita priuatiuè, siue contradictoriè, siue quasi contrariè, semper est dare, vel vltimum prioris, vel primum posterioris, quia diuisibile non est immediatum nisi indiuisibili, & succedentia sunt sibi inuicem opposita immediata; sed cum motus incipit post quietem, tunc non est dare primum posterioris; ergò erit dare vltimum prioris scilicet quietis; ergò quies desinit per vltimum sui esse; Item cum motus desinit, & postea incipit quies non est dare vltimum prioris, scilicet motus; ergò erit dare primum posterioris scilicet quietis; ergò quies incipit per primum sui esse.

Argum. Meld. & Cat. Contrà Arguunt Meld. & Cat. in hac disp. 14. phys. nu. 26. Priuatiuè opposita debent eodem modo respicere subiectum, & eadem mensura mensurari; ergò si motus inest subiecto in tempore, etiam quies; ergò idem instans erit vltimum non esse motus, & primum non esse quietis, & idem instans erit primum non esse motus, & vltimum non esse quietis, & colligitur ex Sco. 2. d. 2. q. 9 O. vbi illud instans quod vltimum non esse motus dicitur, vocat instans immutationis, non quietis.

Respondeo ad antecedens concedendo, quòd priuatiuè opposita debent eadem mensura mensurari, & respicere eodem modo subiectum secundum suum esse essentiale, sed non secundum quodcunque pertinens ad sui esse, motus

enim

enim & quies sunt successiua, & per consequens mensurantur tempore, & respiciunt eodem modo subiectum scilicet successiuè, sed non respiciunt eodem modo subiectum per indiuisibilia copulantia, sicuti est mutatum esse in motu, & immutatum esse in quiete, quia motus inest subiecto siuè primò, & vltimo mutato esse, quies eodem modo inest subiecto cum primò & vltimo immutato esse; Ad Consequentiam concedo, quod si motus inest subiecto secundum suas partes in Tempore, ita & quies, sed negatur vltima consequentia scilicet quod idem instans, quod est vltimum non esse motus sit primum non esse quietis, quia vltimum non esse motus est vltimum immutatum esse, & per consequens vltimum quietis, pariter negatur, quòd primum instans non esse motus sit vltimum non esse quietis, sed est primum immutatum esse, & primum instans quietis, quia immutatum esse est aliquid quietis, & falsum est quòd Sco. loco ab ipsis cit. dicat, quòd instans immutationis non sit instans quietis, sed dicit, quòd non est quies, vt patet ex verbis Sco. adductis in primo cap. contrà Aduersarios, est tamen aliquid quietis, sicut punctus non est linea, sed aliquid lineæ, mutatum esse non est motus, sed aliquid ipsius motus, ità instans immutationis non est quies sed est aliquid quietis.

Ratio facta ab Auctore pro Aduers. Scotistis.

Secundò potest argui pro ipsis. In nullo instanti subiectum natum est mutari, quia motus non potest esse in instanti; ergò in nullo instanti subiectum potest habere priuationem motus, quia priuatio est negatio formæ in subiecto apto nato; ergò in nullo instanti potest esse quies pro priuatione; ergò talis quies non potest habere primum, & vltimum sui esse.

Respondeo concedendo antecedens cum sua probatione, sed nego quòd subiectum in nullo instanti sit natum habere aliquid motus, quia subiectum in quocunque instanti temporis motus habet mutatum esse; Ad Consequen-

tiam dico, quòd licet subiectum in nullo instanti possit habere priuationem, potest tamen habere aliquid priuationis motus, quod est immutatum esse, & per consequens in nullo instanti potest esse quies pro priuatione, potest tamen esse aliquid quietis, vt dictum est, nego tamen vltimam consequentiam scilicet quod quies talis non possit habere primum, & vltimum sui esse, quia habet primum, & vltimum immutatum esse; quorum vltimum est initium, & alterum terminus ipsius quietis, quæ non possunt esse, nisi in instanti, cum sint indiuisibilia.

CONCLVSIO SECVNDA.

Indiuisibilia possunt per potentiam Dei incipere in Tempore, & per vltimum sui non esse.

Est Sco. quol. 12. L. & 2. d. 5. q. p. H. & 3. d. 3. q. p. A. B.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. 14. phys. q. 2. art. 4. sustinent indiuisibilia, quæ possũt diù permanere, vt Angelus, Anima, & Gratia per potentiam Dei absolutam non posse incipere in Tempore, & per vltimum sui non esse, & hanc opinionem dicunt esse magis conformem dictis Scoti, licet variè, & problematicè loquutus sit, vt patet, quia in 2. d. 2. q. 1. ad primum pro prima opinione, & quolib. 12. a. 2. & alibi sustinet indiuisibilia non posse incipere in Tempore, etiam per potentiam Dei absolutam, oppositum verò habet in 2. d. 5. q. 1 §. de secundo art. & 3. d. 3. q. 1.

Falsificant Scotum.

Sed isti Doctores fingunt Sco. problematicum, & ipsum trahunt ad opinionem aliorum; Nunquam Sco. fuit in hoc problematicus, sed semper determinatè dixit, Deum potuisse

fuisse Indiuisibilia creare in Tempore, & nunquam oppositum, & Sco in locis ab ipsis cit.nihil ad hoc pertinens dixit,&illa loca non sunt ad propositum,vt in responsionibus manifestissimè patebit.

Contra hanc opinionem arguitur. Primò communiter auctoritate Sco.2.d.2.q 4.§ contra Conclusionem ante A. vbi arguendo contra Henricum intellectiones Angeli mensurari tempore discreto, cuius Temporis instans ponebat necessariò coexistens parti temporis nostri, ait,quòd hoc non est necessarium, quia intellectus Angeli potest vnam intellectionem habere in instanti nostro, & aliam in Tempore immediato, & quia Euo mensurantur, ideò (inquit) habebunt primum esse in Euo, licet secundæ intellectioni nulla pars correspondeat temporis nostri. *Confut.1.*

Respondent Meld. & Cat. ad hanc auctoritatem, quam ipsi adducunt intentum Sco.esse tantùm ostendere contra Henricum sine ratione ipsum ponere nunc temporis discreti necessariò parti Temporis nostri coexistere, nam si nos possumus elicere intellectionem post instans, multò magis Angelus, cùm sit perspicacioris intellectus; quare non est necesse, vt conseruet intellectionem illam per tempus aliquod, & licet posteà videatur concedere intellectū Angelicum posse post illud instans aliam producere intellectionem in tempore immediato, quæ primum esse habeat in Euo, & non sit asignabilis pars prima temporis nostri illi correspondens, hoc tamen dicit supponendo, quòd possit hoc facere intellectus noster, nam tunc clarè sequitur idem posse intellectum Angelicum, quo supposito debet necessariò concedi productionem secundæ intellectionis coexistere Tempori, vnde loquitur conditionatè. Et adducunt verba Sco.contra ipsos, sed asserunt Sco.non loqui ex propria sententia, sed in confutatione Henrici. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed isti Doctores non sequuntur Scotum. Non enim *Cōfutatio Responsis.*

probat Sco. quòd si intellectus humanus potest habere intellectionem in instanti, multò magis Angelus, neque quod possit habere intellectionem in tempore, supposito, quod intellectus noster possit intellectionem habere in Tempore, quia argumentum Sco. nihil valeret contra Henricum; Nam Sco. probat, vt ipsi fatentur, contra Henricum intellectionem Angeli non necessariò coexistere tempori sequenti, vt possit aliam intellectionem habere; ergò si Sco. probaret intellectionem esse solum in instanti, faueret Henrico, quia tunc sequeretur intellectionem productam in hoc instanti necessariò coexistere in toto tempore sequenti, contrà quod arguit Sco. hoc medio, quia potest Angelus in hoc instanti habere vnam intellectionem, & in Tempore sequenti aliam; Vnde si Sco. loqueretur ex suppositione, & suppositio esset falsa, quid concluderet contra Henricum? Posset respondere Henricus, quòd Sco. procedit ex falsa suppositione; legant igitur Scotistæ suum Doctorem, & videbunt, quòd determinatè probat intellectum humanum, & Angelicum posse in vno instanti habere vnam intellectionem, & in Tempore immediatè sequenti habere aliam intellectionem, quæ intellectiones habent mensuram indiuisibilem; quo supposito concludit tàm intellectionem in instãti habitam, quàm intellectionem secundam in Tempore immediatè sequenti mensurari Euo: habet enim hæc verba: *Si autem intellectio Angeli mensuretur Euo, sicut posteà dicetur, tunc etiam posset esse aliqua cum vno in instanti, & aliqua cum Tempore habito, & illa secunda habet primum sui esse, sicut & prior, quia illa secunda habet mensuram indiuisibilem, sicut & prima habet, sed tamen nihil temporis nostri primum coexistit illi secundæ intellectioni, & hoc modo est de intellectionibus Angeli, quia si aliquid intelligat cum in instanti nostro, non oportet illam intellectionem manere per tempus habitum, sed si statim habeat aliam intellectionem, illa coexistit*

Infideliter adducunt Scotum.

xistit tempori habito instanti, cum quo fuit prior intellectio, & tunc nihil erit temporis nostri primum coexistens illi secundæ intellectioni; Hæc Sco. Vnde illa verba adducta ab Aduersariis Scoti stis non sunt conditionata, problematica, & indeterminata, sed supponunt quòd iam Sco. determinauerit scilicet Angelum, & hominem posse habere intellectionem in instanti, & aliam in tempore sequenti, & tamen vtramque. Euo indiuisibili mensurari, & per consequens non esse neccessarium intellectionem productam in instanti coexistere tempori sequenti, vt possit aliam habere, quòd infringitur solum per hoc, quòd Angelus potest habere aliam intellectionem in tempore immediatè sequenti.

Sed quòd peius est, isti Scriptores, vt confirment eorum falsam Responsionem cum Doctrina Scoti adducunt Sco. eodem loci in responsione ad secundum, vbi totum oppositum dicit, & pro mea conclusione, sed asserunt hoc non dicere ex propria sententia, sed in cõfutatione Henrici; Nam confutatio. Sco. contrà Henricum non est ad hominem; ergò in propria sententia, ergò si Sco. confutando Henricum ponit Angelum posse habere aliam intellectionem in Tempore sequenti; hoc dicit ex propria sententia.

Præterea Sco. Respondet huic argumento scilicet operatio Angeli durat per Tempus, & non præcisè in instanti; ergò non mensuratur Euo, quia sic esset præcisè in instanti. Dicit Sco. primò concedendo, quòd non est præcisè in instanti. Dicit secundò quòd potest dici intellectionem Angeli esse præcisè in instanti, & post illud instans posse habere aliam intellectionem immediatè, & tàm intellectionem, quæ est præcisè in Tempore, quàm intellectionem, quæ est præcisè in instanti mensurari Euo; ostendit enim inualiditatem argumenti per hoc, quòd Angelus potest habere intellectionem in instanti, & aliam in Tempore immediatè, & tamen vtramque Euo mensurari, quia non

est

est necesse, vt in argumento, Euiternum esse tantùm per instans, imò nec solum fieri in instanti; sed posse fieri in Tempore. Nouum Sco. inuenerunt isti Scriptores, nec soluunt argumenta.

Confut. 2. Secundò Arguitur etiam Auctoritate Scot. 3.d.3.q.p. A. B. vbi ait, quòd B. Virgo poterat in primo instanti suæ Conceptionis esse sub peccato originali, & in tempore immediato in gratia, quæ tamen non successiuè, sed indiuisibiliter produceretur; ratione cuius mutatio illa, propriè nec motus, nec mutatio erit; Non mutatio, quia est in Tempore, non motus, quia non est successio, neque ex parte subiecti, neque ex parte formæ.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. quòd Sco. loquitur de successione proueniente ex partibus extensiuis, quæ non adest propter animæ indiuisibilitatem, & gratiæ, sed adest successio ex parte graduum gratiæ, propter quam successionem potest tempori coexistere, & per vltimum non esse incipere, quòd fusè explicat in primo d.17.q.3 & sequentibus, quæ expositio est iuxta dicta Sco. 2.d.2. q. ii. arguendo contra D. Thom. Vbi ex hoc, quod operatio Angeli, quamuis esset in instanti temporis discreti, coexisteret tamen nostro Tempori, arguit continuam, & successiuam esse; hinc dicendum Sco problematicum fuisse.

Confutatur responsio. Sed hæc Responsio non soluit argumentum, et duo falsa inuoluit. Primum quòd sit de mente Sco. 2. d. 2. q. ii. arguendo contra D. Thom. vbi habet, quòd operatio Angeli ex hoc, quod coexistit tẽpori necessariò sit continua, & successiua, & per consequens Sco. sit problematicus; sed vt videre est, nunquam tale falsum asserit ibi Sco. quia si aliquod ex quo Tempore nostro coexistit, esset continuum, & successiuum, quodlibet indiuisibile, vt Deus, Angelus, & Anima essent continua, & successiua; quodque maius est Sco. nullum verbum habet de successione, sed solum probat, quòd Angelus si moueretur in instanti temporis discre-

discreti, non moueretur instantaneè, nam si instans temporis discreti esset immediatum instanti nostro, quærit quid respondeat ei in Tempore nostro; Si respondeat instans; ergò instans in Tempore nostro est immediatum instanti; igitur (inquit Sco.) Tempus nostrum est discretum; Si respondet Tempus; ergò in illo instanti non mutatur Angelus instantaneè.

Secundum falsum est, quòd Sco. in tertio loco cit. dicendo, quòd gratia creata in Tempore indiuisibiliter aquireretur, & non successiuè, ibi negat successionem prouenientem ex partibus extensiuis, non autem successionem prouenientem ex parte graduum gratiæ. *Aliud falsum Meld. & Cat. conf.*

Contra Sco. dicit, quòd si B. Virgo in Tempore immediato post primum instans iustificaretur, tunc tota gratia simul indiuisibiliter in Tempore produceretur; sit illa gratia secundum decem gradus; Tunc sic argumentor: Vel illa gratia tota includeret illos gradus, vel non, si includeret, ergò illi gradus simul & nō successiuè acquirerētur si nō includeret; ergò gratia siuè illis gradibus produceretur, & sic ad eandem gratiā esset simul motus, & mutatio, mutatio scilicet ad gratiam, & motus ad gradus gratiæ.

Si dicatur quod vtique gratia est indiuisibilis quò ad partes, tamē essentialiter est diuisibilis quoad gradus, & ideò dicit Sco. quòd tota gratia īdiuisibiliter aquireretur, ita quod non partes ante partes, tamen gradus ante gradū aquiritur.

Contrà ergò ad talem gratiam secundum suum esse essentiale esset motus, & non mutatio, quod est contra Scotum loc. cit. probo consequentiam, quia talis gratia secundum esse essentiale successiuè aquireretur; ergò non tota; ergò in tali casu nullo modo ad ipsum esset mutatio, vt differt à motu, quòd est contra Sco. loco cit. Vnde si talis iustificatio B. Virginis haberet aliquid de mutatione, quia tota gratia aquireretur; non posset in ipsa aquisitione esse successio secundum gradus, quia nihil haberet de mutatione *Tertia responsio conf. I.*

tatione

tatione, quia successiuè, & in Tempore aquireretur.

Conf. 2. Præterea quæro. Potest ne Deus inducere gratiam secundum decem gradus simul, vel non? si potest, habetur intentum; si non potest: ergò Deus si agit in Tempore, necessariò agit per motum: ergò nulla erit differentia inter Deum, & agens naturale, quòd est contra Sco. loco cit. vbi habet, quòd si Deus producit aliquam formam in Tempore, potest illam totam simul producere in tempore, & per mutationem, agens verò naturale in Tempore necessariò agit per motum; Attendite verba Sco: *Sed quare passio causata ab agente naturali est mutatio, vel motus, & non ista? Respondeo, quia agens naturale si potest subitò inducere formam inducit per mutationem, & si non potest necesse est, vt agat in tempore, & ita per motum. Deus autem & si posset inducere formam in instanti, tamen si non induceret in instanti, potest inducere totam in Tempore, ita quod non partes ante partes*; Hæc Sco.

Tunc sic argumentor; si differentia inter agens naturale, & Deum, est, quòd agens naturale, si producit formam in Tempore, producit successiuè, Deus verò non successiuè, & ita per mutationem; ergò gratia non successiuè aquirretur per gradus.

Confut. 3. Præterea quicquid Deus producit in instanti indiuisibiliter, & simul, potest producere simul in Tempore, sed Deus potest producere gratiam indiuisibiliter in instanti; ergò illam potest producere indiuisibiliter in tempore.

Tacita responsio confut. Si dicatur quòd gratia non est producibilis simul, & indiuisibiliter secundum gradus; ergò gratia est essentialiter successiua; ergò non mensuratur Euo.

Præterea illud mensuratur, vel durat Euo, quòd potest simul produci, etiam si successiuè producatur, vt albedo, & quæcunque qualitas, quia quod est essentialiter successiuum, tempore durat, & Euo durare non potest; sed gratia secundum decem gradus durat Euo, siue producatur

in

in instanti, siuè in Tempore; ergò quomodocunque producatur, erit secundum suos gradus simul producibilis.

Præterea si Deus potest totam gratiam in Tempore producere, potest illam producere eo modo, quo est totaliter producibilis; sed non est producibilis totaliter secundum partes, quia non habet partes; ergò erit totaliter producibilis secundum gradus; ergò si Deus in Tempore potest producere totam gratiam, potest illam producere secundum omnes gradus simul. *Confut. 2.*

Præterea forma substantialis, quæ est indiuisibilis, & non habet gradus, producitur non solum à Deo, sed ab agente naturali in instanti; ergò potest à Deo produci in Tempore, ergò tota simul, & indiuisibiliter in Tempore produceretur, ergò potest habere vltimum sui non esse. *Confut. 2. eorum opinio principaliter.*

Si dicas, quòd Deus non posset formam substantialem producere in tempore, Hoc est contra principium Sco. loco cit; vbi habet quicquid Deus potest producere simul in instanti, potest simul producere in tempore, quia non repugnat ex parte formæ, quia forma est indiuisibilis; ergò non ex parte Dei, aliter Deus non esset omnipotens. *Tacitæ responsiones confutantur.*

Si dicas, quòd non repugnat fomæ quantum ex se, repugnat tamen formæ indiuisibili fieri in Tempore, hoc est gratis dictum, quia si indiuisibile existit in Tempore indiuisibiliter, etiam ei non repugnabit in Tempore indiuisibiliter fieri, Euum enim, Euiternum est indiuisibile, & tamen in Tempore indiuisibiliter existit, idem enim est modus essendi, & fieri rerum indiuisibilium.

Præterea principaliter contra conclusionem ad hominem. Gratia per Aduersarios Scotistas est forma indiuisibilis, diuisibilis tamen secundum gradus, & potest in Tempore produci; ergò indiuisibile potest incipere in tempore, & habere vltimum sui non esse, quod est principale intentum in conclusione. *Confut 3. ad hominem.*

Confut. 4. Præterea permanentia, quæ producuntur, & corrumpuntur in instanti, potest Deus producere & destruere in tempore ex Sco. quolib. 12. l. sed indiuisibilia producuntur, & destruuntur in instanti; ergò potest Deus indiuisibilia producere, & destruere in tẽpore; ergò indiuisibilia possunt incipere in Tempore, & habere vltimum sui non esse, sicut & vltimum sui esse, & hoc quia, (vt inquit Sco.) non includit contradictionem.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Indiuisibilia possunt per potentiam Dei incipere in Tempore, & per vltimum sui non esse.

Est Sco. quol. 12. L. & 2. d. 5. q. p. H.
& 3. d. 3. q. p. A. B.

PRo cuius declaratione Not. primò hic non esse sermonem de raptim transeuntibus, vt mutata esse, mutationes, & instantia, sed de indiuisibilibus, quæ permanere possunt, vt sunt Angeli, Anima, Gratia & cætera huiusmodi, quæ etiam secundum aduersarios possunt desinere per vltimum sui esse, in quo verum sit dicere: Nunc indiuisibile est, & immediate post hoc non erit, quia à Deo possunt in toto Tempore conseruari v. g. vnius horæ, & in instanti immediatè sequenti, sed dubium est de inceptione per potentiam Dei absolutam. An scilicet possit in Tempore incipere, vnde quod sit verum dicere: Indiuisibile nunc vltimò non est, & immediatè post hoc erit in tempore sequenti.

Secundò Not. est ex Sco. 3. d. 3. q. p. B. quòd est imperfectionis agere necessario in Tempore, quomodò agit agens nalurale, quod si potest aliquam formam subitò producere, agit in instanti, & per mutationem, si vero non

potest

potest subitò inducere formam, agit in Tempore & per motum, & hoc quia non potest agere in materiam nudam, & affectam contraria forma, & accidentibus contrariis formæ inducendæ, & ideò præuia alteratione, quæ fit in Tempore propter imperfectionem agentis naturalis; Dici tamen potest, quòd si in aliquo instanti materia esset vltimò disposita, & ignis v.g. immediatè esset materiæ applicatus, in Tempore produceret in tali materia formam ignis indiuisibiliter, & totam simul, quia forma ignis est indiuisibilis, & ignis est agens naturale, & non impeditus necessariò ageret; Non est autem imperfectionis agere in Tempore non necessariò & ex sua libertate, sicut Deus si produceret formam indiuisibiliter in tempore, quam in instanti posset producere.

Tertiò Not. quòd Deus producens indiuisibile in Tempore, vt Angelum, Animam, gratiam, & cętera huiusmodi nullo modo successiuè produceret, nec ratione producti, quòd esset indiuisibile, nec ratione propriæ durationis, quæ esset Euum, quod est indiuisibile, sed solùm successiuè produceret ratione mensuræ extrinsecæ, & Temporis, in quo produceretur; Esset enim sensus, quod Deus produceret indiuisibile in tempore, quòd est successiuum; Et licet dicat Sco. 4. d. 43 q 5. §. de secundo, formam substantialem, quæ est indiuisibilis successiuè produci posse intelligitur vel ratione præcedentium dispositionum, vel ratione temporis, in quo produci potest: Vnde producto indiuisibili in tempore correspondet intrinseca mensura indiuisibilis, quæ est Euum, & hoc indiuisibile indiuisibiliter existens coexistit tempori, & mensuræ successiuæ, quod non repugnat, nam sicuti indiuisibile, quod indiuisibiliter coexistit successiuo secundum omnes, etiam quando fit indiuisibiliter in tempore, potest Tempore successiuo coexistere. His Not.

Indiuisibili productū in tempore non produceretur successiuè.

Probatur Conclusio omnibus rationibus in primo cap.

positis, potest tamen sic probari, quòd producitur in instanti habet relationem ad esse præhabitum in Tempore immediatè sequenti illud instans; sed respectus est indiuisibilis; ergò indiuisibile de facto est in tempore, ergò potest esse, quia possibili posito in esse nullum sequitur impossibile, minor patet, maior probatur, quia in tempore immediatè sequenti res dicitur conseruari sic quòd antea non conseruabatur, ergò incipit conseruari in Tempore immediatè sequenti ad instans productionis; ergò relatio ad esse præhabitum, quæ est indiuisibilis incipit esse in tempore.

Si dicas quòd respectus non habeat propriam productionem, & per consequens proprie non incipiat esse hoc nihil officit, quia suo modo incipit esse, nam valet dicere, quod respectus nunc non est, & immediatè post hoc erit, & in ipso datur transitus de non esse ad esse.

Si dicas quòd hoc verum est in respectiuis, non absolutis est manifestissima fuga, quia absolutum indiuisibile nō potest esse in Tempore, vel quia absolutum est, vel vt indiuisibile est; Non primum quia tunc nulla qualitas, & forma posset esse in Tempore, quòd est falsissimum apud omnes; ergò secundum Aduersarios non poterit esse in tempore, quia indiuisibile præcisè, cum igitur respectus sit indiuisibilis eo modo debemus speculari quo ad hoc tàm de absoluto, quam de relatiuo; Tunc sic; sed non repugnat respectui, qui est indiuisibilis, esse in Tempore, vt probatum est; ergò nec absoluto repugnabit.

Argum. Meld. & Cat. Contra Arguunt Meld. & Cat. in principio huius articuli. Primò indiuisibilia quando sunt incipiunt esse, & totaliter sunt, quia carent partibus durатiuis; ergò valet dicere, nunc est instans, antea non erat.

Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia si indiuisibilia per potentiem Dei inciperent in Tempore, solum valeret dicere, quòd nunc vltimò non essent, & immediatè post hoc erunt, habérent enim

vlti-

vltimum sui non esse, sicut & alia temporalia.

Secundò si indiuisibilia inciperent in Tempore, sequeretur quòd vel tempus esset indiuisibile, vel instans haberet partes, quia mensura debet proportionari mensurato.

Respondeo quod neutrum sequeretur: Et ad probationem dico, quòd mensura intrinseca debet proportionari mensurato, sed negatur de mensura extrinsèca, quia sic indiuisibile non posset coexistere tempori, & tempore extrinsecè mensurari: Modò Indiuisibile, quod inciperet esse in tempore proportionaretur Euo, quòd est indiuisibile, & esset eius intrinseca mensura.

Tertiò est contra rationem formalem indiuisibilium extrinsecè incipere, & fieri in tempore, quia sic non essent indiuisibilia secundùm durationem; ergò nec de potentia Dei absoluta possunt extrinsecè incipere.

Respondeo negando antecedens cum sua probatione, quia indiuisibili producto in Tempore correspondet indiuisibilis duratio, quæ est Euum, quare negatur consequentia.

Quartò Arguunt in hac disp. num. 36. sustinentes Sco. esse problemtiacum eò quia oppositam sententiam etiam sustinent 2. d. 2. q. 1. ad primum pro prima opinione, & quolib. 12. art. 2. vbi habet creationem, seu productionem nouam per hoc à conseruatione distingui, quia illa supra respectum ad causam addit respectum ad non esse immediatè præcedens, hæc verò respectum ad idem esse, vt præhabitum: Ex quo postea deducit Creaturam in primo instanti solum propriè dici esse creatam, sed in Tempore immediato conseruari, ergò per Sco. vera creatio, & productio entis indiuisibilis instantanea esse debet, & per consequens Sco. in hoc est problematicus, cum in 2. & 3. sent. locis in principio conclusionis citatis contrarium dicat.

Respondeo quòd Sco. numquam fuit in hoc problematicus, nec vllus Scotista inueniet Doctrinam in oppositum,

falsificant Scotum

vtique in locis ab Aduersarijs citatis dicit creationem de facto esse in instanti; sed nunquam dicit esse ita in instanti, quòd non possit esse in Tempore, quomodo probat posse esse creationem in Tempore locis in hac conclusione citatis: Videatis modo Scotistæ si Sco. dicens creationem, & productionem indiuisibilium esse in instanti, probat non posse esse in Tempore, & si ex hoc potest elici Scotum diuersimode loqui; Vnde Angelus V. G. creatus in Tempore haberet respectum ad non esse immediatè præcedens illud tempus, in quo tempore recipit esse, quia haberet non esse in instanti, quòd esset vltimum non esse illius, per quem respectum diceretur creari, vt creatio differt à conseruatione; Et haberet respectum ad esse præhabitum in tempore immediato ad illud instans; Sicut quando permanens in Tempore successiuè producitur, prima pars, vel primus gradus qualitatis productus dicit respectum ad non esse immediatè precedens in instanti, quòd est vltimum non esse illius; & in tempore sequenti, in quo producitur secundus gradus dicitur conseruari, quia dicit respectum ad esse præhabitum in tempore immediato ad vltimum instans non esse illius; sed in qua prima parte temporis pars prima, vel primus gradus permanentis dicatur produci, & in qua secunda parte temporis dicatur conseruari, nullus assignabit, quia impossibile est assignare, non enim datur in tempore primum & secundum, quia quælibet pars temporis est diuisibilis in infinitas partes: faciunt itaque isti Scotistæ Scotum problematicum, quia nesciunt respondere huic, & similibus argumentis, quę fieri solet etiam ab aliis doctoribus, quorum doctrinam transcripserunt Scoto contrariam.

Quintò Arguunt argumento aliorum, quòd habet aliquam euidentiam, tali pacto: si indiuisibile, vt Angelus inciperet extrinsecè; ergò Angelus inciperet in Tempore; Consequens est falsum; ergò & Antecedens; falsitas consequentis probatur, quia Tempus correspondens toti pro-

ductioni

ductioni pro vt à conseruatione distinguitur est diuisibile in partes priores,&posteriores;vel ergò productio exercetur in secunda parte, vel non,si secundum, ergò productio non coexistit toti illi tempori; Si primum, vel producitur nouum esse Angeli, vel idem omninò permaneret; Non primum, quia entitas Angelica diuisibilis esset; Si secundum; ergò tunc non producitur, quia de ratione productionis nouæ, prout à conseruatione distinguitur, est, quod ipsa mediante primò communicetur esse rei, & ordinem immediatum dicat ad non esse præcedens, potius igitur conseruatur, cum respicit esse præhabitum,quæ ratio est Arist. 6. phys.cap.5.vt vidimus in textu. Hoc argumentum facit illos à veritate Sco. recedere, sed si Doctrinam Scoticam considerassent, affirmarent nullius esse momenti ,& habere eandem difficultatem de permanentibus qualitatibus, quæ sunt indiuisibiles, diuisibiles tamen secundum gradus, vt est præcipuè gratia, quæ secundum ipsos potest in tempore produci diuisibiliter secundum gradus.

Vnde retorqueo argumentum. Tempus correspondens productioni primi gradus gratiæ, vel alterius qualitatis pro ut à conseruatione distinguitur est diuisibile in partes priores, & posteriores; Vel ergò productio primi gradus qualitatis exercetur in secunda parte temporis, vel non; si secundum ergò productio non coexistit toti illi tempori; Si primum, vel producitur nouum esse illius primi gradus, vel idem omninò permanet; Non primum quia ille gradus esset diuisibilis; si secundum, ergò gradus ille tunc non producitur, quia de ratione productionis nouæ, pro vt à conseruatione distinguitur; est quod ipsa mediante primò communicetur esse rei, & ordinem immediatum dicat ad non esse præcedens, potius igitur ille gradus conseruatur, cum respicit esse præhabitum. *Retorquetur argũ. quod sustinent insolubile.*

Respondeo igitur, quòd Angelus inciperet in tempore; Et cum probatur, quòd hoc est falsum, dico, quòd non da-

tur Tempus correſpondens toti productioni Angeli; Supponunt enim vnum falſum, quòd deſtruit totum eius Argumentum, nempè productioni Angeli in tempore correſpondere Tempus, in quo primò ſit, & hoc eſt cont. Sco. 2. d. 2. q. 4. §. cont. concluſionem ante A. vbi habet, quòd intellectus Angeli poteſt habere vnã intellectionem in inſtãti noſtro, & aliam in tempore immediato, & quia Euo menſurantur, ideò (inquit ipſe) habebunt primum eſse in Euo, licet ſecundæ intellectioni nulla pars prima correſpondeat temporis noſtri; Eſt cont. Ariſt. 6. Phys. cap. 5. quo loci dicunt vidiſſe argumentum, quia ibi Ariſt. inceſſanter probat non dari primam partem motus, nec primam partem Temporis, in qua primò dicatur eſse motus, & tempus; infruſtra eſt igitur quærere in qua parte primò Angelus inciperet eſse, cum nulla detur, & cum dicitur (quod eſt tota vis argumenti) tunc non daretur productio diſtincta à conſeruatione, negatur, quia, vt dictum eſt, daretur in Angelo relatio ipſius ad Deum cum reſpectu ad non eſse immediatè præcedens in inſtanti immediato, quod eſſet vltimum inſtans non eſſe illius, & daretur reſpectus ad Deum cum reſpectu ad eſſe præhabitum in tempore immediato, qui reſpectus fundaretur in eodem eſse Angeli coexiſtente tempori poſteriori, & terminaretur ad idem eſse Angeli coexiſtens tempori priori, quia liceet in tempore non poſſit dari primum, & ſecundum, cum ſit diuiſibile in infinitas partes, eſt tamen dare prius & poſterius.

Et ſi dicas. Illa pars prior, in qua Angelus dicitur produci, & non conſeruari, eſt diuiſibilis in plures partes; ergò productio Angeli erit diuiſibilis, nego conſequentiam, quia productioni Angeli nulla pars temporis neceſsariò correſpondet, ſed tantum Æuum; Non poſsumus autem intelligere Angelum conſeruari, niſi in ordine ad coexiſtentiam pluribus partibus temporis, & ideò ſi Angelus coexiſtit tempori vnius horæ, dicitur, quod conſeruatur

per

per horam, quia dicit respectum ad esse præhabitum in tempore priori, licet in tempore non possit dari prima pars, in qua primò fiat Angelus, & secunda, in qua immediatè dicatur conseruari, quia quælibet pars temporis est diuisibilis in infinitas partes. Videant igitur isti Scotistæ suum doctorem, quia in 2. Sent. loco cit. satisfacit huic argumento, quòd insolubile sustinent contra proprium Magistrum.

Sed stante hac determinata Doctrina Sco. quòd Angelus in tempore possit creari, quæri potest, an tunc posset Angelus raptim transire. Dicerem quòd sic, quia licet non possimus percipere subitam transitionem Angeli de esse ad non esse melius, quam in instanti temporis, tamen quia Euum, quod est eius mensura, vel duratio, est indiuisibile, cui nulla pars temporis correspondere potest, cum diuisibile non possit correspondere indiuisibili, potest dici quòd Deus tunc eodem modo destrueret Angelum in tempore indiuisibiliter existentem, sicut si existeret in instanti temporis, ideò si in instanti Eui simul produceretur, & destrueretur, raptim transiret siuè existeret in tempore siuè in instanti temporis, quæ sunt extrinseca Angelo, & cuicunque indiuisibili; Hoc etiam patet de respectu animæ ad gratiam in tempore productam, qui respectus raptim transiret, loquendo de respectu ad gratiam in fieri, qui aliquo modo diceretur motus, & mutatio, non enim permaneret, quia gratia indiuisibiliter fieret.



Disputatio Octaua de Motu.

VLtimum obtinet locum disputatio de motu, licet Arist. in 3. Phys. ante tractatum de infinito loco, Vacuo, & Tempore de ipso sermonem faciat, tamen quia diuersis in locis, & libris Physicis multa de motu disserit, videtur Neotericis omnia simul in vna disputatione considerare, ego etiam talem ordinem non despexi, quia bono, & vtili non contradico, solum detestor malum, & impugno, *multiplicitatemque* articulorum inutilem fugio, plures articulos, qui distinctam non requirunt cognitionem, in vna conclusione resoluo, qui verò independenter se habent, distinctè pertractantur, non propter neccessitatem doctrinæ, sed propter doctrinæ distinctionem, & confusionem aufugiendam.



CONCLVSIO PRIMA.

Motus formaliter importat respectum subiecti ad formam cum respectu immediatè successionis informationis passiua ad non informationem.

Est Sco. 2. d. p. q. 5. S. T. & 4. d. ij. q. p. E.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld. & Cat. disp. 15. Phys. q. p. num. 7. §. Restat igitur &c. dicunt motum formaliter importare successionem formæ ad non esse præcedens, seù respectum informationis, vel esse formæ in subiecto ad non esse immediatè præcedens, vnde motus pro materiali secundum istos numero 10 importat formam fluentem, & num. 16. dicunt quòd etiam importat pro materiali respectum subiecti ad formam ex Scot. 2 d. p. q. 5. S. T. pro formali verò importat fluxum formæ, qui non est nisi relatio successionis formæ ad non esse immediatè præcedens; Vnde ex hac falsa doctrina dicunt 2. quòd si motus absolutè consideretur, etiam secundum suam essentiam precisè quocunque modo, & à quocunque sit possibilis in rerum natura, & consequenter vt abstrahit à motu naturali, & supernaturali solum dicit successionem termini ad quem post terminum à quo immediatè præcedentem, præcindendo à subiecto quocunque; Et numero nono dicunt, quòd talis est motus propriissimè dictus, quia est conceptus essentialiter inclusus tanquam genus in motu Physico. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed hæc opinio nullo modo potest sustineri etiam in uia ipsorum, & multa falsa dicunt innixi huic falso fundamento scilicet quòd motus sit fluxus formæ.

Arguo primò ad hominem; Nàm ibi num. 5. confutan-

Confut. 1. ad hominē do doctissimum fabrum meum Conciuem determinantem motum importare formaliter relationem formæ ad agens, dicunt, quòd hoc non potest esse, quia iste respectus est in forma, non in mobili, motus autem est in mobili, quòd denominat moueri; Tunc sic, sed iste fluxus formæ & respectus formæ ad non esse immediatè præcedens est in forma, non in mobili; ergò iste fluxus, & successio formæ ad non esse immediatè præcedens non potest esse motus.

Confut. 2 Secundò. Motus ex Sco. 2. d. 1. q. 5. S. T. dicit tantùm respectum materiæ ad formam, & respectum posterioris ad oppositum præcedens; sed fluxus formæ, seu successio formæ ad non esse immediatè præcedens nullus est istorum respectuum; ergò fluxus formæ non est formaliter motus; minor probatur, quia prior respectus fundatur in materia, & secundus fundatur in priori respectu ex Sco. loco cit. fluxus autem formæ fundatur in forma; ergò iste fluxus nullus est istorum respectuum importatorum à motu; Ex quo patet Aduersarios malè intelligere Scotum, dum explicant respectum posterioris ad oppositum præcedens, scilicet successionem formæ ad non esse immediatè præcedens, quia secundum Sco. vt dictum est, iste respectus posterioris ad oppositum præcedens fundatur in respectu materiæ ad formam, & non in forma.

Confut. 3. Tertiò. Si fluxus formæ ad non esse immediatè præcedens esset essentialiter, & formaliter motus, sequeretur quòd productio, vt distinguitur à conseruatione esset formalissimè motus, quòd est falsum, quia secundum Sco. & omnes Scotistas productio distinguitur à conseruatione tantùm per istum fluxum, & respectum ad non esse immediatè præcedens.

Confut. 3. Præterea si motus Physicus esset fluxus formæ in subiecto, sequeretur quòd forma mutaretur in subiecto, & non subiectum mutaretur ad formam, quia fluere in subie-


cto nihil est pertinens ad subiectum formaliter, sed tantùm ad formam, quia subiectum non fluit in subiecto; ergò nullo modo motus propriè dictus potest dicere nec in genere, nec in specie fluxum formæ.

Confut. 4.

Præthereà isti Doctores non benè philosophantur; Nam in hac quæstione prima multoties dicunt formaliter motum esse relationem formæ ad non esse ipsius immediatè precedens, & aliquando esse respectum informationis passiuæ ad non formationem, sed quòd mihi admirationem parit, est quòd in quattuor verbis hanc contradictionem inuoluunt: Attendite verba, quæ habent num. 3. §. Dicimus primo &c. *Dicimus primo nullo ex his modis explicari rectè motus naturalis, & Physici formalitatem, sed motum naturalem formaliter dicere successionem termini ad quem posterioris post terminum à quo priorem immediatè præcedentem, non quidem vt sic, sed vt in subiecto, quæ successio (notate) est relatio quadã termini ad quẽ in subiecto ad terminũ à quo immediatè præcedentẽ, siuè sit motus aquisitiuus siuè deperditiuus; nam si aquisitiuus erit (ecce contradictio) tunc relatio illa, quam dicit respectus informationis passiua ad non esse ipsius immediatè præcedens, motus aquisitiuus dicetur.*

Contradictio Meld. & Cat.

Tunc sic arguo. Dicere motum aquisitiuum formaliter esse relationem termini ad quem ad terminum à quo immediatè præcedentem, & esse relationem informationis passiuæ ad non esse ipsius immediate præcedens; quæ est relatio fundata in subiecto, est dicere motum aquisitiuum formaliter esse relationem fundatam, & non fundatam in forma; ergò manifestè sibi contradicunt.



Sen-

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Motus formaliter importat respectum subiecti ad formam cum respectu immediate successionis informationis passiua ad non informationem

Est Sco. 2. d. p. q. 5. S. T. & 4. d. ij. q. p. E.

Motus plures respectus importat, et quos formaliter

PRo cuius declaratione Primò Not. est ex Sco. 2. d. p. q. 5. S.T. quòd in quacunque mutatione naturali reperitur materia, forma, agēs, & compositū ex materia, & forma, & multi respectus scilicet respectus agentis ad compositum productum, & respectus compositi producti ad agens producens; Respectus materiæ ad formam, & è contrario formæ ad materiam: Respectus materiæ, & formæ ad compositum, & compositi ad materiam, & formam, & omnes isti respectus habent respectum ad sua opposita, scilicet ad non esse eorum immediatè præcedens; omnes autem isti respectus sunt ab agente, & ideò isti respectus possunt fundare proprios respectus ad agens: Vnde tres respectus videtur dicere mutatio scilicet respectum materiæ ad formam, qui dicitur respectus perfectibilis ad perfectionem, & respectum passiui, seù producti ad agens, seù producens, & respectum posterioris ad oppositum præcedens; sed loquendo absolutè de mutatione, non comparādo ipsam ad agens, mutatio tantùm dicit primum & secundum respectum, scilicet respectum materiæ ad formam, & respectum posterioris idest informationis ad oppositum præcedens, scilicet ad non informationem, qui fundatur in respectu, qui est materiæ ad formam, & terminatur ad non esse ipsius præcedens; Et isti respectus concipiuntur per illam diffinitionem motus, cum dicitur mutari est aliter se habere nunc quam prius, ly *se habere* exprimit respectum materiæ ad formam

siuè

siue perfectibilis ad perfectionem; secundum quam se habet; sed aliter *quàm prius* exprimit respectum fundatum in respectu materiæ ad formam.

Secundò Not. quòd motus est duplex, scilicet aquisitiuus, qui est ad formam, & deperditiuus, qui est transitus à forma ad priuationem eiusdem formæ; motus quicunque aquisitiuus est duplex. Naturalis, & supernaturalis: Naturalis est qui fit ab agente creato, & naturali; Supernaturalis est qui fit ab agente increato, & supernaturali; Et quicunque motus potest accipi dupliciter ex Sco. 4. d. 10. q. 6. A. Vno modo, strictè pro aquisitione formæ substantialis, vel quantitatis, vel qualitatis, vel Vbi, ad quas formas solùm propriè est motus, Alio modo magis extensiuè pro aquisitione cuiuscunque formæ in generali; Et motus à quocunque fiat, si consideretur in ordine ad formam (relinquendo motum deperditiuum) vel est naturalis, si subiectum ad formam inclinetur, vel violentus, si subiectum habeat contrariam inclinationem ad formam, vel neuter, si subiectum non inclinatur, nec vllam habeat contrariam inclinationem ad formam, vt satis dictum disp. de natura in prima parte philosophiæ, & omnis talis motus potest accipi dupliciter: Vno modo pro materiali, & sic est forma educta, vel inducta ex Sco. 4. d. 13. q. 1. M. Alio modo pro formali, & sic est respectus subiecti ad formam, vt nouam, seù vt fluentem, & in fieri; Et hic est sermo de motu eo modo, quo Aristoteles loquutus est in 3. Phys. & iste dicit fluxum formæ in subiecto, & cum istius motus tria sint principia ex Arist. primo phys. Materia, forma, & priuatio, motus necessario debet dicere fluxum formę, in subiecto, qui fluxus non est essentialiter motus, sed necessariò ad motum requisitus, quia ex Sco. 2. d. 9. q. 5. S. T. motus est respectus materiæ ad formam cum respectu immediatè successionis informationis ad non informationem fundato in respectu materiæ ad formam, & terminato ad non informa-

Motus multiplex.

formationem, qui respectus est realis, quia præter intellectum, sed non realis simpliciter, quia est terminatus ad ens negatiuum.

Tertiò Not. quòd motus potest accipi magis latè pro quacunque nouitate, & transitione de non esse ad esse, & sic motus non tantum consistit essentialiter in fluxu formæ, sed etiam consistit in fluxu materiæ, vel compositi, quia quę producuntur, dicuntur transire de non esse ad esse. Tamen loquendo de motu secundum institutionem, & mentem Arist. & in propria significatione dicimus etiam quòd in fluxu formę necessariò consistit, non quod fieri formæ sit essentialiter, & formaliter motus, quia tunc forma mutaretur & non subiectum, quòd est falsum, quia motus est ad formam, & per consequens, quod recipit formam dicitur mutari, sed quia motus formaliter non potest esse sine fluxu formæ, subiectum enim non aliter se haberet ad formam, nisi forma in subiecto flueret; Ex quo patet, quòd quando Sco. 4. d. 12. q. 4 D. & §. ad primum principale, quod subiectum non est de essentia motus, sed fluxus formæ, quia sicuti forma producitur in subiecto, potest à Deo sine subiecto produci, non intelligit de motu propriè dicto, sed impropriè, & lato sumpto vocabulo pro transitione de non esse ad esse, qui fluxus formę siuè in subiecto siuè extra subiectum ad non esse immediatè præcedens est formaliter productio, vt à conseruatione distinguitur, vt dictum est in primo cap. contra Aduersarios.

Dici potest quod motus consistit in fluxu formæ.

Quartò Not. est ex Sco. 4. d. ij. q. p. E. quòd & si mutatio debet intelligere subiectum, quòd mutatur & formam, secundum quam mutatur, & habitudinem subiecti ad formam, tamen vltra istam habitudinem formaliter importat successionem immediatam informationis ad non informationem, & è conuersò respectum non informationis ad informationem, si sit motus deperditiuus, subiectum tamen, & forma sunt materiale in mutatione, sed illorum duorum,

for-

formalius est terminus, & forma, quàm subiectum, ideò dicitur formalius etiam importari; & verius, quàm ille respectus successionis, licet verè ille respectus sit formalior, quia forma vel est absoluta, vel saltem ens positiuum simpliciter, ille autem respectus successionis est ens positiuum secundum quid, quia ad ens negatiuum terminatur, Ex quo colligitur quòd alliquid dicitur formalius, quia est verius, & perfectius ens, vt substantia dicitur formalius ens accidente & ens absolutum est formalius, & verius ens relatiuo, & positiuum negatiuo. Alio modo aliquid dicit formalius, idest minus habens de materialitate, & minus ens, & est omne illud, quòd vltimatè aduenit subiecto, qualitas enim est formalior quantitate, & relatio formalior qualitate, & quælibet relatio in alia relatione fundata est formalior relatione fundante; Vnde cum motus formaliter importet respectum subiecti ad formam, & respectus immediatè successionis informationis ad non informationem, quæ fundatur in respectu materiæ ad formam, respectus immediatè successionis erit formalior in motu, sed accipiendo formalius pro veriori entitate formali, forma erit quid formalius in motu, & est sermo de motu in communi ad substantialem, & accidentalem.

formalius diplicite

Quin ò Not. quòd quando subiectum mutatur, forma informat subiectum, vt forma succedit priuationi immediatè. Informatio autem est duplex, actiua scilicet, quæ competit formæ informãti, & est relatio formæ informantis ad subiectũ informatũ, & informatio passiua; quæ cõpetit subiecto in formato, & est relatio subiecti informati ad formam informantem; Vnde cum dicimus, quòd motus est relatio subiecti ad formam cum respectu immediatè successionis informationis ad non informationem, intelligitur de informatione passiua, quæ est ex parte informati, aliter ista immediata successio fundaretur iuforma, & non in respectu materiæ ad formam, vt dictum est supra cum Sco. & quia hæc

informatio duplex & quid sit

informatio passiua, quæ est relatio sobiecti ad formam informantem succedit non informationi, respectus immediatæ successionis non fundatur in subiecto, sed in informatione, quatenus succedit suo opposito, scilicet non informationi, quia, vt dictum est cum Sco. quilibet respectus dicit respectum ad suum oppositum; Vnde subiectum dicitur informari, quod prius non informabatur, quia habet respectum informationis passiuæ ad formam informantem, quæ informatio passiua succedit non informationi, sicut forma dicitur actiuè informare subiectum, quod prius non informabat, quia habet respectum informationis actiuæ ad subiectum, quæ informatio actiua succedit suo opposito, scilicet non informationi; Iste autem respectus subiecto ad formam, qui dicitur motus non est diuersus à respectu subiecti ad formam in esse quieto, sed est omninò idem ex Sco. 2.d.p.q.5.T. sed completur per respectum ad non informationem, sicuti creatio, & conseruatio conueniunt in respectu ad Deum, & sunt vnus, & idem respectus, sed differunt essentialiter, & formaliter per respectus ad non esse immediatè præcedens, & ad esse præhabitum: His not.

Probatur Conclusio, motus formaliter importat illud, per quod subiectum dicitur formaliter mutari, sed dicitur formaliter mutari per respectum ad formam cum respectu immediatæ successionis informationis ad non informationem; ergo motus formaliter importat tales respectus; minor probatur, quia mutari formaliter est subiectum informari à forma, à qua immediatè non informabatur; ergò motus importat formaliter illos duos respectus.

Preterea illud est formale motus, quo posito & ablato quocunque alio per intellectum ponitur formaliter motus & quo ablato remouetur formaliter motus, sed posito solo respectu materiæ ad formam cum respectu immediatæ successio-

cessionis informationis ad non informationem, & ablato quocunqne alio per intellectum, ponitur formaliter motus & ablato isto duplici respectu, aufertur formaliter motus; ergò motus in illo duplici respectu formaliter consistit; Min. prob. quia motus formaliter est in subiecto reccipiente formam; ergò dicit relationem in subiecto ad formam, non ad formam simplicier, sed ad formam fluentem; ergò dicit respectum informationis ad non informationem.

Contrà hanc conclusiionem Arguunt Meld. & Cat. probantes fluxum formæ, seù successionem formę, quæ est relatio formę ad non esse ipsius immediatè pręcedens esse formaliter motum. Primò quia ex D. Gregorio 5. Moralium mutari est ex alio in aliud ire,& ex 5.Phy. t.3.motus est transitus subiecti à termino à quo ad terminum ad quem; ergò motus est fluxus formæ, & relatio formæ ad non esse ipsius immediatè præcedens. *Arguunt Meld. & Cat.*

Respondeo negando consequentiam, immò ex Antecedente oppositū deducitur, quia si motus est trāsitus subiecti á termino à quo ad terminum ad quē, motus erit formaliter respectus subiecti ad formam succedentem in subiectio & informatio passiua, vt dicit respectum ad non informationem, quia respectus informationis passiuæ in subiecto ad non informationem non posset esse, nisi forma succederet in subiecto, Vnde fluxus formæ prærequiritur tanquàm ratio formalis terminandi respectum subiecti ad formam, qui dicitur motus.

Secundò mutari est aliter se habere nunc quàm prius ex 6. Phys. t. 32. per li *se habere* exprimitur respectus subiecti ad terminum ad quem, per ly *aliter nunc quam prius* explicatur illa immediata successio posterioris termini post priorem expulsum à subiecto, quia alietas dicit relationem terminatam ad terminum præcedentem; ergò fluxus formæ, & relatio formæ ad non esse immediatè præcedens erit formaliter motus.

Resondeo concedendo dictum Arist.; sed nego, quòd ly *aliter se habere nunc quam prius* explicetur fluxus, & successio formæ, sed explicatur successio informationis ad non informationem, quæ vtique non potest esse sine fluxu formæ, sicuti respectus non potest esse sine suo termino, & ratione terminandi, vtrumque enim respectus præsupponit.

Tertiò arguunt Auctoritatibus Sco 4.d.12.q.4.D.& L. §. ad argumenta, &c. vbi habet quòd non est de essentia motus, quod sit alicuius subiecti, & loquitur de motu propriè dicto, quia loquitur de speciebus motus, scilicet de rarefactione, & augumentatione, & in 2.d.2.q.4.F. dicit, quòd mutatio est successio formę ad nō esse immediatè pręcedens; ergò motus naturalis erit formaliter successio formæ ad non esse immediatè præcedens in subiecto.

Respondeo, quòd mutatio potest accipi dupliciter, vt in 3. Not. Vno modo pro omni transitu de non esse ad esse, & hæc dicitur mutatio impropria; Alio modo pro transitu subiecti à termino à quo ad terminum ad quem, & hæc dicitur propriè mutatio, vt habetur expresè ex Sco.p. d.17.q.6.in fine §. ad tertium, aliter Arist. impropriè loquutus fuisset de motu; In proposito Sco.loquitur de mutatione impropria, quæ nullo modo distingu.tur à formali produotione; sed negatur quòd loquatur de mutatione propria, quæ distinguitur à productione; Et cum dicitur, quòd Sco.loquitur de motu proprio, quia loquitur de augumentatione, & rarefactione, qui snut propriè motus; Dico quòd loquitur de augumentatione, & rarefactione in Sacramento Altaris, quæ non sunt propriè augumentationes, & rarefactiones, sed impropriè, ideò etiam sunt species motus improprii: habet enim Sco. in 4. loco cit. §. ad argumenta hæc verba; *Ad tertium patet quod aliqua transmutatio alia quam secundum augumentum, vel diminutionem potest esse circa quantitatem, vt diuisio, & con-*

tinuatio, & hoc secundum se, rarefactio autem, & condensatio secundum accidens, & per consequens licet illæ species non possunt augeri, nec minui propriè loquendo, tamen poßunt à quantitate minori ad quantitatem maiorem transmutari, & è contrariò, hæc Sco. qui apertè dicit posse esse impropriam augumentationem, & rarefactionem secundum accidens; Tamen si ibi esset propria augumentatio, & rarefactio sine quantitate, & subiecto, quòd videtur impossibile, illa augumentatio, & rarefactio non essent species motus propriè dicti, sed accipiendo motum impropriè pro transitu de non esse ad esse, & sic nihil contra meam conclusionem.

Quartò. Arguo ego pro ipsius magis euidenter. Illud est essentialiter & formaliter motus, quod essentialiter mensuratur tempore; sed fluxus formæ essentialiter mensuratur tempore ex Sco. 2. d. 2. q. 4. B. ergò fluxus formæ est essentialiter, & formaliter motus. *Arguit Auctoris*

Respondeo concedendo maiorem; Ad minorem dico, quòd fluxus formę potest accipi dupliciter; Vno modo pro fieri formæ, siuè in instanti, siuè in tempore; Alio modo pro respectu subiecti ad formam fluentem; Modo cum Sco. dicit fluxũ formæ mensurari tempore essentialiter, intellexit de respectu terminato ad formam fluentem, qui non est, nisi motus. Nàm licet in motu successiuo reperiantur plures successiones realiter, & formaliter diuersæ, scilicet successio propria motus, quæ dicit plures respectus sibi inuicem succedentes ad partes formæ fluentis, vt dicetur q. 4. huius disp. datur etiam successio formæ informantis, quę dicit plures respectus partium formæ informantis sibi inuicem succedentes, & datur successio priuationis secundum partes eius correspondentes partibus formæ; Tamen quia omnes istæ successiones fiunt simul, & successio formæ, & priuationis requiruntur ad successionem motus, uidentur integrare vnam totalem successionem motus, qua-

re omne quòd essentialiter tempore mensuratur, vel est motus, vel aliquid ad motum pertinens; Negatur tamen Consequentia scilicet quòd fluxus formæ sit essentialiter, & formaliter motus, quia diuersus est omninò respectus subiecti ad formam, qui dicitur motus, à respectu fundato in forma, qui dicitur fluxus formæ, tamen motus dicitur fluxus formæ, quia vt dictum est, est respectus terminatus ad formam fluentem, vel est fluxus formæ terminatiuè.

Quintò Arguitur à sustinentibus motum esse aliquid absolutum, nempè formam fluentem eò quia forma dicitur motus, & denominat subiectum moueri; ergò motus dicit quid absolutum.

Respondeo consimiles propositiones intelligi de motu pro materiali non pro formali, forma enim fluens in subiecto dicitur motus pro materiali, denominat materialiter subiectũ moueri, sed formaliter motus est respectus subiecti ad formam cum respectu immediatè successionis informationis ad non informationem, à quo respectu subiectum denominatur formaliter moueri.

Retorqueo tamen argumentum si motus dicit formam fluentem; ergò motus potest esse relatiuus, saltem motus ad Vbi, quia Vbi est ens relatiuum.

Sextò Arguunt alii sustinendo motum formaliter includere actionem, & passionem multis auctoritatibus Arist. & præcipuè 4. Phys. t. 23. vbi habet, quòd motus est actus eius, quòd agere, & pati potest, quatenus tale, & t. 18. quod motus est actus actiui, & passiui; ergò motus formaliter includit actionem, & passionem.

Respondeo ex Sco. 4. d. 13. q. p. I. K. & M. quòd ibi Arist. accipi motum pro materiali idest pro forma ad quem est motus, quę cum sit ab agente dicitur actio, cum in passo recipitur dicitur passio, vt patet ex tex. Arist. in toto illo cap. 4. & maximè in tex. 22. vbi habet, quòd actio & pas-

passio, accipiendo tamen actionem, & passionem pro respectibus in re acta, seù forma non sunt vnum. & idem, nisi quatenus istæ rationes sunt in actu, & forma, quæ dicitur motus; habet enim hæc verba: *Neque actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc, motus, nam huius in hoc & huius ab hoc actum esse ratione diuersum est*; hæc Arist. ex quibus patet quòd Arist. loquitur de motu pro materiali, non pro formali, quia idem non potest constitui formaliter ex realitatibus diuersorum prædicamentorum, prædicamenta enim sunt impermixtra; quare negatur consequentia.

Septimò Arguitur quòd non consistit in respectu materiæ ad formam cum respectu immediatè successionis informationis ad non informationem, nam antequam illa relatio insurgat præintelligitur subiectum habere formam, & consequenter mutatum, ergò motus in illa relatione non consistit.

Respondent Meld. & Cat. (licet alibi sustineant oppositum, vt patet ex dictis in primo cap.) ibi num. 17. concedendo formam prius esse in subiecto illa relatione, sed tunc subiectum dicitur mutatum materialiter, non formaliter. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc Responsio est falsa, quia si hoc esset, sequeretur, quòd forma prius esset in esse quieto, quam esset motus formaliter, vel in esse quieto, haberet formalitatem motus, quòd est irrationabile; Probatur consequentia, quia quòd est mutatum materialiter, habet formam in esse quieto, & si post esse mutatum materialiter, insurgeret relatio, quæ est formalitas motus, tunc subiectum in esse quieto mutaretur. *Confutatur*

Respondeo itaque negando antecedens, quia antequam insurgat illa relatio præintelligitur subiectum aquirere formam & mutari materialiter, quia quandò subiectum habet formam, & est mutatum materialiter, non amplius for- *Responsio Auctoris*

ma

ma fluit, sed est in esse quieto, & per consequens fluxus formæ non esset formaliter motus quod est contra Meld.& Cat.in hac quæstione varios, & fluctuantes, quia non rectè considerauerunt Doctrinam, quam à diuersis Doctoribus transcripserunt.

Octauò sequeretur præter materiam, & formam & priuationem dari quartum principium motus, scilicet respectum informationis, quod est suum fundamentum, suprà quod proximè fundatur respectus ad non informationem, immò motus non esset actus proximus mobilis, sed ipsius informationis.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. negando sequellam, quia ille respectus informationis non est distinctum principium à materia, & forma, quia nec ipse potest intelligi sine materia, & forma, nec motus potest denominare respectum informationis moueri, sed materiam, quia nouitas formæ fit in subiecto; vnde informatio se habet quasi vt ratio fundandi rationem motus in subiecto.

Confutatur Sed hæc responsio inuoluit duo falsa. Primum quod respectus informationis non sit distinctum principium à materia, & forma; Nam sequeretur quòd materia, & forma essent tantùm vnum principium, & sic non essent tria principia motus, probatur sequella, quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; sed materia, & forma essent eadem in ratione principiandi cum respectu informationis; ergò materia, & forma essent tantum vnum principium, vel sequeretur, quòd ille respectus informationis haberet distinctam rationem principiandi scilicet per modum subiecti, & per modum formæ.

Præterea si illa informatio non esset distinctum principium à materia, & forma, quia (vt dicunt isti) non potest intelligi sine materia, & forma, sequeretur quemcumque respectum terminatum ad materiam, & formam esse principium mutationis, probo, quia illi respectus non possunt in

intelligi sine materia, & forma, quia relatio non potest intelligi sine suo termino, & sic productio actiua terminata ad formam informantem, actio terminata ad materiam, & omnes respectus fundati in his respectibus essent principia motus.

Secundum falsum, quòd inuoluit illa responsio est quod successio fundata in respectu informationis, in qua successione secundum ipsos solum consistit formalitas motus, non denominaret respectum informationis, sed subiectum, quia esset quasi ratio fundandi illam successionem.

Contrà fundamentum denominatur ab illa relatione, quem fundat, vt quod, non vt quo, nec potest esse ratio fundandi; ergò respectus informationis denominabitur à successione, quæ est formaliter motus, nec poterit esse ratio fundandi talem respectum, qui dicitur motus, aliter subiectum diceretur succedere; quæ inconuenientia non sequuntur, ponendo motum formaliter dicere respectum informationis determinatum à respectu immediatæ successionis ad non informationem vt dictum est in Not.

Respondeo itaque ad Argumentum negando sequelam, quia iste respectus informationis est formaliter motus incompletè, quia completur per respectum immediatæ successionis informationis ad non informationem; Et cum dicitur quòd motus non esset actus proximus mobilis, sed informationis, negatur, quia motus formaliter acceptus non dicit tantùm respectum ad non informationem, sed etiam ipsam informationem passiuam, quæ cum sit immediatè in subiecto, motus, est actus proximus ipsius mobilis. *Responsio Auctoris.*

Nonò. Motus est transitus subiecti à termino à quo ad terminum ad quem 5. Phys. t. 3. ergò motus potius debet dicere relationem termini à quo ad terminum ad quem, & sic motus aquisitiuus dicet respectum non informationis

ad informationem immediatè ſequentem, deperditiuus è contrariò reſpectum informationis ad non informationem ſubſequentem.

Reſpondeo (quicquid dicat Meld. & Cat. ſibi contradicentes, qui modò dicunt motum formaliter dicere ſucceſſionem formæ ad non eſſe ipſius immediatè præcedens, modo dicere ſucceſſionem terminatam ad priuationem, modò dicere reſpectum informationis ad non informationem, qui cum ſint reſpectus eſſentialiter diuerſi, tribuunt motui diuerſam quidditatem, & formalitatem, negando conſequentiam, quia licet ſubiectum non poſſit moueri niſi tranſeat à termino à quo ad terminum ad quem, & per conſequens niſi forma ſuccedat priuationi, & ſubiectum dicatur informari, quòd prius immediatè non informabatur, tamen *hæc important diuerſos reſpectus*, ſcilicet materiæ, formæ, & priuationis, vt habent rationem principii in ordine ad motum, reſpectus fundatos in forma, & terminatos ad non eſſe prius formæ, & ad priuationem, cui immediatè ſuccedit, & reſpectum ſubiecti ad formam cum reſpectu ad non informationem, Modo conſiderandum eſt, qui reſpectus à motu formaliter importatur; dico quòd præcisè reſpectus ſubiecti ad formam cum reſpectu ad non informationem formaliter à motu importatur, quia ex Ariſt. loco cit; & alibi ſæpè motus ſolum eſt in ſubiecto mobili.

Decimò ſequeretur, quòd priuatio non eſſet terminus à quo in generatione, ſed ad quem, cum ad ipſius terminetur reſpectus iſte realis ſecundum quid, forma verò eſſe terminus à quo.

Reſponſio Meld. & Cat. Reſpondent Meld. & Cat. quòd priuatio eſſet terminus ad quem in generatione quatenus eſſet terminus relationis motus, eſſet tamen terminus à quo generationis, quia ab ipſa ad formam eſſet tranſitus.

Cõfutatur Sed hæc Reſpõſio eſt falſa etiam in via ipſorum, qui hic

ſuiti-

sustinent talem respectum realem secundum quid terminari ad non informationem, non informatio autem non est priuatio, sed non esse informationis.

Ideò Respondeo negando sequelam, quia respectus ille realis secundum quid vltimatè formaliter importatus à motu non terminatur ad priuationem, sed ad non informationem, quæ non informatio est ens simpliciter negatiuum, non priuatiuum, est enim negatio illius relationis, quæ dicitur informatio passiua, licet ista non informatio præsupponat in subiecto priuationem formæ, quæ est diuersa negatio, quia priuatio negat formam, quæ potest esse absoluta, non informatio verò negat informationem, quæ solùm est relatiua, & relatio. *Responsio Auctoris.*

Vndecimò. Si motus esset ens reale secundum quid; ergò ens reale simpliciter, quale est Tempus, esset mensura entis secundum quid, quod est falsum, quia mensura debet esse homogenea mensurato.

Respondeo (quicquid dicant Meld.& Cat.) quòd sequela præsupponit vnum falsum, nempè quod Tempus sit ens reale simpliciter, quia cum Tempus sit motus primi Cęli, necessariò habebit rationem motus, & pro formali etiam in ratione motus dicit relationem realem secundum quid, & sic erit mensura homogenea mensurato.

Duodecimò. Sequeretur omnem mutationem esse ad relationem, quod est contra Arist. 5. Phys. t. 10. & 20. sequella patet, quia terminus istius relationis est respectus informationis.

Respondent Meld.& Cat. negando sequelam, quia quòd vltimatè aquiritur per motum, & per se non est illa relatio, sed fundamentum talis relationis, seù terminus, scilicet forma in subiecto. *Responsio Meld. & Cat.*

Isti Scriptores rectè negant sequelam, sed falsam adducunt rationem etiam eorum doctrinæ contradicentem, quia iam dixerunt istum respectum fundari in informatio- *Contradictio Meld. & Cat.*

ne modò dicunt fundari in forma.

Responsio Auctoris. Ideò Respondeo, negando sequellam; solùm enim sequitur omnem mutationem esse relationem, quia omnis mutatio dicit illum respectum, sed non illum solum, sed respectum etiam materiæ ad formam, ideò terminus motus est forma, quæ aquiritur; Immò potius sequeretur, quòd terminus motus esset non informatio, & per consequens omnis motus terminaretur ad non informationem, quia talis respectus ad non informationem terminatur; Finis.

CONCLVSIO SECVNDA.

Motus formaliter acceptus pro relatione subiecti ad formam in nullo est prædicamento, vt prædicamenta Communiter assignantur, sed si prædicamenta in sua Communitate accipiantur, potest probabiliter sustineri quòd sit in genere passionis.

Elicitur ex Scot. 4. d. 12. q. 6. C.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat. MEld. & Cat. disp. 15. Phys. q. p. num. 10. breuiter dicunt, quòd si motus accipiatur pro respectu subiecti ad formam, est in prædicamento Habitus, sed non probant; Si verò motus formaliter sumatur pro illa successione iàm explicata, reducitur ad prædicamentum sui termini.

Cõfutatur Sed ista opinio, quæ est secundum communem traditionem prædicamentorum, non videtur vera, quia habitus

ctus dicitur, quòd sit adiacentia eorum, quæ sunt circà corpus ad ipsum corpus, & Arist. in Prædicamentis cap. 5. dat exemplum de armato, & calceato, sed relatio subiecti ad formam non est adiacentia eorum, quæ sunt circa corpus terminata ad ipsum corpus; ergò relatio subiecti ad formam non est in prædicamento habitus.

Si respondeant, vt innuere videntur in Logica disp. 8. q. 12. a. 2. §. In alio igitur sensu &c. cum Boneto in suis prædicamentis, quòd per armatum esse, & calceatum esse intellexerunt progenitores nostri quamcumque vnionem subiecti ad formam, partium continui, & aliorum consimilium, & hoc secundum Arist. 5. met. t. 25. vbi rationem habitus sic explicauit; Hoc falsissimum est, quia Arist. ibi non explicat rationem habitus, sed tantùm ponit varias illius nominis significationes, inter quas significationes ponit sanitatem, quæ est qualitas, & sic qualitas esset in prædicamento habitus, si Arist. loco cit. rationem habitus explicasset, vt dicetur etiam in Responsione ad argumenta. *Tacita responsio cõfutatur.*

Dicunt 2. quòd si motus accipiatur pro illa successione iam explicata, reducitur ad prædicamentum sui termini; sed quia isti explicant illam successionem modò pro respectu formæ ad non esse ipsius immediatè præcedens, modo pro respectu formæ ad præcedentem priuationẽ, modò pro respectu fundato in informatione, & terminato ad non informationem immediatè præcedentem, terminus motus nullo erit prædicamento propriè, cum negationes non habeant propriu n prædicamentum, ac propterea contemplandum potius esset in quo prædicamento, vel ad quod prædicamentum istæ negationes reducerentur, igitur hæc successio, quæ est relatio secundum quid potius reducitur ad prępicamentum sui fundamenti, & non sui termini. *2. dictum Meld. & Cat. conf.*

Si dicant, quòd per terminum istius relationis intelligunt *Tacita respons. conf.*

gunt formam, ad quam est motus, hoc est falsum, quia fluxus formæ non est ad formam, sed motus secundum ipsos est fluxus formæ; ergò non est ad formam.

Prætereà motus dicitur esse via ad formam, quia est respectus ad formam fluentem; sed si motus formaliter est tantum ad non esse immediatè præcedens, nullo modo erit ad formam fluentem; ergò forma fluens nullo modo erit terminus motus pro formali, & per consequens nullo modo poterit reduci ad prædicamentum formæ fluentis; sed quia de hoc nullam possumus habere determinatam veritatem, paucis me expedio, & ponam meam sententiam cum Sco. magis probabilem.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Motus formaliter acceptus pro relatione subiecti ad formam in nullo est prædicamento, vt prædicamenta communiter assignantur; sed si prædicamenta in sua communitate accipiantur potest probabiliter sustineri quod sit in genere passionis.

Elicitur ex Sco. 4. d. 12. q. 6. C.

PRo cuius declaratione Primò Not. ex Sco. 4. d. 10. q. p. infrà K quòd non est inconueniens aliquem respectum inueniri, puta respectum Angeli ad lapidem, qui in nullo reponatur prædicamento, quo modo philosophi loquuntur de rationibus eorum, & per consequens quod decem genera non sufficienter euacuent totum ens, non tamen sequitur plura esse genera, quàm decem, sed quod rationes eorum, vel ratio alicuius eorum non assignatur sub ratione communi, sicut posset assignari; Vnde motus formaliter, qui est respectus subiecti informati ad formam infor-

informantem in nullo erit prædicamento, vt patebit in probatione conclusionis; non propter hoc statuendum est aliud prædicamentum, in quo reponatur, sed debemus illum reponere in aliquo prædicamento considerato sub ratione aliqua communiori; sub qua Philosophi tale prædicamentū nō considerauerunt, & istud est prædicamentum passionis, & sic Sco. loco cit. ampliando rationem actionis, & passionis, dicit, quòd ad genus actionis non tantùm pertinet relatio agentis ad passum, sed etiam relatio formæ informantis ad subiectum informatum, & ad genus passionis non tantum pertinet relatio patientis ad agens, sed etiam relatio subiecti ad formam.

Secundò Not. quòd accipiendo motum pro materiali, scilicet pro forma, ad quam est motus, & sic cum motus sit ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & Vbi, motus erit in his quatuor prædicamentis; Si verò accipiatur formaliter, scilicet pro respectu materiæ ad formam, & sic erit in Prædicamento passionis, non secundum rationem assignatam à Philosophis de Passione pro relatione passi ad agens introducens formam in subiecto, sed pro relatione subiecti ad formam; Quare mea sententia multum distat à sententia Canonici, & aliorum, qui ponunt motum esse in genere passionis, quia accipiunt passionem communiter traditam pro relatione passi ad agens, ego verò accipio Passionem pro relatione subiecti ad formam cum Sco. loco cit. in principio conclusionis, loquendo tamen de motu in communi ad motum substantialem, qui est ad formam substantialem, & ad motum accidentalem, qui est ad formam accidentalem: Motus acceptus pro forma in nullo erit determinato prædicamento, quia forma vagatur per omnia decem prædicamenta, nec est inconueniens, quòd à pluribus diuersorum generum possit abstrahi conceptus communis, vt patet in proposito de conceptu formæ, qui est communis formæ substantiali, & cuicunque formæ acci-

Motus est in genere passionis diuersimodè tamē à Canonico.

accidentali, & de conceptu accidentis, qui est communis nouem prædicamentis; Vnde forma in communi, & accidens in communi in nullo determinato genere potest reperiri cont. Meld. & Cat. in hac disp. num. 10. in fine; Si verò motus in communi accipiatur formaliter, scilicet pro respectu subiecti ad formam in communi, tunc motus est in determinato genere, scilicet in genere passionis, non enim inconuenit fundamentum, vel terminum relationis deuagari per plura prædicamenta, & relationem in vno determinato genere reponi, vt patet de inhærentia, quam importat accidens, quæ secundum Sco. 4. d. 12. q. p. C. potest esse in aliquo determinato genere, & denominare plura genera, Relatio etiam creationis est in genere relationis intrinsecus aduenientis, & tamen denominat omnia præter Deum, & Relatio producentis ad productum potest habere terminos diuersi generis, & tamen in genere relationis reponitur. His Not.

Probatur Conclusio quoad primam partem, quia respectus subiecti ad formam ad nullum prædicamentum absolutorum potest pertinere, vt patet; Nec ad prædicamentum relationis, quia motus est respectus extrinsecus aduenìens; Nec ad Actionem, & Passionem, quia isti respectus sunt inter subiectum, & Agens producens formam; Nec ad genus Vbi, quia vbi est relatio circumscriptionis; Nec ad genus Quando, quia dicit respectum rei temporalis ad Tempus; Nec ad genus situs, quia dicit respectum partium locati ad partes loci: Nec ad genus Habitus, quia dicit relationem fundatam in his, quæ sunt circa corpus ad ipsum corpus; ergò motus formaliter acceptus pro respectu subiecti ad formam in nullo erit prædicamento secundum rationem assignatam à Philosophis.

Secunda pars probatur, quia recipere est formaliter pati; sed moueri est recipere formam; ergò moueri est formaliter pati; minor patet apud omnes; maior probatur, quia

quia si subiectum non reciperet formam, subiectum non pateretur.

Confirmatur: Considerato solo subiecto recipiente formam, nullo considerato agente, tunc subiectum dicitur pati, & considerato simul agente dicitur pati ab alio; ergò simpliciter pati non dicit respectum ad agens, sed pati ab alio; ergò sicuti pati formaliter ab alio dicit respectum ad agens, pati simpliciter non dicit respectum ad agens, sed solùm ad formam, quam recipit, & secundum quam patitur; ergò recipere est formaliter pati.

Contra Primò à Meld. & Cat. argui potest ex his, quæ habent disp. 8. logicæ q. 12. a.2. §. In alio igitur sensu, &c Auctoritate Arist. 5. met. t 25. vbi explicans rationem habitus, ponit respectum subiecti ad formam, & motum; ergò motus erit in genere habitus. *Argum. Meld. & Cat.*

Respondeo negando quòd hic Arist. explicet rationem habitus, sed ponit varias huius nominis acceptiones, & significationes, inter quas etiam connumerat dispositionem, & sanitatem; quare si Arist. ibi exprimeret rationem habitus, etiam ratio habitus sanitati conueniret, & sic qualitas esset in genere habitus, quod est ridiculum.

Secundò Arguunt sustinentes motum formaliter acceptum esse in genere quantitatis; Motus, & Tempus sunt vnum & idem, sed Tempus est in genere quantitatis; ergò & motus.

Confirmatur quia quod est diuisibile in infinitas partes continuatas per indiuisibilia est in genere quantitatis; sed motus est huiusmodi, quia est diuisibilis in infinitas partes continuatas per mutata esse; ergò motus est in genere quantitatis successiuæ.

Respondeo negando quòd Tempus, & motus sit in genere quantitatis; Et ad confirmationem, dico, quòd per se diuisibile in infinitas partes continuatas per indiuisibilia, vtique est per se in genere quantitatis, sed quod est tale

per accidens, est etiam per accidens in genere quantitatis, modò Tempus, & motus cum sint relationes, & per consequens indiuisibiles, non possunt per se habere partes continuatas, sed tantum per accidens ratione spatii, vel subiecti, quod mouetur, vel formæ, ad quam est motus; Motus igitur, sicut & Tempus, erit diuisibilis per accidens, vt patet ex Arist. 5. met. t. 18. Sed de hoc erit diffusus sermo Deo adiuuante in Metaphisica.

Tertiò arguit Doctissimus Faber Fauentinus theor. 45. cap. 1. sustinens motum pro formali esse respectum formæ ad agens, & per consequens pertinere ad genus relationis. Auctoritate Sco. 4. d. 13. q. p. M. vbi habet, quòd respectus fundatus in motu, scilicet in forma sit respectus ad agens, qui est intrinsecus adueniens.

Respondeo quòd ibi Sco. loquitur de motu pro materiali, qua est forma, *quæ forma dicitur actio, & passio*, quatenus dicit *respectum* ad agens, & ad passum, in quo recipitur, & dicit quod ibi actio, & passio non sunt distincta prædicamenta, quia hæc sunt relationes extrinsecus aduenientes, respectus autem formæ ad agens est intrinsecus adueniens, nego tamen, quòd Sco. dicat talem respectum ad agens esse motum pro formali, sed dicit esse actionem impropriè dictam; Vnde respectus fundatus in hoc motu pro materiali ad agens non dicitur formale motus, cum forma possit produci sine subiecto, vel simul cum subiecto, & per consequens sine motu, & quia motus est in mobili, non in forma, ideò motus pro formali erit solum respectus subiecti ad formam fluentem.

Et sit dicas quod formale est illud, quod fundatur in materiali. Dico, quòd materiale motus non solùm est forma, sed etiam subiectum, vt dictum est in Not. 4. primæ Conclusionis, & motus secundum veram acceptionem Arist. cum sit in mobili, accipitur formaliter pro eo, quo mobile denominatur formaliter moueri, respectus autem fun-

fundatus in forma denominat formam ; non mobile.

Quartò. Arguit Canonicus lib. 3. phys. q.p. sustinens motum esse in genere passionis, accipiendo passionem pro respectu passi ad agens eo modo, quo à Philosophis passio communiter diffinitur. Illud quo patiens refertur ad agens est passio; Sed mobile, quod est patiens refertur ad agens per motum; ergò motus est passio; minor probatur, quia mobile, in quantum mouetur, patiens est, & hoc per moueri secundum quod moueri habet respectum ad mouens.

Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem; Et cum probatur, concedo quod mobile in quantum mouetur, patiens est, sed non per respectum ad agens, & mouens, sed per respectum ad formam, qui etiam ponitur in genere passionis, qui respectus dicitur formaliter motus, quare negatur consequentia, scilicet quòd motus sit passio, accipiendo passionem pro respectu subiecti ad agens, conceditur tamen quod sit passio, ampliando genus passionis cum Sco. in principio conclusionis citato, in quo genere ponitur etiam relatio subiecti ad formam, qui dicitur formaliter motus.

Quintò. Moueri est pati; ergò motus est passio, tenet consequentia à coniugatis, idest à concretis ad abstracta.

Respondeo ad Argumentum Canonici, quòd pati potest accipi dupliciter. Vno modo simpliciter, & sic formaliter est respectus subiecti ad formam; Alio modo pro pati ab alio, & sic formaliter dicit respectum passi ad agens, quatenus ab agente formam recipit; sic etiam moueri potest accipi dupliciter: Vno modo simpliciter, vt est concretum motus, de quo loquimur; Alio modo potest accipi pro moueri ab alio; In proposito concedo, quòd moueri est formaliter pati, & per consequens, quod motus sit formaliter passio, accipiendo proportionabiliter moueri, & pati, motum & passionem, & sic moueri ab alio est

formaliter pati ab alio, & moueri simpliciter est simpliciter pati, & per consequens motus ab alio erit passio, accipiendo passionem pro respectu patientis ad agens, motus verò simpliciter erit passio simpliciter, quæ solùm dicit respectum ad formam, quòd gratis concedo, qui respectus vtique concomitanter habet respectum subiecti ad agens, qui dicitur passio, vt communiter à Philosophis assignatur.

Sextò. Actus, qui sunt eiusdem potentiæ non sunt distincti genere, sed passio & motus sunt actus eiusdem potentiæ; ergò non sunt distincti genere; maior patet, quia potentiæ distinguuntur per actus ex Aristot. secundo de Anima.

Respondeo ad maiorem cum sua probatione quòd Aristot. loquitur de operationibus potentiarum animæ, nam potentia intellectiua non potest habere actus genere distinctos, similiter potētia visiua, &c. & illa propositio. Potentiæ distinguuntur per actus, valet de distinctione accidentali, non essentiali, *quia actus non sunt* de essentia potentiarum. Non autem loquitur de actu scilicet de forma tàm absoluta, quàm relatiua, quia sic eadem potentia passiua potest habere plures actus genere distinctos, patet enim quòd potest recipere formam absolutam, & simul relatiuam, immo plures habere relationes genere distinctas, vt idem subiectum potest simul habere relationem Paternitatis, actionis, passionis, & alias relationes alterius generis; Tamen concessa maiori, & minori, nihil contra me, quia vtique sustineo, quòd motus sit in genere passionis, non tamen quod sit relatio patientis ad agens, sed relatio subiecti ad formam.

Septimò Arist. 5. phys. t. 10. dicit quod ad actionem, & passionem non est motus, quia sic ad motum esset motus, ergò motus esset passio

Respondeo quod hoc argumentum probat contra ipsum Canonicum, quòd motus etiam sit actio, dico tamen

quod ideò propositio Arist. est vera, quia motus præsupponit, vel saltem concomitanter habet actionem, & passionẽ, quæ est respectus ad agens, vnde si ad actionem, & passionem esset motus, tunc consequenter etiam ad motum esset motus, non quod motus sit actio, vel passio formaliter, sed quia sunt respectus concomitantes motum, & sic negatur consequentia.

Octauò. Passio diffinitur ab Auctore sex principiorum quòd sit effectus, illatioque actionis, & hoc immediatè, sed motus est immediatè illatus ab agente, ergò motus est passio.

Respondeo quòd passio dicitur effectus actionis, non quia producatur ab actione, sed dicitur inferri ab actione, quia consequitur ad actionem, sicut quælibet relatio infertur à relatione opposita, quando sunt relationes mutuæ; Ad minorem, nego, quòd hoc modo motus inferatur ab actione, quæ sit relatio agentis ad passum, sed benè infertur ab actione, quæ est relatio formæ informantis ad subiectum informatum, ampliando cum Sco. genus actionis.

Ex quibus patet quòd motus distinguitur realiter, & formaliter à termino, scilicet à forma, & ab actione, & passione, vt de istis generibus loquuntur communiter Philosophi, quia si motus non est nec actio, & passio talis, nec forma, sed respectus subiecti ad formam cum respectu immediatè successionis informationis ad non informationem, & quòd possit esse forma sine subiecto, & forma, actio, & passio sine mutatione, vt si forma simul crearetur cum materia, tunc esset respectus subiecti ad agens, & è conuersò, & esset forma, & tamen non esset mutatio ex Sco. 4. d. 43. q. 5. K. Vnde non formo de hac re aliquam conclusionem, non ex necessitate doctrinæ, sed ex distinctione, & facilitate intellectus, nè idem sæpius inaniter, & sine vtilitate repetatur.

Non varietur articuli qui ex dictis dilucidantur.

CON-

CONCLVSIO TERTIA.

Motus rectè diffinitur ab Arist. cum dicitur Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. 15. phys. q. 4. num. 25. dicunt quòd per actum intelligitur respectus subiecti ad formam, & accipitur actus abstractiuè, vt possit ab aliis particulis coarctari, & dicunt explicationem huius particulæ colligi ex Sco. 4. d. ii. q. p. E. & d. 12. q. 4. §. ad argumenta, & 2. d. p. q. 5. T.

Falsificăt Sco.

Sed isti Scriptores in primis falsò deducunt explicationem huius particulæ *Actus* à Sco. locis cit. vbi Sco. nullam mentionem facit de hac diffinitione, nec verbum quidem habet de motu, quòd sit actus, sed tantùm dicit in primo, & vltimo locis cit. motum dicere respectum subiecti ad formam, & in 4. d. 12. q. 4. ad argumenta, nec loquitur de motu proprio, nec explicat diffinitionem motus, solùm in 2. d. p. q. 5. T. explicat diffinitionem illam: moueri est aliter se habere nunc quam prius: Vtique explicatio illius particulæ *Actus* potius elicitur à Sco. p. d. 5. q. 2. E.

Non potest sustineri in via ipsorum.

Præterea licet per ly *actus* intelligatur respectus subiecti ad formam; non potest tamen sustineri in via ipsorum; Nam motus secundum ipsos, vt dictum est in prima conclusione, solùm importat fluxum formæ, seu successionem formæ ad non esse ipsius immediatè præcedens; sed actus in hac diffinitione formaliter importatur, quia se habet veluti genus, quod contrahitur per alias particulas in diffinitione positas, ergò actus non potest dicere secundum ipsos respectum subiecti ad formam.

Con-

Confirmatur, quia ille respectus subiecti ad formam est materialiter motus secundum ipsos, vt dictum est in prima conclusione; ergò non potest formaliter importari per actum in ista diffinitione positum, qui formaliter explicat motum, & non ponitur tanquam additum, sed tanquam essentiale potentiale, & genus.

Secundò dicunt, quòd per ly *entis in potentia* intelligitur subiectum, & rectè, sed non potest in Doctrina ipsorum sustineri; Nam dicunt motum pro formali esse fluxum formæ, & esse respectum formæ ad non esse ipsius immediatè præcedens; Vnde ipsi num. 27. arguendo contra illos, qui dicunt motum esse actum termini, arguunt tali pacto. Motus non potest esse actus termini, quod enim actuat aliud, est in illo; Tunc sic arguo; Sed per vos motus formaliter est in forma; ergò est actus formæ, non subiecti, & sic arguendo alios, seipsos repræhendunt. *Explicatio particulæ non potest sustinere in via ipsorum.*

Tertiò dicunt quòd per ly *quatenus in potentia* explicatur respectus ad priuationem immediatè præcedentem, sed hoc est falsum, quia si per vos ens in potentia significat subiectum potentiale, & non denotat respectum ad non esse immediatè præcedens; ergò nec per ly *quatenus in potentia*, quia secundum Sco. quolib. 3. & per vos ly *quatenus* specificat rationem subiecti, sub qua mouetur; ergò specificat potentialitatem; Sed potentialitas per vos non explicat illum respectum; ergò potentialitas specificata minus illum respectum significabit. *3. dictum Meld. & Cat. conf. 1.*

Præterea ad hominem; Nam si subiectum cum forma crearetur, adhuc daretur actuatio entis possibilis, & tamen non esset sub priuatione formæ; Hęc maior est ipsorum in hac disp. num. 31. sed non esset actus potentialis quatenus est in actu, sed quatenus est potentiale; ergò per ly quatenus potentiale, quod idem est ac esse in potentia secundùm ipsos loco cit. non potest exprimere respectum ad priuationem, quia tunc illud subiectum, quod esset sine *Confut. 2. ad hominē*

pri-

priuatione, præcederet formam cum priuatione, quod est contradictio, sed hoc prouenit, quia nesciunt distinguere potentiale ab esse in potentia, quia vtique materia, quæ simul creatur cũ forma, esset potentiale illius formæ, quia materia est per se potentia, sicut forma est per se actus, sed non esset in potentia ad illam formam, quia illam haberet, solum enim subiectum, quòd est per se potentiale est in potentia ad formam, quam non habet.

4. dictum Meld. & Cat. Quartò. Dicunt in hac disp. q. 5. quòd hæc diffinitio competit operationibus animæ, & probant num. 37. §. 3. multo magis &c. quia sunt materiales, & verè anima per illas dicitur actuari, quatenus erat in potentia.

Cõfuatur. Sed hoc est falsum, quia motus est respectus subiecti ad formam, vt dicit respectum ad priuationem secundùm ipsos, & generaliter secundum *Scotistas* motus *est formaliter* ens relatiuum; sed operatio animę est ens *absolutum*; ergò operatio animæ non potest esse formaliter motus; ergò diffinitio motus non potest operationibus animæ conuenire.

Inualidatur eorum probatio. Præterea eorum probatio non est ad propositum, quia dicunt has operationes esse motus, quia per illas anima actuatur, quatenus erat in potentia; ergò motus est actus subiecti, quatenus erat in potentia, ergò forma in esse quieto est formaliter motus; ergò subiectum quiescens sub forma, mouetur, quia quiescens est illud, quod actuatur à forma, ad quam erat in potentia; Nescio si hoc sit ex indigentia doctrinæ.

Sen.

quia si subiectum non reciperet formam, subiectum non pateretur.

Confirmatur. Considerato solo subiecto recipiente formam, nullo considerato agente, tunc subiectum dicitur pati, & considerato simul agente dicitur pati ab alio; ergò simpliciter pati non dicit respectum ad agens, sed pati ab alio; ergò sicuti pati formaliter ab alio dicit respectum ad agens, pati simpliciter non dicit respectum ad agens, sed solùm ad formam, quam recipit, & secundùm quam patitur; ergò recipere est formaliter pati.

Contra Primò à Meld. & Cat. argui potest ex his, quæ habent disp. 8. logicæ q. 12 a. 2. §. In alio igitur sensu, &c. Auctoritate Arist. 5. met. t. 25. vbi explicans rationem habitus, ponit respectum subiecti ad formam, & motum; ergò motus erit in genere habitus. *Argum. Meld. & Cat.*

Respondeo negando quòd hic Arist. explicet rationem habitus, sed ponit varias huius nominis acceptiones, & significationes, inter quas etiam connumerat dispositionem, & sanitatem; quare si Arist. ibi exprimeret rationem habitus, etiam ratio habitus sanitati conueniret, & sic qualitas esset in genere habitus, quod est ridiculum.

Secundò Arguunt sustinentes motum formaliter acceptum esse in genere quantitatis; Motus, & Tempus sunt vnum & idem, sed Tempus est in genere quantitatis; ergò & motus.

Confirmatur quia quod est diuisibile in infinitas partes continuatas per indiuisibilia est in genere quantitatis; sed motus est huiusmodi, quia est diuisibilis in infinitas partes continuatas per mutata esse; ergò motus est in genere quantitatis successiuæ.

Respondeo negando quòd Tempus, & motus sit in genere quantitatis; Et ad confirmationem, dico, quòd per se diuisibile in infinitas partes continuatas per indiuisibilia, vtique est per se in genere quantitatis, sed quod est tale

fundatus in forma denominat formam, non mobile.

Quartò, Arguit Canonicus lib. 3. phys. q p. sustinens motum esse in genere passionis, accipiendo passionem pro respectu passi ad agens eo modo, quo à Philosophis passio communiter diffinitur; Illud quo patiens refertur ad agens est passio; Sed mobile, quod est patiens refertur ad agens per motum; ergò motus est passio; minor probatur, quia mobile, in quantum mouetur, patiens est, & hoc per moueri secundum quod moueri habet respectum ad mouens.

Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem; Et cum probatur, concedo quod mobile in quantum mouetur, patiens est, sed non per respectum ad agens, & mouens, sed per respectum ad formam; qui etiam ponitur in genere passionis, qui respectus dicitur formaliter motus, quare negatur consequentia, scilicet quòd motus sit passio, accipiendo passionem pro respectu subiecti ad agens, conceditur tamen quod sit passio, ampliando genus passionis cum Sco in principio conclusionis citato, in quo genere ponitur etiam relatio subiecti ad formam, qui dicitur formaliter motus.

Quintò, Moueri est pati, ergò motus est passio, tenet consequentia à coniugatis, idest à concretis ad abstracta.

Respondeo ad Argumentum Canonici, quòd pati potest accipi dupliciter. Vno modo simpliciter, & sic formaliter est respectus subiecti ad formam; Alio modo pro pati ab alio, & sic formaliter dicit respectum passi ad agens, quatenus ab agente formam recipit; sic etiam moueri potest accipi dupliciter: Vno modo simpliciter, vt est concretum motus, de quo loquimur; Alio modo potest accipi pro moueri ab alio; In proposito concedo, quòd moueri est formaliter pati, & per consequens, quod motus sit formaliter passio, accipiendo proportionabiliter moueri, & pati, motum & passionem, & sic moueri ab alio est

formaliter pati ab alio, & moueri simpliciter est simpliciter pati, & per consequens motus ab alio erit passio, accipiendo passionem pro respectu patientis ad agens, motus verò simpliciter erit passio simpliciter, quæ solùm dicit respectum ad formam, quòd gratis concedo, qui respectus vtique concomitanter habet respectum subiecti ad agens, qui dicitur passio, vt communiter à Philosophis assignatur.

Sextò. Actus, qui sunt eiusdem potentiæ non sunt distincti genere, sed passio & motus sunt actus eiusdem potentiæ; ergò non sunt distincti genere; maior patet, quia potentiæ distinguuntur per actus ex Aristot. secundo de Anima.

Respondeo ad maiorem cum sua probatione quòd Arist. loquitur de operationibus potentiarum animæ, nam potentia *intellectiua non potest habere* actus genere distinctos, similiter potẽtia visiua, &c. & illa propositio. Potentiæ distinguuntur per actus, valet de distinctione accidentali, non essentiali, quia actus non sunt de essentia potentiarum. Non autem loquitur de actu scilicet de forma tàm absoluta, quàm relatiua, quia sic eadem potentia passiua potest habere plures actus genere distinctos, patet enim quòd potest recipere formam absolutam, & simul relatiuam, immo plures habere relationes genere distinctas, vt idem subiectum potest simul habere relationem Paternitatis, actionis, passionis, & alias relationes alterius generis; Tamen concessa maiori, & minori, nihil contra me, quia vtique sustineo, quòd motus sit in genere passionis, non tamen quod sit relatio patientis ad agens, sed relatio subiecti ad formam.

Septimò Arist. 5. phys. t. 10. dicit quod ad actionem, & passionem non est motus, quia sic ad motum esset motus, ergò motus esset passio

Respondeo quod hoc argumentum probat contra ipsum Canonicum, quòd motus etiam sit actio, dico tamen

quod

quod ideò propositio Arist. est vera, quia motus præsupponit, vel saltem concomitanter habet actionem, & passionē, quæ est respectus ad agens, vnde si ad actionem, & passionem esset motus, tunc consequenter etiam ad motum esset motus, non quod motus sit actio, vel passio formaliter, sed quia sunt respectus concomitantes motum, & sic negatur consequentia.

Octauò. Passio diffinitur ab Auctore sex principiorum quòd sit effectus, illatioque actionis, & hoc immediatè, sed motus est immediatè illatus ab agente, ergò motus est passio.

Respondeo quòd passio dicitur effectus actionis, non quia producatur ab actione, sed dicitur inferri ab actione, quia consequitur ad actionem, sicut quælibet relatio infertur à relatione opposita, quando sunt relationes mutuæ; Ad minorem, nego, quòd hoc modo motus inferatur ab actione, quæ sit relatio agentis ad passum, sed benè infertur ab actione, quæ est relatio formæ informantis ad subiectum informatum, ampliando cum Sco. genus actionis.

Ex quibus patet quòd motus distinguitur realiter, & formaliter à termino, scilicet à forma, & ab actione, & passione, vt de istis generibus loquuntur communiter Philosophi, quia si motus non est nec actio, & passio talis, nec forma, sed respectus subiecti ad formam cum respectu immediatè successionis informationis ad non informationem, & quòd possit esse forma sine subiecto, & forma, actio, & passio sine mutatione, vt si forma simul crearetur cum materia, tunc esset respectus subiecti ad agens, & è conuersò, & esset forma, & tamen non esset mutatio ex Sco. 4. d. 43. q. 5. K. Vnde non formo de hac re aliquam conclusionem, non ex necessitate doctrinæ, sed ex distinctione, & facilitate intellectus, nè idem sæpius inaniter, & sine vtilitate repetatur.

Non variatur articuli qui ex dictis dilucidantur.

CON-

CONCLVSIO TERTIA.

Motus rectè diffinitur ab Arist. cum dicitur Motus est actus entis in potentia, quatenùs in potentia.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat. MEld. & Cat. disp. 15. phys. q. 4. num. 25. dicunt quòd per actum intelligitur respectus subiecti ad formam, & accipitur actus abstractiuè, vt possit ab aliis particulis coarctari, & dicunt explicationem huius particulæ colligi ex Sco. 4. d. 11. q. p. E. & d. 12. q. 4. §. ad argumenta, & 2. d. p. q. 5. T.

Falsificāt Sco. Sed isti Scriptores in primis falsò deducunt explicationem huius particulæ *Actus* à Sco. locis cit. vbi Sco. nullam mentionem facit de hac diffinitione, nec verbum quidem habet de motu, quòd sit actus, sed tantùm dicit in primo, & vltimo locis cit. motum dicere respectum subiecti ad formam, & in 4. d. 12. q. 4. ad argumenta, nec loquitur de motu proprio, nec explicat diffinitionem motus, solùm in 2. d. p. q. 5. T. explicat diffinitionem illam: moueri est aliter se habere nunc quam prius: Vtique explicatio illius particulæ *Actus* potius elicitur à Sco. p. d. 5. q. 2. E.

Non potest sustineri in via ipsorum. Præterea licet per ly *actus* intelligatur respectus subiecti ad formam, non potest tamen sustineri in via ipsorum; Nam motus secundum ipsos, vt dictum est in prima conclusione, solùm importat fluxum formæ, seu successionem formæ ad non esse ipsius immediatè præcedens; sed actus in hac diffinitione formaliter importatur, quia se habet veluti genus, quod contrahitur per alias particulas in diffinitione positas, ergò actus non potest dicere secundum ipsos respectum subiecti ad formam.

Con-

Confirmatur, quia ille respectus subiecti ad formam est materialiter motus secundum ipsos, vt dictum est in prima conclusione; ergò non potest formaliter importari per actum in ista diffinitione positum, qui formaliter explicat motum, & non ponitur tanquam additum, sed tanquam essentiale potentiale, & genus.

Secundò dicunt, quòd per ly *entis in potentia* intelligitur subiectum, & rectè, sed non potest in Doctrina ipsorum sustineri; Nam dicunt motum pro formali esse fluxum formæ, & esse respectum formæ ad non esse ipsius immediatè præcedens; Vnde ipsi num. 27. arguendo contra illos, qui dicunt motum esse actum termini, arguunt tali pacto. Motus non potest esse actus termini, quod enim actuat aliud, est in illo; Tunc sic arguo; Sed per vos motus formaliter est in forma; ergò est actus formæ, non subiecti, & sic arguendo alios, seipsos reprehendunt.

Explicatio particulæ non potest sustinere in via ipsorum.

Tertiò dicunt quòd per ly *quatenus in potentia* explicatur respectus ad priuationem immediatè præcedentem, sed hoc est falsum, quia si per vos ens in potentia significat subiectum potentiale, & non denotat respectum ad non esse immediatè præcedens; ergò nec per ly *quatenus in potentia*, quia secundum Sco. quolib. 5. & per vos ly *quatenus* specificat rationem subiecti, sub qua mouetur; ergò specificat potentialitatem; Sed potentialitas per vos non explicat illum respectum; ergò potentialitas specificata minus illum respectum significabit.

3. dictum Meld. & Cat. conf. 1.

Præterea ad hominem; Nam si subiectum cum forma crearetur, adhuc daretur actuatio entis possibilis, & tamen non esset sub priuatione formæ; Hęc maior est ipsorum in hac disp. num. 31. sed non esset actus potentialis quatenus est in actu, sed quatenus est potentiale; ergò per ly quatenus potentiale, quod idem est ac esse in potentia secundùm ipsos loco cit. non potest exprimere respectum ad priuationem, quia tunc illud subiectum, quod esset sine pri-

Confut. 2. ad hominē

priuatione, præcederet formam cum priuatione, quod est contradictio, sed hoc prouenit, quia nesciunt distinguere potentiale ab esse in potentia, quia vtique materia, quæ simul creatur cũ forma, esset potentiale illius formæ, quia materia est per se potentia, sicut forma est per se actus, sed non esset in potentia ad illam formam, quia illam haberet; solum enim subiectum, quòd est per se potentiale est in potentia ad formam, quam non habet.

4. dictum Meld. & Cat. Quartò. Dicunt in hac disp. q. 5. quòd hæc diffinitio competit operationibus animæ, & probant num. 37. §. 3. multo magis &c. quia sunt materiales, & verè anima per illas dicitur actuari, quatenus erat in potentia.

Cõfuatur. Sed hoc est falsum, quia motus est respectus subiecti ad formam, vt dicit respectum ad priuationem secundùm ipsos, & generaliter secundum *Scotistas motus est formaliter* ens relatiuum; sed operatio animę est ens absolutum; ergò operatio animæ non potest esse formaliter motus; ergò diffinitio motus non potest operationibus animæ conuenire.

Inualidatur eorum probatio. Prætereà eorum probatio non est ad propositum, quia dicunt has operationes esse motus, quia per illas anima actuatur, quatenus erat in potentia; ergò motus est actus subiecti, quatenus erat in potentia, ergò forma in esse quieto est formaliter motus; ergò subiectum quiescens sub forma, mouetur, quia quiescens est illud, quod actuatur à forma, ad quam erat in potentia; Nescio si hoc sit ex indigentia doctrinæ.

Sen-

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Motus rectè diffinitur, cùm dicitur Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia.

PRo cuius declaratione Not. primò ex Sco. 2.d.1.q.2. A. & 3.d.3.q.p.E. quòd quando opposita comparantur ad idem secundúm ordinem naturæ, non simul ambo insunt, sed tantùm alterum illorum inest, vt priuatio, & forma comparantur ad eandem materiam ordine naturæ, & ideò non simul sunt in materia, sed tantùm alterum istorũ inest, priuatio tamen prius natura semper est in materia ipsa forma, & hoc dupliciter scilicet positiuè, vel priuatiuè; Aliquod dicitur prius natura positiuè, quod inest alicui, & prior est entitas eius, quam illa, quæ dicitur posterior natura, & sic priuatio diceretur prius natura esse in materia positiuè, quando prius esset in materia, in qua non esset forma; Aliquod dicitur esse prius natura priuatiuè, quod scilicet non inest ei, cui dicitur primò conuenire, sed inesset, nisi per aliud impediretur, vt si in eodem instanti, in quo priuatio esset nata in esse materiæ, ab agente introduceretur forma sibi opposita, non simul essent in materia priuatio, & forma, quia opposita non possunt esse simul, sed priuatio diceretur inesse prius natura, quàm forma opposita priuatiuè, idest prius natura priuatio esset in materia, nisi impediretur ab agente introducente formam in materia, in qua semper quantum est ex se inesset priuatio. *Prius natura dupliciter.*

Secundò Not. ex Sco. pluribus in locis, & præcipuè in 4.d.43.q.5.G.H.I.K. quod in quacunque mutatione subiectum debet præcedere duratione, vel instantanea, vel temporali terminum, ad quem est motus, quia quicunque mo-

tus est transitus à priuatione ad formam, quæ in eodem instanti non possunt esse, ideò necesse est quòd in subiecto præcedat priuatio in aliquo instanti temporis, vel in aliquo tempore ipsam formam, ad quam est motus; Ineptè igitur dicunt Meld. & Cat. in hac disp. q. 2. num. 19. ex Sco. ad mutationem requiri successionem temporaneam esse post non esse, & non sufficere esse tantùm natura præcedens. Nam Sco. nullibi hoc dicit, quia si non esse, & priuatio præcederet formam prioritate naturæ positiuè, tunc sufficeret ista successio de non esse ad esse ad mutationem, quia tunc est mutatio ex Sco. loco cit. quando subiectum transit de priuatione ad formam, si igitur priuatio esset prius natura forma positiuè, tunc subiectum transiret de priuatione ad formam, & per consequens mutaretur, & ponit exemplum Aug. 2. confess. quòd si forma creatur simul cum materia, quodammodo prioritatis creatur materia priusquam forma; In illo priori materia non habet respectum ad Deum nisi producti ad producens, & ille respectus non est extrinsecus adueniens, immò necessariò consequens naturam fundamenti, in secundo instanti naturæ recipit formam à Deo, & ille respectus non est eius, vt producti ad Deum, vt producentem, sed est eius, vt informati ad Deum, vt informantem, seù vt imprimentem formam, & ille secundus respectus extrinsecus aduenit materię, quia posset perpetuò materia manere, Deo conseruante, sine illo respectu receptionis à Deo. forma ergò illa simul durante concreata est in materia, sed posterius natura inducitur, vel imprimitur in materia passione de genere passionis, sed sine omni mutatione, quia nunquam materia à priuatione illius formæ transit ad formam, nec breuiter, aliter se habet secundum eam, quia aliter, & aliter præsupponunt entitatem; ex quibus patet, quòd si priuatio posset præcedere natura ipsa forma tunc subiectum posset transire de priuatione ad formam, & posset

Falsū dictum Mel. & Cat.

posset subiectum aliter, & aliter se habere secundum formam, & sic posset mutari, quia tamen priuatio non potest in subiecto præcedere solum natura ipsam formam, sed duratione, ideò dicitur, quòd subiectum debet necessariò pręcedere duratione formam ad hoc, vt possit moueri, imò si posset esse transitus de priuatione ad formam in minori prioritate, quam sit prioritas naturæ, tunc ibi posset esse motus, vel mutatio, quæ consistit solùm in transitu de priuatione ad formam, siue iste transitus possit fieri in tempore, siue in instanti temporis, siue in instanti naturæ.

Tertiò Not. quòd in hac diffinitione ly *actus* accipitur pro respectu subiecti ad formam, à quo respectu subiectum dicitur actuari, quòd prius non actuabatur, quia dicitur nunc actualiter moueri, quod prius non mouebatur, & non intelligitur forma, ad quam est motus, quia licet subiectum dicatur actuari à forma, quam recipit, quia forma, quæ est terminus motus, dicitur actus, omnis enim forma est actus, tamen non dicitur formaliter talis actus, per quem subiectum dicatur formaliter moueri, sed dicitur actus terminans relationem, quæ relatio dicitur motus, per quam subiectum dicitur formaliter mutari, & formaliter actuari, vt mobile, qui respectus subiecti ad formam habet in hac diffinitione rationem generis, contrahitur verò per respectum ad non esse ipsius immediatè præcedens; Vnde differunt productio, & mutatio ex Sco. p. d. 5. q. 2. E. quòd productio est respectus producti ad producens, mutatio verò est actus mobilis, scilicet respectus subiecti ad formam, & ibi per mobile intelligitur quodcumque, quod potest recipere formam, & est materia in communi ad materiam primam, & secundam; Concomitatur autem mutatio productionem in Creaturis propter imperfectionem potentiæ productiuæ, quæ non potest dare totale esse termino productionis, sed aliquid eius

præsuppositum transmutat ad aliam partem ipsius; & sic producit compositum; Ideò per ly *actus in potentia* intelligitur subiectum in communi, quòd potest recipere formam in communi ad formam substantialem, & accidentalem, seù ad formam successiuam, & instantaneam, quia hic motus diffinitur, vt est communis ad motum, & mutationem scilicet ad motum instantaneum, & successiuum; Vndè hoc nomen motus generaliter sumptum potest conuenire motui, & mutationi, vt sunt species motus; sed accipiendo motum specificè dicitur tantum de motu accidentali; Item ly *in quantum in potentia* accipitur ex Sco. quol. 3. H. specificatiuè, quia specificat rationem mobilis, secundum quam motus est actus eius, est enim mobile ens in actu tale, & in potētia ad formam, motus est actus mobilis, non quatenus est in actu, sed quatenus est in potentia, & mobile enim mouetur, quatenus est in potentia ad formam recipiendam.

Quartò Not. quòd Meld. & Cat. in hac disp. nu. 28. mouent dubium, quomodo subiectum possit dici esse in actu per motum, & per motum adhuc esse in potentia ad terminum; Multas opiniones circa hoc afferunt, & confutant, sed non resoluunt in propria sententia, sed immediatè concludunt num. 31. quòd probabilius est dicere, quòd per ly in potentia explicetur respectus ad non esse immediatè præcedens, seù ad priuationem; Hoc est ineptè dictum, quia priuatio non est terminus motus, sed forma etiam secundum ipsos, & subiectum non potest esse per motum in potentia ad priuationem: Non inuenerunt aliquem Doctorem, qui sibi sit auxilii. Dico tamen ego cum firmioribus Philosophis, quòd subiectum est in actu per motum, quia per motum dicitur actualiter moueri, & dicitur in potentia ad formam in esse quieto, quia quod mouetur, nondum habet formam, sed dicitur aquirere formam, & dum aquirit formam, est in potentia ad illam habendam in esse quieto

Dictum falsum Meld. & Cat.

to, non quod motus sit ratio, per quam subiectum dicatur esse in potentia ad habendam formam in esse quieto, quia subiectum secundum se sine motu est potentiale, sed quia motus dat intelligere, quod subiectum nondum habet formam in esse quieto, quomodo potest illam habere; Ex quibus soluuntur obiectiones, quæ contra hanc determinationem ipsi faciunt.

Quintò Not. quòd duplex est Actus, Imperfectus scilicet & Perfectus; Imperfectus est forma in fieri, & perfectus est eadem forma in facto esse; sic etiam subiectum dicitur esse in potentia ad actum perfectum, & imperfectum, scilicet ad formam in fieri, & in facto esse, subiectum ante motum dicitur esse in potentia ad vtrumque, sed dum mouetur non amplius est in potentia ad formam in fieri, sed est in actu imperfecto, & est in potentia ad actum perfectum; Vnde quando dicitur, quòd motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, intelligitur ibi potentia subiectiua ad formam in esse perfecto, non ad formam in fieri, quia subiectum, dum mouetur habet formam in fieri, & sic respectus formæ in fieri, est respectus nouus, & immediatus, inquit Sco. & per consequens ille respectus dicit, & fundat alium respectum ad non esse ipsius immediatè præcedens, quia fieri immediatè succedit ad non esse illius, quod fit; Iste autem respectus entis in potentia ad formam dicitur actus perfectus secundum se, quia habet totum esse, quod sibi competere potest, sed extrinsecè, & rationem termini, seù formæ in fieri, ad quam sic terminatur, dicitur actus imperfectus, quæ imperfectio explicatur per hoc, quòd dicitur, quòd est actus entis in potentia, quia actus perfectus est solùm actus entis, quod non est, sed quod fuit in potentia. Vnde ly entis in potentia denotat subiectum informari, & non informatum esse, ista autem informatio per formam in fieri non est informatio antiqua, sicuti est informatio per formam in esse quie-

Duplex est actus, & quid.

quieto, sed dicitur informatio noua, & per consequens immediata ad non esse præcedens; Vnde genus in hac diffinitione est actus, seu informatio passiua, quæ est communis ad informationem perfectam, quæ est per formam in esse quieto, & ad informationem imperfectam, quæ est per formam in fieri, quæ informatio contrahitur tanquam per differentiam, per ly *entis in potentia* ad esse actum imperfectum, scilicet ad informationem imperfectam, & per formam in fieri, & ad denotandum per consequens, quòd iste actus est nouus, idest secundum Sco. immediatus ad non informationem, quòd est vltimata ratio formalis, & vltima differentia constituens motum in esse motus, vt distinguitur à quocunque alio, quod non est motus, ly *quatenus in potentia* non exprimit, vt dicit Meld. & Cat. respectum ad priuationem præcedentem, sed tantùm specificat rationem, sub qua mobile consideratur in motu, quæ ratio, vt dictum est, exprimit respectum ad non esse immediatè præcedens, quæ exprimeret talem respectum, etiam si non specificaretur per ly *quatenus in potentia*.

Declaratur diffinitio motus.

Sextò Not. quòd hæc diffinitio data per additamenmentum, quia data per mobile, quod non est de essentia motus, licet necessariò prærequisitum ad motum, sicut quælibet relatio simpliciter realis præsupponit extrema in esse, est diffinitio motus in communi vniuocè competentis mutationi substantiali, & accidentali, vt etiam dicunt Meld. & Cat. qui formant totam vnam quæst. de hac vniuocatione, sed non explicant quomodo hæc diffinitio competat motui substantiali, vt ostendant, quod minus dicant in vna totali quæst. quam ego in vno paruo notabili, non ex necessitate, vt ipsi dicunt, sed ex abundantia doctrinæ sine inutili prolixitate, probant solùm per hoc, quòd Arist. loquitur indiffinitè de motu substantiali, & accidentali, sed non declarant quomodo allata diffinitio

finitio

finitio motui substantiali competat, quia nesciunt distinguere inter fieri, & factum esse formæ substantialis, quæ indiuisibiliter aquiritur; Dico igitur quòd fieri, & factum esse formæ substantialis, est in eodem instanti temporis, & prius natura est fieri, quam factum esse, ideò subiectum in eodem instanti temporis mouetur, & quiescit, sed prius natura mouetur, quam quiescat, sicut prius natura est fieri, qnam factum esse formæ. His Not.

Probatur Conclusio. Illa est bona diffinitio, quæ explicat quidditatem diffiniti, & facit differre illud à quocunque quod non est ipsum; sed hæc diffinitio est huiusmodi; ergò est bona; min. probatur, quia per ly *actus* explicatur genus eius, quod est respectus informationis passiuæ, per ly *entis in potentia* explicatur eius differentia, quæ est respectus ad non informationem, quia ex hoc, quod motus est actus entis in potentia, significatur quòd est actus imperfectus, & per consequens nouus, idest immediatus ad non esse immediatè præcedens.

Contrà arguitur primò. Hæc diffinitio non competit motui substantiali, & instantaneo, quia talis motus non facit mobile esse in actu, & in potentia ad formam in esse quieto, quia idem est fieri, & factum esse formæ substantialis, & cuiuscunque formæ indiuisibiliter aquisitæ: ergò hæc diffinitio non est bona.

Respondeo negando antecedens, quia licet idem sit fieri, & factum esse formæ substantialis in hoc sensu, quia est in eodem instanti temporis; tamen per motum substantialem indicatur subiectum prius esse in potentia, quam in esse quieto, & quòd forma substatialis, quæ fluit, prius saltim natura introducatur, quam sit introducta, quia prius est fieri, quam factum esse, & hoc est consentaneum doctrinæ Sco. 2. d. 2. q. 12. C. sustinentis Angelum posse in eodem instanti moueri de vno loco ad alium (problematice tamen) & dicit, quòd habet omnia ista vbi ordine quodam

dam naturæ, inter quæ est ordo potentialis ex natura rei, ex quibus clarè deducitur quod subiectum prius natura recipit formam, & est in potentia ad eandem formam in esse quieto, & perfecto.

Secundò Motus nequit diffiniri, quia non est quid vniuocum ex 3.phys.t.4. ergò non potest diffiniri.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld.& Cat.num.33.quod Arist.negat motum esse vniuocum genericum, sed non negat habere conceptum vniuocum.

Confut. Sed hæc Responsio est voluntaria, quia Arist. nec affirmat, nec negat motum esse vniuocum, sed tantùm dicit motum non esse præter res ipsas, scilicet substantiam, quantitatem, qualitatem, & Vbi, nec dari aliam rem communem istis, præterquam quod sibi manifestè contradicunt, vt dicetur in principio sequentis conclusionis.

Responsio Auctoris Respondeo igitur negando, quod Aristot.ibi dicat motū non esse vniuocum, sed dicit non esse præter quattuor prædicta prædicamenta, & nullam dari aliam rem, quæ sit communis istis, quia non datur alia res, quæ in prædicamentis non contineatur; Ideò non datur motus in communi, qui sit ad rem non inclusam in prædicamento, nihil autem dicit de vniuocatione motus in communi, quia non negaret conceptum communem motus in communi vniuocum omnibus motibus, & sic falsa est consequentia.

Tertiò probatur, quòd malè ponitur in hac diffinitione ly *actus;* Nam actus, & forma conuertuntur; ergò si motus est actus, erit forma; ergò erit in aliquo determinato genere; Item actus, & potentia sunt termini contrarii; ergò in hac diffinitione male ponuntur.

Responsio Meld. & Cat. Respondent Meld. & Cat. quòd actus potest sumi dupliciter, vel fundamentaliter, & est forma, vel formaliter, & est respectus actuantis ad actuabile, seu perfectiui ad perfectibile; Primo modo actus conuertitur cum forma, non secundo

cundo modo, sed motus, cum sit respectus actuabilis ad actuans, non erit forma, neque erit in determinato genere; Neque actus, & potentia sunt contrarii, vt in hac diffinitione ponuntur, quia mobile non dicitur in actu, & in potentia respectu eiusdem.

Sed hæc Responsio est falsa etiam secundum ipsos, quia in hac disp. num. 10. dicunt, quòd motus pro respectu actuabili ad actuans est in prædicamento habitus, quod est euidentissima contradictio, ac per consequens si esse formam competit rei in prædicamento motus erit forma; Item falsum est, quòd mobile non sit in actu, & in potentia respectu eiusdem, quia mobile est in actu per formam in fieri, est verò in potentia ad eandem formam in facto esse. *Confut.*

Ideò Respondeo concedendo antecedens, quia de ratione formæ est esse actum, si non actualiter, saltem aptitudinaliter, & sic concedo, quòd motus sit forma, & per consequens in aliquo determinato genere scilicet in genere passionis, vt dixi cum Sco. in præcedenti conclusione, accipiendo genus passionis in sua communitate, & sic passio non solùm dicit respectum patientis ad agens, sed etiam respectum informati ad formam informantem; Et cum dicitur quòd actus, & potentia sunt termini contrarii, concedo respectu eiusdem, & secundùm eandem retionem, & in eodem subiecto; Modò ibi actus inest motui, esse verò in potentia competit subiecto, vtique idem subiectum est in actu, & in potentia respectu eiusdem formæ, sed secundùm diuersam considerationem ipsius formæ, quia quod mouetur est in actu respectu eiusdem formæ in fieri, sed est in potentia ad formam in facto esse, hoc autem modo esse in actu, & in potentia respectu eiusdem diuersimodè considerati non sunt contraria; quare negatur consequentia. *Responsio Meld. & Cat.*

Quartò. Si motus esset actus mobilis, vt mobile, cum nihil possit esse tale sine actu, secundùm quem est tale, vt nullus potest esse sciens sine scientia; ergò nihil esset mo-

bile, nisi actu haberet motum, quòd est falsum; nàm calefactibile est tale ante calefactionem.

Respondeo (quicquid dicant Meld. & Cat.) negando consequentiam, quia motus est actus mobilis, quia denominat mobile actu moueri, non quia constituat mobile in esse mobili, sicut scientia est actus potentis scire, quia actuat, & denominat actualiter scientiam, sed non constituit ipsum in potentia ad scire, & sicuti potest stare potens scire sine scientia, ità potest stare mobile sine motu, sed sicuti non potest stare actu sciens sine scientia, ita non potest stare quod aliquod actu moueatur sinè motu.

Quintò. Hęc diffinitio competit aliis à motu, ergò non est bona; Antecedens probatur; Nàm anima est actus corporis physici organici, quatenus est in potentia ad vitam, Tempus, & forma remissa actuant subiectum, relinquendo ipsum ad aliquam formam in potentia, & Passio est qua subiectum, vt quid potentiale respicit terminum.

Respondeo negando antecedens; Et cum probatur de anima, dico, quòd anima est actus corporis absolutus, non relatiuus, quia actus in diffinictione motus accipitur pro relatione subiecti ad formam fluentem, modò anima non est talis actus, nec est actus corporis, quatenus mobile, quia corpus in aliquo priori non est priuatum anima, & per consequens non est mobile; Et cum probatur de Tempore, concedo, quia Tempus est motus; Ad illud de forma, concedo, quòd est motus prò materiali, non pro formali; Ad illud de passione, nego, quod Passio sit, qua subiectum respiciat terminum, ad quem est motus, sed agens, quod est terminus illius relationis, loquendo de Passione communiter accepta, motus autem est quo subiectum respicit formam, quam recipit, & iste respectus, vt dictum est in præcedenti Conclusione, dicitur *passio*, accipiendo genus passionis in sua communitate, & sic quo ad hoc nihil contra me.

CON-

CONCLVSIO QVARTA.

Motus in communi diuiditur in motum, & mutationem vt in suas species per esse successiuum, & non successiuum tanquam per proprias differentias essentiales constituentes motum, & mutationem, & diuidentes motum in communi.

Est Sco.4.d.10.q.6.A. & 3.d.3.q p.B. & quolib. 13. T.

Opinio Aliorum. Cap.Primum.

MEld.&Cat.disp.15.physf.q.6.num.39.dicunt motum in communi diuidi in motum propriè dictum, qui est ad accidens, & in mutationem propriè dictam, quæ est ad substantiam, & hæc diuisio est generis in species, & quia genus in species descendit per differentias, quæ sunt diuisiuæ generis, & constitutiuæ specierum, debemus prius inuestigare quæ nam sit essentialis diuisio, & quæ accidentalis, ex quo postea patebit, quæ sint species motus in communi. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed isti Doctores inconsideratè hoc dicunt, & sibi manifestissimè contradicunt; Nam in hac disp.num.33.dicunt conceptum motus in communi non esse genericum; Tunc sic argumentor. Si conceptus motus in communi non est genericus; ergò motus non est genus; ergò non habet species; ergò inconsideratè quærunt, quæ sint veræ species motus, quia genus, & species sunt correlatiua; Ex alia parte, si motus in communi est genus, & verè genus, quia diuisum per differentias constituentes species; ergò conceptus motus in communi erit genericus; sed esse *Confutatur, & sibi contradicunt*

Mmm 2 genus,

genus, & non esse genus, & conceptum motus in communi esse genericum, & non esse genericum est manifestissima contradictio; ergò vt millies in suis scriptis, sibi manifestissimè contradicunt.

5. Dictum Meld. & Cat.

Item dicunt in hac disput.q.6.a,2. n.45. quòd motus specificatur à termino ad quem, & reddunt rationem, quia quilibet respectus specificatur à termino, ad quem, motus autem est respectus, ideò debet à suo termino ad quem specificari, & ideò si termini sunt specie distincti, motus erunt specie distincti.

Contradictio Meld. & Cat.

Sed isti Scriptores sibi contradicunt: Nam nu.48. dicunt motum, & mutatiouem specificari, & distingui non solum per terminum ad quem, sed etiam per priuationem, & subiectum, & probant num.50.§.Tertiò &c.eò quia subiectum mutationis non est in actu completo, subietum verò motus est in actu completo, sed nu.45. hoc negant, habent enim hæc verba: *Tandem quo ad tertiam partem de quarta diuisione patet, quia vt quæst. sequenti dicemus motus à subiecto minimè specificatur* hæc illi: Huiusmodi autem contradictiones sic immediatè proueniunt ex hoc, quòd in eodem Articulo doctrinam à diuersis, & contrariis Doctoribus acceperunt. Videant lectores quæst.7. art. primo huius disp. in quo probant motum nec specificari à subiecto, nec à priuatione, sed solùm à termino ad quem, quod est totum oppositum illi, quod dixerunt, & probauerunt num. 48. & 50.

Cōfutatur opinio Mel. & Cat.

Præterea probo quòd non possunt sustinere motum differe specificè à mutatione per terminum ad quem, qui est secundum ipsos substantia, vel accidens, quia secundum ipsos motus pro formali importat solum respectum formæ ad non esse ipsius immedintè præcedens, alibi dicunt, (inconstantes) esse respectum informationis ad non informationem, vel ad priuationem, ita quòd motus secundum ipsos terminatur ad negationem; sed negatio nec est substantia,

tia; nec accidens ergò vel tenentur dicere motum pro formali non dicere illum respectum ad negationem, sed esse respectum subiecti ad formam, quod negant Articulo de formalitate motus, vel quòd motus non distinguitur specificè à mutatione per terminum ad quem, quia talis terminus secundum ipsos nec est substantia, nec accidens.

Tacita rẽspõsio confutatur.

Si dicerent quòd intelligunt de termino ad quem est motus, qui est forma terminans motum, falsum dicerent in sua opinione, quia ibi loquitur de motu pro formali, qui est fluxus formæ, siue respectus formæ ad non esse ipsius immediatè præcedens, vel respectus informationis ad non informationem, & in hac disp. num. 50. in fine desumunt differentiam, & specificationem motus à termino ad quem per hoc quòd quilibet respectus habet specificationem, & differentiam à suis extremis, sed inter extrema motus pro formali non conumeratur secundum ipsos forma, ad quam est motus; ergò nullo modo motus potest differe, & specificari à mutatione per formam, ad quam est motus.

Confut. opinio Mc, & Cat.

Præterea in hac disp. nu 45. in fine diuisio motus, & per consequens specificatio motus à mutatione per respectum subiecti ad formam, quem dicunt esse materiale motus non potest esse nisi accidentalis, & extrinseca; ergò non potest motus specificari per terminum ad quem, quia diuisio generis per differentias accidentales non potest esse essentialis, & per consequens illæ differentiæ non possunt constituere essentialiter species, & facere illas differre essentialiter, sed tantùm accidentaliter: ergò si respectus debet specificari á termino, & motus secundum ipsos non dicit formaliter respectum subiecti ad formam, sed dicit tantum respectum ad negationem, motus non poterit specificari à termino ad quem, qui est forma, ad quam est motus, vel dicendum erit melius cum Sco. quòd motus formaliter importat respectum subiecti ad formam, quòd ipsi negant.

Præ-

Præterea sequeretur quòd motus rectus, & circularis esset vnus motus specie, quia possunt esse ad vnum terminum specie, ac etiam numero, quod est falsum, quia sunt incompossibiles ex Arist. 5. Phys. t. 21.

3. dictum Meld. & Cat. conf. Item dicunt isti scriptores in hac disp. n. 51. motum accidentalem posse diuidi in instantaneum, & successiuum tanquam in species. præcipuè secundum Arist. cuius principalis intentio est motum successiuum explicare, & motus instantaneus potest mutatio secundùm quid vocari, vt facit idem Arist. 5 Phys. t. 7 sed hoc dictum est immediatè contra Sco. 3. d 3. q. p. B. vbi habet, quòd si B. V. iustificata fuisset in Tempore, illa iustificatio non esset motus, nec mutatio loquendo strictè, sicut loquutus fuit Arist. de motu, & mutatione, sed haberet aliquid de motu, quia fieret in tempore, haberet aliquid de mutatione, quia fieret indiuisibiliter, & sine successione.

Tunc sic arguo. Anima recipiens gratiam in Tempore, reciperet accidens, & non propriè moueretur, quia non successiuè. ergò motus, vt differt à mutatione, non potest esse instantaneus secundum Arist. ex principiis Scoti.

Confut. 2. Præterea Sco. loco cit. quærens quare passio causata ab agente naturali est motus, vel mutatio, & non ista, quæ est ad gratiam. Respondet, quia si agens naturale si potest subitò inducere formam, inducit per mutationem, & si non potest, necesse est, vt agat in tempore, & ità per motus.

Tunc sic argumentor. Si agens naturale inducens formam in instantii inducit per mutationem, si inducit in temtore, & successiuè, inducit per motum; ergò motus, & mutatio per Arist. & Sco. differunt tantùm per esse successiuum, & instantaneum aliter falsum esset, quòd asserit Sco. quòd si agens naturale induceret formam in instanti, induceret per mutationem & si inducit in tempore induceret per motum, ergò falsum est, quòd motus, vt differt à mutatione distin-

stinguitur in instantaneum, & successiuum.

Præterea infideliter isti Scriptores addúcunt Arist. pro eorum opinione 5.phys.t.7.s. quòd ibi admittat motum instantaneum, & dicat, quòd possit vocari mutatio secundum quid, quia ibi Arist. ponit tantùm species motus, quas vocat generationes, quia secundum ipsas aliquid fit, sed quia aliquod dicitur fieri simpliciter, & aliquod dicitur fieri secūdū quid, fieri simpliciter est fieri substantialiter, vt cum materia recipit formam substantialem, fieri secundum quid est fieri accidentaliter, vt cum materia recipit formam accidentalem, ideò datur generatio substantialis, & accidentalis, quod etiam ipsi scriptores sibi contradicentes dicunt in explicatione tex. & in hac disp. nu. 52.

Infideliter adducunt Arist.

Præterea probo efficaciter, quòd non potest dari motus instantaneus secundum Arist. & in Doctrina ipsorum, quia Tempus est mensura motus secundum Arist. & Tempus secundum istos disp. 13. Phys. est solum mensura successiui; ergò non potest dari motus instantaneus.

Probatur non dari motū instātaneum.

Si Responderent, quòd sic intelligitur quod Tempus est mensura motus, non cuiuscunque, sed successiui tantùm.

Tacita responsio confutatur.

Contrà motus positus in diffinitione Temporis est motus in Communi secundum ipsos, & rectè in disp. iàm citata n 55. & est corelatiuum Temporis, quòd est anthonomasticè successiuum secundum ipsos in citata disp. nu. 29. ergò motus in cōmuni erit successiuus; ergò nulla species motus erit instantanea, quia genus non potest diuidi per opposita sibi, sicut corpus non potest diuidi per corporeum & incorporeum, aliter daretur incorporeum corpus, sicut in proposito de motu daretur instantaneum successiuum, quod implicat; Non sunt memores eorum, quæ prius transcripserunt, ideò semper contradicentes sunt.

Præterea Sco. p. d. 2. q. p. & 2. EE. dicit esse contradictionem motum esse in instanti, vt motus distinguitur à mu-

tatione, & infrà discurrendo ponit de ratione motus esse successionem; Ponit enim ibi Sco. duplicem contradictionem, scilicet quòd virtus infinita sit in magnitudine, & quòd moueat in non tempore, accipiendo motum, vt distinguitur contra mutationem; ergò motus distinguitur essentialiter à mutatione per esse successiuum, & instantaneum; Hæc sunt verba Sco. *Ad vltimum dico, quòd Philosophus infert moueri in non tempore ex hoc antecedente, quòd potentia infinita est in magnitudine, & intelligit in consequenti moueri propriè, vt distinguitur contrà mutationem, & hoc modo consequens includit contradictionem, & etiam antecedens secundum eum*, Hæc Sco. ex quibus clare infertur esse contradictionem motum fieri in instanti, vt distinguitur contra mutationem; ergò motus, & mutatio essentialiter distiguuntur per successiuum, & instantaneum; ergò motus, vt distinguitur à mutatione non potest esse instantaneus.

4. dictum Meld. & Cat. Dicunt etiam in hac disp. nu. 46. quòd si successiuum & instantaneum prouenient in motu ex propria natura terminorum, tunc successiuum, & instantaneum sunt differentiæ essentiales motus, sed si prouenient ex aliquo extrinseco, puta ab impotentia agentis, & forma potest successiuè, & indiuisibiliter aquiri, successiuum, & instantaneum non erunt differentiæ essentiales, sed tantum accidentales.

Confut. 1. Contrà Arguo ad hominem. Primò quòd nequit separari ab aliquo vel est differentia essentialis, vel passio inseparabilis nobis differentiam essentialem circumscribens; Hæc maior est ipsorum loco cit; sed successio nequit separari à successiuo, & quod est successiuum non potest esse indiuisibile, simultaneum, & instantaneum, & è conuerso, quia sic successiuum, & non successiuum essent formaliter idem; ergò successiuum, & instantaneum in motu ad formam aquisibilem in instanti, vel successiuè propter impotentiam agentis non poterunt separari à motu tali successiuo, & in-

stan-

ſtantaneo; ergò ſucceſſiuum, & inſtantaneum erunt differentiæ eſſentiales motus.

Secundò ad hominem ſi terminus motus ex ſui natura ſucceſſiuè, vel inſtantaneè aquireretur, motus ad formam eandem ſpecie, ſi eſset ſucceſſiuus, vel inſtantaneus, non differret ſpecie, omnis enim dealbatio omni dealbationi idem ſecundum ſpeciem erit ex Ariſt. 5. Phys. t. 30. Hæc auctoritas eſt adducta ab ipſis loco cit; ſed ſi albedo V.G. ex ſui natura eſset ſucceſſiua, tamen ſubiectum per impoſſibile indiuiſibiliter ad illam moueretur; tunc eſſet dealbatio; ergò eſſet motus eiuſdem ſpeciei, quia omnis dealbatio eſt omni dealbationi idem ſecundùm ſpeciem; ergò talis ſucceſſio, & inſtantaneitas non erunt diffrentiæ eſſentiales; Item diſcurre de forma indiuiſibiliter ex ſui natura aquiſibili. *Confut. 2. ad hominem.*

Tertiò ad hominem inſiſtendo in eadem probatione. motus dicit reſpectum ſubiecti ad formam, & reſpectum informationis ad non informationem; ſed iſte reſpectus eſt eiuſdem rationis quando forma aquiritur in inſtanti, & quando ſucceſſiuè; Hæc maior, & minor eſt ipſorum loco cit. ergò ſi albedo quæ eſt ex ſui natura diuiſibilis aquireretur in inſtanti, illi reſpectus ſubiecti ad albedinem ſucceſſiuè, vel inſtantaneæ aquiſitam, eſſent eiuſdém rationis. *Confut. 3. ad hominẽ.*

Quartò ad hominem. Illi motus ſunt eiuſdem rationis, qui ſunt ad eandem formam eodem modo denominantem: ſed ſi forma ex ſui natura diuiſibilis aquireretur in inſtanti, eadem forma eodem modo denominaret ſubiectum ſiue in inſtanti, ſiue ſucceſſiuè aquireretur, quia eadem albedo denominaret eodem modo ſubiectum album: ergò motus ad eandem formam ex ſui natura diuiſibilem tam ſucceſſiuus, quàm ſimultaneus eſſent eiuſdem ſpeciei maior eſt ipſorum loco cit. *Confut. 4. ad hominẽ.*

Si velint aufugere, dicendo, quòd caſus eſt impoſſibilis,

Tacita responsio confut. non soluunt argumenta; Nam illud formaliter est tale, quo posito per possibile, vel impossibile, semper formaliter est tale, sed posito per impossibile quòd esset motus instantaneus ad formam ex sui natura diuisibilem, tunc esset secundum ipsos V.G. eadem dealbatio, & remaneret idem respectus, & eadem forma, eodem modo denominaret subiectum: ergò essent motus eiusdem rationis: Ad hæc autem argumenta, quæ contra ipsos habent efficaciam, respondebo in mea opinione.

confutatur 1. principaliter. *Opinio Meld. & Cat.* Præterea principaliter contra conclusionem eorum; Si motus, & mutatio differunt essentialiter, quia motus est ad formam accidentalem, mutatio verò ad formam substantialem; ergò ad illuminationem esset tantùm motus & non mutatio: sed hoc est contra Scot. 2. d. 2. q. 12. G. vbi habet quòd ad illuminationem non est motus, sed mutatio: ergò motus, & mutatio non differunt essentialiter per terminos, sed per esse successiuum, & instantaneum, quia sustinet Sco. illuminationem fieri in instanti, & per hoc ad illuminationem non esse motum, sed mutationem.

Confut. 2. Præterea Sco. respondendo in quolib. 13. T. ad Arist. qui 7. Phys. t. 20. dicit ad intellectionem non esse alterationem, ait, quòd Arist. intellig t de alteratione, quæ est motus, & reddit rationem, quia tam forma, quàm subiectum est indiuisibile, & per consequens anima non est susceptiua motus, qui requirit subiectum diuisibile, ergò secundum Sco. maximè in via Arist. motus differt à mutatione essentialiter, quia forma diuisibiliter, vel indiuisibiliter aquiritur, & per consequens ad intellectionem; quæ est accidens, non est motus, quia indiuisibiliter aquiritur.

Sem-

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Motus in communi diuiditur in motum, & mutationem vt in suas species per esse successiuum, & non successiuum tanquam per proprias differentias essentiales constituentes motum, & mutationem, & diuidentes motum in communi.

Est Sco.4.d.10.q.6.A. & 3.d.3.q p.B. & quolib. 13. T.

PRo cuius declaratione. Primò Not. est quodcunque ens in prædicamento formaliter, & specificè ab alio diuidi, per quod formaliter constituitur, & sic motus, & mutatio specificè distinguuntur solum per suas rationes formales, & non per extrema, quæ sunt omninò extra rationes eorum; Et si aliquando Arist. dicat motum, & mutationem per terminum ad quem specificari, intelligitur extrinsecè, & non intrinsecè; Et si intelligeretur intrinsecè, hoc esset, quia respectus cum sint minimæ entitatis, non possunt cognosci pro statu isto quo ad eius differentias formales, ideò circumscribuntur per terminos, & hoc quando forma fluens est eadem cum forma terminante ex Sco.3.d.14.q.p.& 2.E. immò ex Sco. pluribus in locis, & maximè p.d.13.q vnica R. hæc propositio: Motus distinguitur per terminos non est vera, nisi quando aliæ duæ propositiones sunt veræ. Prima quod forma fluens sit eiusdem rationis cum forma terminante. Secundò quòd motus sit eiusdem rationis cum forma fluente: Vt motus ad albedinem, & nigredinem distinguitur secundùm distinctionem terminorum, quia in istis motibus forma fluens est eiusdem rationis cum forma terminante, quia eadem albe-

Motus distinguitur per terminos, quomodo intelligitur.

albedo, & nigredo, quæ fluit est eadem, quæ terminat motum, & motus ad albedinem est eiusdem rationis cum forma fluente, quia dicitur albefactio, & motus ad nigredinem dicitur nigrefactio; Et debet intelligi Sco. de motu & fluxu eodem modo se habente, quia si motus ad vnam albedinem fieret in instanti alter in tempore ad aliam albedinem differunt non solum specie, sed genere, quia motus instantaneus ad albedinem diceretur mutatio, successiuus verò diceretur motus; Quando verò forma fluens non est eiusdem rationis cum forma terminante, nec motus est eiusdem rationis cum forma fluente, tunc motus non distinguitur per terminos, quia idē Vbi potest aquiri diuersis motibus specie distinctis, qui sunt omninò incomparabiles est Aristot. 7. phys. t. 21. non quia in nullo conueniant, quia conueniunt in ratione motus, & in ratione motus localis, sed quia non sunt eiusdem speciei, vnitas enim specifica est ratio, quare duo possunt ad inuicem propriè comparari: In his enim motibus forma fluens non est eiusdem rationis cum forma terminante, quia Vbi circulare, & Vbi rectum, quòd fluit, & aquiritur sunt diuersæ rationis ab Vbi, quod terminat motum, nec motus circularis, & rectus est eiusdem rationis cum forma fluente, quia sic eadem forma fluens esset simul circularis, & recta: Vnde concludendum est cum Sco. loco cit. quòd vtique ex distinctione terminorum possumus arguere distinctionem mutationum; Sed non ex vnitate termini possumus arguere vnitatem mutationum, quia vt dictum est ad idem Vbi specie possunt esse motus omninò specie diuersi, est enim fallacia consequentis ex distinctione mutationum infere distinctionem terminorum ex Sco. 4. d. 43. q. 2. D. quare secundum Sco. distinctio motuum ex terminis est tantum distinctio accidentalis, quia si esset essentialis non posset stare distinctio mutationum sine distinctione terminorum.

Quomodo motus dicantur incomparabiles.

Secundò Not. quod vtique motus potest esse solùm ad

formam

formam accidentalem, & mutatio ad formam substantialem, non tamen propter hoc essentialiter distinguitur motus à mutatione, loquendo strictè in via Philosophi, vt Philosophus loquitur de motu, & mutatione ex Sco. 3. d. 3. q. p. B. vbi habet, quòd iustificatio Virginis si fuisset in Tempore post primum instans suæ conceptionis, illa iustificatio non fuisset motus nec mutatio, sed haberet aliquid de motu, & aliquid de mutatione, haberet aliquid de motu, quia fieret in tempore, & in mensura diuisibili, haberet aliquid de mutatione, quia indiuisibiliter fieret: Vnde motus ad formam accidentalem dicitur motus, quia fit in tempore, & diuisibiliter, & hoc secundum Arist. quia non cognouit Deum posse producere in tempore aliquod indiuisibile, vel diuisibile indiuisibiliter, motus verò ad formam substantialem dicitur mutatio, quia talis forma indiuisibiliter aquiritur: Et sic successio, & instantaneitas erunt differentiæ essentiales diuidentes motum in communi, & constituentes motum, & mutationem.

Motus in via Arist. est ad formam accidentalem, mutatio ad formã accidentalem.

Tertiò Not. quòd cum motus formaliter sit relatio non potest esse per se ens diuisibile, & successiuum, sed tantùm per accidens, vt multoties dictum est secundum Arist Vnde quando subiectum mutatur ad formam, quæ diuisibiliter aquiritur, tot sunt informationes partiales in subiecto, quot sunt partes formæ, quæ aquiritur, & vnaquæque informatio dicit respectum ad non esse immediatè præcedens, scilicet ad non informationem, & vnus respectus partialis alteri succedit; quæ successio formaliter dicit respectum posterioris ad prius: Imaginamur enim per nostrum modum concipiendi totum motum, & totam informationem subiecti ad formam in subiecto fluentem, esse vnum totum successiuum habens partes successiuas continuatas per indiuisibilia, quæ vocantur mutata esse: motus autem instantaneus, siue simultaneus dicit tantùm vnum respectum subiecti ad formam indiuisibiliter acceptam cum respectu

Quomodo motus, qui est relatio dicatur successiuus.

ad

ad non informationem præcedentem cum negatione successionis, quæ negatio successionis circumscribit nobis differentiam motus indiuisibilis à diuisibili, & successiuo; Vnde si subiectum moueretur ad eandem formam successiuè, & indiuisibiliter, moueretur ad illam diuersis motibus specie distinctis, quia fluxus formæ esset diuersæ rationis, successiuum enim essentialiter distinguitur à non successiuo, quia successio in motu dicit plures respectus, & ordines posterioris ad prius, non successiuum verò, & instantaneum in motu non dicit illos respectus, & per consequens alia est entitas motus successiui ab entitate motus simultanei ad eandem formam, sicut ad idem Vbi specie potest esse diuersus motus specie scilicet rectus, & circularis, quia fluxus est diuersus specie. His Not.

Probatur Conclusio Primò *Auctoritate Sco.4.d.10.q.6.* A. motus distinguitur à mutatione sicut diuisibile, & indiuisibile; sed esse diuisibile, & indiuisibile in motu est esse successiuum, & non successiuum, seu simultaneum; ergò successiuum, & non successiuum, seu instantaneum, vel magis propriè. Simultaneum erunt differentiæ essentiales constituentes motum, & mutationem, & diuidentes motum in communi.

Secundò probatur Auctoritate etiam Sco. 3. d. 3. q. p. B. vbi habet, quòd si iustificatio fuisset in tempore, tunc haberet aliquid de mutatione, quia indiuisibiliter gratia aquireretur, & esset motus ad formam indiuisibilem, haberet aliquid de motu, quia esset in tempore: ergò iustificatio in instanti nihil haberet de motu: ergò ad mutationem solum requiritur quòd forma in instanti indiuisibiliter aquiratur; Sed hæc mutatio esset ad accidens; ergò motus, & mutatio non distinguuntur, quia motus sit ad accidens, & mutatio ad substantiam: sed quia motus est successiuus, mutatio indiuisibilis, & simultanea, quæ successio maximè secundum Aristot. non potest esse, nisi in tempore,

& mu-

& mutatio, nisi in instanti.

Tertiò. Motus in communi, maximè secundum Aduersarios mensuratur tempore; ergò motus in communi est essentialiter successiuus, quia solum successiua essentialiter mensurantur tempore.

Confirmatur. Duratio intrinseca motus in communi est, etiam secundum Aduersarios, successiua; ergò existentia motus est successiua; ergò nullo modo potest dari motus instantaneus; ergò de ratione motus est successio; ergò motus à mutatione distinguitur per successionem; ergò successiuum, & non successiuum, seù simultaneum erunt differentiæ essentiales motus, & mutationis.

Contra Arguunt Primò Meld. & Cat. in hac disp. num. 45. sustinentes motum, & mutationem differre per terminos ex Sco. p. d. 2. q. 7. T. & d. 13. A. & 3. d. 14. q. 2. E. quibus in his locis docet motū penes terminos distingui, ita vt ex diuersitate specifica terminorum valeat inferi diuersitas specifica motuum, hoc idem habet Arist. 5. phys. t. 8. *Argum. Meld. & Cat. qui infideliter citant Sco.*

Respondeo quòd primus locus Sco. infideliter adducitur, vbi potius infert cum conditione distinctionum terminorum ex distinctione motuum, & Respondet ad illam propositionem: motuum differentium specie sunt termini differentes specie, dicendo quòd hæc propositio non est immediata, sed dependet ab aliis duabus, Prima quia fluxus, seu formæ fluentes differant specie. Secunda quia forma fluens est eiusdem rationis cum forma terminante, vbi autem altera istarum duarum propositionum est falsa, propositio assumpta est falsa, quod patet, quia motus circularis, & rectus differunt specie, & tamen sunt ad eundem terminum specie: Secundus, & tertius locus Sco. ponit distinctionem motuum, ex distinctione terminorum cum eadem tamen prædicta conditione, scilicet quòd formę fluentes sunt diuersæ specie, & forma fluens est eadem cum forma terminante; Concludit tamen Sco. p. d. 13. q. vn. K. quòd

quòd si forma fluens sit eadem cum forma terminante in motu circulari, & recto, non erit distinctiua rationis motuum; quare secundum Sco. loco cit. hæc propositio. Motus diuersificantur per terminos non est vniuersaliter vera, vt patet de motu circulari, & recto, quia possunt esse ad eundem terminum specie.

Prætereà falsum est Sco. locis cit. asserere motus essentialiter differre per terminos, licet enim vniuersaliter verum esset motus specie distinctos esse ad terminos specie distinctos, & distinctionem terminorum inferre distinctionem motuum, hoc esset verum extrinsecè, non intrinsecè, quia termini non sunt de ratione essentiali motuum.

Ad Auctoritatem Arist. dico, quòd ibi Arist. nihil dicit ad hoc pertinens, sed vtique t. 21. quæ Auctoritas Arist. explicatur à Sco. locis ab ipsis cit. vt dictum est: Non enim differentia essentialis etiam secundum ipsos potest assignari per extrinseca.

Secundò probant, quòd successio, & instantaneitas non sunt differentiæ essentiales motus, si forma possit successiuè, & in instanti aquiri, & probant Auctoritate Arist. 5. phys. t. 31. omnis dealbatio omni dealbationi idem secundum specie erit; ergò si lumen aquiratur in instanti, vel in tempore, illuminationes illæ erunt eiusdem speciei.

Respondeo ad Arist. quòd ideò secundum ipsum omnis dealbatio est eiusdem speciei, quia fluxus formæ est eiusdem speciei, scilicet successiuus, tamen si ipse cognouisset albedinem posse in instanti produci, non dixisset, quòd omnis dealbatio esset eiusdem speciei, quia fluxus successiuus, & simultaneus sunt diuersæ speciei, non enim est inconueniens ad eandem formam esse motus distinctos specie, quando fluxus sunt distincti specie, vt patet de motu recto, & circulari ad idem Vbi specie, vt di-

ctum

ctum est in Resp. præcedenti; quare negatur consequentia, quia si lumen aquireretur in instanti, & successiuè, tunc illuminationes, seu motus ad lumen essent diuersæ speciei, quia illuminatio successiua diceret formaliter successionem, quam successionem non diceret illuminatio instantanea, & per consequens essent diuersæ speciei, sicut dealbationes ad eandem albedinem specie, essent diuersæ speciei.

Tertiò. Motus dicit respectum subiecti ad formam; & respectum informationis ad non informationem; seu respectus subiecti ad formam est eiusdem rationis, quando forma in instanti, & quando successiuè aquiritur; ergò successio, & instantaneitas non sunt differentiæ essentiales motus.

Respondeo concedendo maiorem, sed negando minorem, quia respectus subiecti ad formam, quæ successiuè aquiritur importat formaliter successionem, & respectum posterioris ad prius, quam successionem non importat respectus ad formam indiuisibiliter aquisitam, successiuum autem, & non successiuum essentialiter distinguuntur, & sic negatur consequentia.

Quartò. Illi motus sunt eiusdem rationis, qui sunt ad formam eodem modo denominantem; Sed lumen eodem modo denominaret aerem, siue lumen aquireretur in instanti, siue in Tempore; ergò motus ad lumen diuersimodè aquisitum erunt eiusdem rationis: ergò successio, & instantaneitas non sunt differentiæ essentiales motus.

Respondeo negando maiorem, quia motus rectus, & circularis est ad idem Vbi eodem modo denominans, & tamen sunt diuersæ rationis; Potest etiam concedi maior de forma, quæ eodem modo denominat in fieri, sed negatur minor, quia lumen si aquireretur successiuè, denominaret subiectum illuminari successiuè, si aquireretur indiuisibiliter, & instantaneè, denominaret subiectum illumina-

ri indiuisibiliter, denominatio autem successiua, & instantanea includunt diuersum modum denominandi, scilicet successiuè, & instantaneè, qui denotant in motibus diuersas rationes formales, scilicet successionem, & indiuisibilitatem, vel instantaneitatem; quare negatur consequentia.

Quintò. Arguunt num. 50. Nam motus naturalis localis potest fieri in instanti ex Sco. 2.d.2.q.ii.& 12.& 3.d.4. & 4.d.43.q.5.& alibi, sed iste motus localis est specificè motus, vt distinguitur à mutatione, ergò motus non distinguitur à mutatione per successiuum, & instantaneum.

Respondeo concedo maiorem, & negando minorem, quia motus localis in instanti, sicut & quilibet alius motus ad formam indiuisibiliter aquisitam, siue illa forma sit substantialis, siue accidentalis, dicitur specificè mutatio, vt à motu specificè, & essentialiter distinguitur, vt dictum est in Not. & sic negatur consequentia.

Sextò. Mutatio est solùm ad substantiam ex Aristot. 5. phys. t. 9. motus verò ad accidens, sed datur mutatio substantialis successiua, vt est nutritio, & generatio inanimatorum ex dictis in lib. de generatione; ergò successiuum, & instantaneum non distinguunt motum propriè dictum à mutatione propriè dicta.

Respondeo, quòd secundum Arist. mutatio solùm est ad substantiam, & motus ad accidens, quia putauit solam substantiam indiuisibiliter, accidens verò diuisibiliter, & successiuè aquiri; Ad minorem nego, quòd detur mutatio successiua ad substantiam, & si verum esset, quòd nolo pro nunc disputare, quòd mutatio, & generatio inanimatorum esset successiua per se, & ad formam successiuè introducibilem, tunc ille motus non diceretur mutatio, sed diceretur motus, vt specificè à mutatione distinguitur, quicunque enim motus, vt dictum est in Not. siue sit ad substantiam, siue ad accidens, si sit successiuus, dicitur motus,

tus,

tus, si instantaneus, & simultaneus, dicitur mutatio, fluxus enim formæ variat motum, non ipsa forma, quia ad formas specie distinctas potest esse motus eiusdem speciei, non specialissimæ, sed subalternæ, motus enim successiuus est ad formas non solum specie, sed genere distinctas, est enim ad quantitatem, qualitatem, & Vbi, sicut mutatio est ad substantiam, & qualitatem indiuisibiliter aquisitam.

Septimò. Arguunt sibi contradicentes probando, quòd motus, & mutatio distinguitur non solum penes terminum, sed penes subiectum; & priuationem, & quod differant ratione subiecti probant Auctoritate Arist. 5. Phys. t. 8. vbi habet, quòd subiectum mutationis non est in actu completo, subiectum verò motus est in actu completo.

Confirmatur, quia differentia cuiuscunque respectus ex differentiis extremorum cognoscitur, cum igitur motus & mutationis alia sint subiecta, termini, & priuationis, iuxtà ista tria principia motus, & mutatio essentialiter distinguuntur.

Respondeo quòd vtique subiectum mutationis est in actu incompleto, subiectum verò motus in actu completo, quia putauit solam substantiam indiuisibiliter aquiri posse, accidens verò diuisibiliter, & quia quod recipit substantiam non potest esse in actu completo, quod verò recipit accidens est in actu completo, ideo dixit subiectum motus esse ens completum, subiectum verò mutationis esse ens incompletũ, sed si cognouisset formam diuisibilem posse indiuisibiliter aquiri, non dixisset subiectum mutationis esse in actu incompleto.

Ad Confirmationem Respondeo, quòd vtique respectus distinguitur numero, vel specie ex differentiis extremorum accidentaliter solum, tamen potest stare identitas subiecti cum diuersitate specifica respectuum, idem enim corpus potest moueri ad albedinem, & nigredinem, sed in

genere mutatio, & motus distinguuntur formaliter solùm per esse successiuum, & instantaneum, vel simultaneum, quia (vt dixi) tàm ad substantiam, quàm ad accidens potest esse mutatio, si vtraque forma indiuisibiliter aquiratur.

Octauò, Motus est passio corporis naturalis, sed corpus naturale non potest moueri, nisi ad accidens; ergò motus á mutatione distinguitur per hoc quod præcisè ad accidens terminatur.

Respondeo, quòd vtique secundum Arist. motus solùm, & non mutatio est passio corporis naturalis, non tamen quarto modo, quia putauit accidens solùm successiuè aquiri posse, sed si cognouisset diuisibile indiuisibiliter aquiri posse per potentiam Dei, tunc non solùm motus, sed aliqua mutatio esset hoc modo passio corporis naturalis secundum Arist. & sic concessa minori, negatur consequentia, quia Arist. vocauit motum ad accidens esse specificè motum, vt distinguitur à mutatione, non quia sit ad accidens, sed quia est successiuus, & motum ad substantiam vocauit mutationem, non quia sit ad substantiam, sed quia ille motus est instantaneus, & non successiuus.

CONCLVSIO QVINTA.

Solùm ad quatuor Prædicamenta est motus.

Est Sco. 4. d. 10. q. 6. A. & Arist. pluribus in locis, & præcipuè in tertio, & quinto phys.

Sententia Auctoris. Cap. Vnicum.

PRo cuius declaratione Not. Primò ex Sco. loco cit. quòd motus potest accipi tripliciter vno modo prout distin-

stinguitur à mutatione, sicut diuisibile ab indiuisibili, quòd est cont. Meld. & Cat. in præcedenti conclusione. Secundo modo pro motu in Communi ad diuisibile, & indiuisibile, seu ad motum, & mutationem. Tertio modo pro quacunque aquisitione nouæ formæ, siue absolutæ, siue relatiuæ, & vniuersaliter pro quacunque versione de non esse ad esse, vt dictum est in præcedentibus conclusionibus: In proposito accipitur præcisè motus in communi ad diuisibilem, & indiuisibilem, scilicet ad motum, & mutationem, seu pro motu, qui est ad formam per se aquisibilem, & hic est tantùm ad quattuor prædicamenta, scilicet substautiam, quantitatem, qualitatem, & Vbi, motus verò acceptus pro aquisitione nouæ formæ simpliciter, sic est ad omnia prædicameta, quia omnes formæ prædicamentales aquiruntur, siue propria aquisitioue, siue aquisitione alterius, An vero sit motus ad omnes species istorum prædicamentorum ab Aristot. assignatas, dico quòd est ad omnes species quas putamus esse veras species talium prędicamentorum, an verò omnes species ab Arist. assignatæ siue famosè, siue ad mentem propriam sint veræ species, non est hic determinandum, sed in Met. vbi de speciebus quantitatis erit sermo, si Deo placuerit. Quare motus propriè dictus erit ad formas, quæ propria aquisitione possunt aquiri tàm absolutas, quàm relatiuas; moueri enim est aliter se habere nunc quam prius, quia aliter se habere accipitur ex Sco. 2. d. p. q. 5. supra G. Vno modo ad se, & sic est per formam absolutam; Alio modo ad aliud, & sic est per formam relatiuam.

Motus multipliciter accipitur.

Secundò Not. est, quòd cũ dicimus ad substantiã, quãtitatẽ, qualitatem, & Vbi esse motum, intelligimus motum formaliter terminari ad tales formas tanquam ad suum terminum formalem, quæ formæ propria aquisitione aquiruntur, quia forma, quæ aquiritur ad aquisitionem alterius, aquiritur per accidens, & ad talem formam solum

est

est motus per accidens: & non per se, est tamen per se motus solùm ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & Vbi quia formæ talium prædicamentorum per se primò aquiri possunt, & non ad aquisitionem alterius, Actio autem, & passio non possunt aquiri, nisi noua forma ab agente producatur in subiecto; *Quando* verò cum sit relatio rei Temporalis ad Tempus non insurgit, nisi per motum primi Cęli; non enim res temporalis esset in prima, vel secunda die, nisi motus Cęli fieret in tali, vel tali termino; Situs, cum sit relatio partium corporis locati ad partes loci, dicit extensionem, & modum essendi in loco scilicet circumscriptiuè ex Sco. 4. d. x q. p. M. non enim est inconueniens quòd ens vnius generis sit modus alterius generis, sicut albedo, quæ est in genere qualitatis est modus substantiæ, quia homo dicitur albus; habitus autem, qui est relatio fundata in illis, *quæ sunt circa corpus ad ipsum corpus*, non aquiritur nisi vestis approximetur corpori; Relatio autem intrinsecus aduenicns, cum insurgat necessariò, positis extremis, nunquam potest aquiri per se, sed tantummodo per accidens, alio scilicet absoluto aquisito in altero relatorum ex Sco. quolib. ii. L. Si verò aliæ Relationes præter Vbi possunt supernaturaliter aquiri propria aquisitione, vt si forma per se esset vniretur materiæ, tunc ad illam vnionem esset per se motus, quia aquireretur nulla posita nouitate in fundamento, vel termino, similes autem aquisitiones non sunt Philosopho cognitæ. His Not.

Probatur Conclusio. Solùm ad illas formas est motus, quæ possunt propria aquisitione aquiri; sed solum formæ quattuor prædictorum prædicamentorum possunt propria aquisitione aquiri: ergò solum ad illas formas potest esse motus; minor patet ex dictis in 2. Not.

Contrà arguitur primò, probando generaliter quòd ad substantiam, quantitatem, & Vbi non sit per se motus; Nàm in motu semper est aliqua contrarietas; sed substan-

tiæ,

tiæ, Quantitati & Vbi nihil est contrarium; ergò ad istas formas non potest esse motus.

Respondeo ad maiorem, quòd in motu semper est contrarietas priuatiua non formalis, quia motus est à priuatione ad formam; Ad minorem concedo, quòd substantiæ, quantitati, & Vbi nihil est contrarium formaliter, est tamen aliquid contrarium priuatiuè, quia datur cuiuscunque formæ propria priuatio; quare negatur consequentia.

Secundò probatur quod ad quantitatem non est motus; Ad illud non est motus, quòd non aquiritur, nisi consecutiuè ad alios motus; sed quantitas est huiusmodi; ergò ad quantitatem non est motus; maior patet per Arist. quia probat ad aliquid non esse motum, quia relatio non aquiritur, nisi consecutiuè ad alium motum; minor probatur, quià augumentatio non fit, nisi consecutiuè ad alterationem, ad motum localem nutrimenti, & ad generationem.

Respondeo quòd illa maior non est vniuersaliter vera, vt sic simpliciter accepta, quia dealbatio est motus, & tamen non fit, nisi consecutiuè ad alterationem secundum primas qualitates; Vnde non est inconueniens, quòd forma, ad quam est motus, præsupponat alios motus, quia tunc ad substantiam non esset motus, vel mutatio, quia præsupponit, & consequitur alterationem. Arist. autem intelligit, quòd ad illam formam non est motus, quæ non propria, sed aliena aquisitione aquiritur; Vnde licet quantitas præsupponat alterationem, motum localem nutrimenti, & generationem, non tamen aquiritur ad aquisitionem præcedentium formarum, sed propria aquisitione, cum quantitas sit entitas absoluta à substantia realiter distincta, & non occasionaliter producta, nec per accidens consequitur substantiam, sed per se intenditur, non enim ad aquisitionem nouæ partis substantiæ in viuente per accidens consequitur quantitas, sicuti est relatio quæcunque præter Vbi, & sic concessa minori, negatur consequentia.

Ter-

Tertiò Arguitur quòd ad qualitatem non est motus, qui dicitur alteratio, si ad qualitatem esset motus, tunc ad intellectionem posset esse alteratio, & motus, sed hoc negatur ab Arist.7. phys.t.20. ergò ad qualitatem non est motus.

Respondeo concedendo sequelam maioris; Et cum probatur ex Arist: quòd est falsa, dico ex Sco. quolib.13. R.S. quòd duplex est alteratio. Vna, quæ est immediata primo alteranti in illo ordine, vt est pensatio, quia sensus immediatè alteratur ab obiecto extra: Alia est alteratio mediata primo alteranti, & est quando alteratio non immediatè, sed mediatè fit à primo alterante, sicuti est intellectio, quia primum tale alterans est obiectum extrà, cognitio autem ab intellectu non immediatè causatur ab obiecto vt extrà: Modò quando dixit Philosophus, quòd ad intellectionem non est alteratio, & motus, intellexit de alteratione immediata primo alteranti, non de mediata: Et quòd iste sit sensus Arist. patet, quia videtur pro ratione assignare quare ad intellectionem non sit alteratio, eò quia notitia intellectiua accipitur non immediatè ab obiecto extrà, quod est primum alterans in isto ordine, sed mediante cognitione sensitiua; Et sic negatur consequentia.

Quartò Arguitur quòd ad Vbi, non sit motus Auctoritate Sco.2.d.p.q.5.supra G.vbi habet quòd ad relationem secundum Arist.non est motus, quia non est possibile aliquid aliter se habere ad aliud, nisi aliter se habeat ad se. Tunc sic argumentor: Sed quod aquirit Vbi aliter se habet ad alterum; ergò prius aliter se habet ad se; ergò ad Vbi non est motus.

Respondeo quòd duplex est Relatio scilicet intrinsecus adueniens, quæ necessariò insurgit positis extremis, alia extrinsecus adueniens, quæ non necessariò insurgit, vt sunt sex vltima prædicamenta, modò quando dixit Sco. quòd

non

non est possibile aliter se habere ad aliud, nisi aliquid se habeat ad se, intellexit de Relatione intrinsecus adueniente, quia ista relatio non aduenit, nisi propter nouitatem alicuius absoluti in altero extremo, vt patet ex eodem Sco.3.d.p.q.p.K.vt similitudo nõ potest insurgere,nisi subiectum recipiat aliquam qualitatem, secundum quam sit alteri simile, ideò tale subiectum non potest aliter se habere ad aliud, idest referri ad aliud, nisi prius se habeat ad se, idest nisi prius aliquod absolutum, & ens ad se recipiat,& sic concedo minorem, sed quod aquirit Vbi se habet ad alterum per relationem,non intrinsecus,sed extrinsecus aduenientem; quare negantur consequentiæ.

Quintò. Si ad Vbi est per se motus, ergò locus localiter mouetur, & si non secundum locari, tamen secundum locare; probatur consequentia, quia superficies per illam vbicationem actiuam aliter se habet nunc, quàm prius, & illa vbicatio propria aquisitione aquiritur.

Respondeo negando consequentiam, quia ad motum propriè dictum, requiritur, quòd forma intrinseca terminet motum, dicitur forma intrinseca, quatenus est in eo, quod mouetur, & ad quam est motus, modò quando fit motus localis, ad illam vbicationem est motus, quæ terminat intrinsecè motum, hæc autem est solùm vbicatio passiua, quæ terminat motum, & à locabili aquiritur,& in mobili subiectatur, non enim locus mouetur, sed locabile, & si moueretur, non moueretur, vt locus, sed vt Vas, quia secundum Arist.locus est immobilis, & seruat eandem distantiam ad immobile, vt dictum est disp.de loco, illud verò, quod mouetur localiter non seruat eandem distantiam, sed diuersam, & ideò Vbicatio,quæ terminat talem motũ dicitur per talẽ motũ localiter aquiri.& hæc vbicatio est solùm passiua, quę propria aquisitione aquiritur.non sic vbicatio actiua,quæ aquiritur ad aquisitionẽ vbicationis passiuæ, locus enim locat,quia mobile est in loco,&mouetur ad locũ.

Sextò. Motus localis non potest esse simul vltimatè ad plures terminos genere, vel specie diuersos, sed motus est ad locum, qui differt genere, vel specie ab Vbi passiuo; ergò non potest esse ad Vbi minor; probatur quo ad omnes partes, quia motus denominatur à termino; sed iste motus denominatur à loco; ergò terminatur ad locum; quod Vbi, & locus differunt saltim specie patet quia si locus accipiatur materialiter, non est nisi superficies, quæ toto genere differt ab Vbi, quòd est relatio; Si accipiatur formaliter, dicitur Vbi actiuum, quod est genus, vel saltim species diuersa ab Vbi passiuo.

Ad hoc argumentum, quod conficit Canonicus Respondent Meld. & Cat. cum ipso Canonico, quòd motus potest esse ad plures terminos, quorum vnus sit intrinsecus, alter extrinsecus, sed dicunt, quòd talis terminus extrinsecus, à quo denominatur locus est Vbi actiuum, seu relatio superficiei circumscribentis.

Confut. dictum Mel. & Cat. cũ Canonico. Sed hoc additum mihi videtur falsum, quia motus localis non denominatur à loco pro formali, sed pro materiali, dicimus enim quòd aliquis mouetur ad Ecclesiam, & ad Plateam; ergò si terminus extrinsecus denominat motum localem, locus pro materiali, & non pro formali erit terminus extrinsecus motus localis.

Responsio Auctoris. Ideo Respondeo negando maiorem, quia motus vnus potest esse ad plures terminos, quorum vnus sit intrinsecus, alter extrinsecus, vt patet de motu locali, qui est ad circumscriptionem passiuam, vt ad terminum intrinsecum, quia terminus intrinsecus motus est forma à mobili aquisita, terminus verò extrinsecus motus localis est superficies, vel spacium, in quo mobile quiescit; Et sic concessa minori cum sua probatione, negatur consequentia.

Septimò, Vltima sphera localiter mouetur, & non aquirit aliquod Vbi, & motus localis potest fieri in Vacuo, non tamen ad aliquod Vbi; ergò motus localis non est ad Vbi.

Respon-

Respondent Meld. & Cat. in hac disp. nu. 58. & se remittunt ad illud, quod dixerunt de vltima sphæra disp. ii. phys. q. 4. a. p. n. 54. vbi reicientes communem Scotistarum doctrinam, dicentes, quòd vltima sphæra mouetur secundum locare, non autem dicitur esse in loco secundum locari ex Sco. quolib. ii. C. quia inquiunt ipsi, est repugnantia in adiecto dicere vltimam sphæram esse in loco secundum locare, quia esse in loco est locari. *Responsio Meld. & Cat.*

Sed hæc doctrina confutata est in disp. de loco, vbi osten do hanc doctrinam esse contra Sco. expressè, vbi loco cit. habet, quòd Cœlum est in loco per centrum, quia suum esse in loco est locare locabile fixum in loco. *Cõfutatur*

Respondeo itaque ad argumentum, negando quòd vltima sphæra localiter moueatur, & non aquirat aliquod Vbi, quia aquirit Vbi actiuum, locando aliter, quàm prius locauerat per motum eius, & hoc locare in vltimo Cęlo est esse in loco (quicquid dicant Meld. & Cat. contra Sco.) Item motus localis in Vacuo vtique secundum Arist. non est ad Vbi, quia secundum ipsum dari non potest Vacuum, nec motus in ipso mobile, tamen aquireret præsentialitatem ad spacium, vt dictum est in disp. de Vacuo, & iste motus esset localis, quia esset ad Vbi potentiale, quòd non cognouit Aristot. quia putauit sola corpora moueri posse in pleno, ideò concedit tantum Vbi circumscriptuum. *Responsio Auctoris.*

Octauò. Ad Relationem extrinsecus aduenientem est motus ex Sco. 3. d. p. q. p. K. ergò ad plura, quam ad quattuor prædicamenta est motus.

Respondent Meld. & Cat. loco immediatè cit. quòd Sco. non loquitur vniuersaliter de quacunque relatione extrinsecus adueniente, sed indiffinitè, & sufficit quod naturaliter de Vbi verificetur, vt patet legenti tex. Sco.

Sed hæc Responsio licet sit vera in se, vt elici potest ex eodem Sco. 4. d. x. q. 6. A. & Quolib. 13. 5. tamen videtur esse difficultas in tex. Sco. in 3. loco cit.

Nam Sco. cum distinxisset de relatione necessariò consequente fundamentum, quæ est duplex scilicet quæ identificatur cum fundamento, & quæ non, & de ea, quæ non necessariò consequitur fundamentum, ait: Ad relationem tertio modo se habentem, quia est extrinsecus adueniens, est mutatio; Sed quælibet talis est extrinsecus adueniens; ergò ad quamlibet relationem extrinsecus aduenientem est secundum Sco. vel esse potest mutatio, quia videtur assignare pro ratione scilicet quia est extrinsecus adueniens; ergò Sco. vniuersaliter loquitur de quacunque relatione extrinsecus aduenienre.

Respondeo motum esse ad formam propria aquisitione aquisibilem, & non ad aquisitionem alterius, inter relationem autem intrinsecus, & extrinsecus aduenientem est hæc differentia, quòd relatio intrinsecus adueniens non potest insurgere, quatenus intrinsecus adueniens, nisi posita nouitate in fundamento, vel termino, sed relatio extrinsecus adueniens, quatenus extrinsecus adueniens non insurgit occasione nouitatis in fundamento, vel termino, & si aliæ relationes extrinsecus aduenientes præter vbicationem occasionaliter fiant, & aquirantur ad aquisitionem alterius, hoc non euenit quia sint extrinsecus aduenientes, quia vbicatio cùm sit relatio extrinsecus adueniens, propria aquisitione non aquireretur. Sed quia sunt relationes extrinsecus aduenientes tales, quæ in suo esse specifico, non generico requirunt occasionaliter aquiri ad aquisitionem alterius; In proposito ad Argumentum concedo maiorem, scilicet quòd ad relationem extrinsecus aduenientem: vt extrinsecus aduenientem est mutatio, quia ratio hæc generica talis relationis non repugnat proprię aquisitioni, non quia esse extrinsecns aduenientem sit ratio formalis præcisa, qua posita, ponitur aquisibilitas propria, sed est ratio inadæquata, sicut Talpa non est cæca secundum animalitatem, & in esse generico, sed vt Talpa, & in esse specifico;

eo; Ad minorem concedo, quòd quælibet relatio, quæ non insurgit necessariò, est extrinsecus adueniens; Ad Consequentiam concedo quòd ad quamlibet relationem extrinsecus aduenientem vel est, vel potest esse mutatio, quia relationi extrinsecus aduenienti, vt tali, non repugnat propria aquisitio, non est autem ad omnes relationes extrinsecus aduenientes secundum rationes specificas, quia aliquæ, vt tales in specie non possunt aquiri propria aquisitione, solùm Vbicatio non solum ratione generica, quatenus relatio extrinsecus adueniens, sed ex sua ratione specifica sibi non repugnat propria aquisitio.

CONCLVSIO SEXTA.

Motus localis potest fieri in instanti per potentiam Dei, vt includit totam realitatem motus.

Elicitur ex Sco. 2. d. 2. q. 9. z. & q. ii. C. 4. d. 43. q. 5. D.

Opinio Aliorum, Cap. Primum.

MEld. & Cat. disp. 15. phys. q. 6. a. 5. nu. 67. dicunt quòd omnes motus successiui possunt de potentia Dei in instanti fieri, & includere totam realitatem motus præter motum localem, qui eo casu duntaxat includeret realitatem termini motus, etiam spectata potentia Dei. Primam partem dicunt esse Sco. 2. d. 2. q. ii. & 12. & 3. d. 2. q. 3. & d. 4. §. potest dici &c. & 4. d. 43. q. 5. Secundam partem dicunt esse Sco. 2. d 2. q. 7. z. & q. 12. §. ad secundũ, & 3. d. 4. C. & clarius habet quol. 7. suprà M. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed videamus modo quomodo deducunt eorum conclusionem ex Sco. locis cit. & prius quoad primam partem, quam ego concedo; Nam multa loca Sco. citant, & multoties

toties in eis nihil ad rem inuenitur, Equidem primam partem rectè deducunt ex Sco. 4 d. 43. q. 5. B. sed eo loc. D. non viderunt Sco. esse contra secundam partem, vt infrà videbimus, & rectè deducunt hanc primam partem ex Sco. locis cit. Sed in 2. d. 2. q. 11. & 12. cum loquetur Sco. tantùm de motu locali, nescio quomodo possunt deducere hanc primam partem propriæ Conclusionis, & in his locis potius deducatur oppositum secundæ partis, vt infrà videbimus.

Falsificāt Sco.

Secundam verò partem conclusionis, scilicet quòd motus localis non potest fieri in instanti, vt concludit totam realitatem motus etiam per potentiam Dei, dicunt deducere ex Sco. 2. d. 2, q. 9. Z. sed potius oppositum elicitur, quia licet ibi Sco. dicat successionem in motu prouenire ex resistentia medij ad motorem, & quòd medium non est necessarium virtuti illimitatæ, & infinitæ, sed tantum virtuti limitatæ, quia Deus potest auferre illa media, & per consequens potest in mobili inducere terminum sine mediis, & sic mouere illud motu non includente totam realitatem motus, sed tantum realitatem termini vltimi ipsius motus. Tamen applicando dicit quòd Angelus non potest moueri in instanti motu includente totam realitatem motus, quia non habet virtutem infinitam; habet enim hæc verba: *Tunc ad illa, quæ adducuntur ad oppositum, quod scilicet Angeli ad se nulla est resistentia, Dico quod ex quo agit non ex infinitate virtutis actiuæ quando est in Cælo inter quod Vbi, & suum vbi in Terra nata sunt esse multa media; quæ etiam virtuti suæ motiuæ sunt media, ita quòd nec virtus sua motiua potest omnia illa media facere simul, & terminum nec etiam potest statim terminum facere, nisi prius faciendo illa media, & ideo est hic resistentia tota, quæ requiritur ad successionem in motu*; hæc Sco.

Falsificāt Sco.

Tunc sic argumentor. Angelus secundum Sco. non potest moueri de Cęlo ad Vbi in Terra, faciendo illa media

Confut. 1. opin. Mel. & Cat.

Vbi

Vbi simul, & terminum, & per consequens non potest moueri motu includente totam realitatem motus, quia non agit ex infinitate virtutis actiuæ; ergò si ageret ex infinitate virtutis actiuæ posset moueri in instanti motu includente totam realitatem motus; Consequentia patet, aliter ratio Sco. nihil valeret, nam non valeret dicere hoc non est possibile à tali agente, quia non est agens infinitum, nisi infinitum agens posset illud facere, quia si effectus esset omninò impossibilis, non esset factibile ab hoc agente, quia agens non esset virtutis infinitæ, vt dicit Sco. sed præcisè solum, quia effectus est ex se impossibilis, & inuoluens contradictionem; Subsumo, Sed Deus est infinitæ virtutis; ergò potest mouere aliquod in instanti motu locali includenti totam realitatem motus.

Præterea media esse necessariò media alicui virtuti motiuæ localiter, est virtutem illam motiuam non posse omnia Vbi media facere simul, & terminum, nec statim inducere terminum sine mediis ex Sco. 2. d. 2. q. 9. z. Sed nulla media sunt necessariò media virtuti illimitatæ, & infinitæ ex Sco. loco cit. quia Deus est supra ordinem naturæ, ergò virtus infinita non solum potest inducere terminum motus localis sine Vbi mediis, sed etiam Vbi media, & terminum motus; ergò potest mouere in instanti motu includente totam realitatem motus. *Confut. 2.*

Neque secundo deducunt eorum conclusionem ex Sco. 2. d. 2. q. 12. §. ad secundum, quia ibi Sco. vt dicetur ad argumenta, non asserit Deum non posse mouere in instanti motu includente totam realitatem motus, sed quia est virtutis infinitæ potest de extremo ad extremum mouere, & non per media, non sic Angelus, cum sit virtutis limitatæ. *Falsificat. Sco.*

Neque 3. rectè conclusionem deducunt ex Sco. 3. d. 4. q. vnica C. vbi tantùm probat Deum posse agere sine mediis, sine quibus non potest agere virtus imperfecta, sed nihil dicit pertinens ad eorum partem secundans scilicet quòd *Falsificat. Sco.*

Deus

Deus non potest mouere localiter in instanti motu includente totam realitatem motus.

Dicunt denique Sco. clarius conclusionem talem habere quol. 7. suprà M. & verò de hac conclusione minimum verbum habet, sed tantùm probat secundum philosophos Deum non posse causare motum immediatè, & sine causa secunda agente nec in tempore, nec in instanti sine vlla distinctione, non ad mentem propriam, sed in via Philosophorum, & Commentatoris; Dicit enim, quòd si Deus moueret immediatè in instanti Cęlum, tunc Cęlum esset in eodem loco, in quo prius erat, & sic Cęlum non moueretur. Et hoc argumentum probat tàm de motu includente totam realitatem motus, quàm de motu præcisè includente terminum motus, quòd est etiam contra Aduersarios, ad quod tenentur etiam ipsi respondere; Hoc, & aliud argumentum ponit Commentator, & in fine argumentorum ait Scot. *Hæc Commentator*. Videatis modo Scotistę quomodo ex contraria doctrina volunt propriam conclusionem firmare; Non sufficit legisse Sco. sed attentè, & purgato animo.

Falsificāt Sco.

Præterea arguo contra hanc secundam partem, probando scilicet, quòd Deus potest localiter mouere in instanti motu includente totam realitatem motus ex Scot. 2. d. 2. q. ii. C. loco ab ipsis cit. pro eorum prima parte conclusionis, vbi habet, quòd Angelus non potest moueri localiter in instanti motu includente totam realitatem motus, quia virtute sua naturali non potest habere plura Vbi æqualia.

Confut. 2.

Tunc sic; quòd potest habere plura Vbi æqualia virtute sua, vel alterius potest moueri in instanti motu includente totam realitatem motus, aliter ratio Sco. nulla esset; sed Angelus, & quodcunque mobile potest virtute diuina habere plura Vbi adæquata; ergò potest virtute diuina moueri in instanti motu includente totam realitatem motus: Maior etiam est Sco. & ab ipsis, ac omnibus Scotistis, con-

cessa

cessa, vt diffusè probaui prima parte meæ Philosophiæ disp de loco.

Præterea Deus potest in instanti generare corpus minus corpore corrupto, V.G. secundum decem palmos, & potest in instanti mouere aerem circumstantem, vt vniatur superficiei corporis geniti, vt impediat Vacuum, quia tunc vacuum à Deo impediri non posset, & est Scot. 4. d. 43. C. D. ergò motus localis potest etiam à Deo in instanti fieri, vt includit totam realitatem motus, prob. Consequentia, quia aer motus à Deo in instanti haberet Vbi intermedia simul cum termino motus, vel non; si sic, habetur intentum, quia ille motus haberet totam realitatem motus; si non; ergò Vbi intermedia essent vacua; ergò Deus non posset Vacuum impedire. *Confut. 1. efficacissime.*

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Motus potest fieri in instanti per potentiam Dei, vt includit totam realitatem motus.

Elicitur ex Sco. 2. d. 2. q. 9. z. & q. ii. C. 4. d. 43. q. 5. D.

PRo cuius declaratione Not. Primò, quòd cum dico motum posse fieri in instanti, non intelligo de motu formaliter accepto, qui secundum meam sententiam est essentialiter successiuus, cuius mensura intrinseca, & extrinseca est Tempus, & ideò non potest habere partes simul, sed vnam post aliam, & non potest dari motus instantaneus contra Meld. & Cat. Sed intelligo de motu pro materiali, seu pro termino ad quem est motus, ita quod sit sensus, quòd forma, quæ aquiritur in tempore, possit aquiri in instanti, vel subiectum, quod aquirit V. G. albedinem in tempora, & consequenter per motum, potest eam aqui-

rere in instanti, & ita per mutationem, cum mutatio, & motus solùm per successiuum, & simultaneum formaliter distinguantur.

Secundò Not. ex Sco. loco in principio cit. quòd motus potest accipi dupliciter; Vno modo, vt includit totam realitatem motus; Alio modo vt includit tantùm realitatem termini motus, & potest expressius exemplificari de motu locali, idest vel pro motu locali, vt includit omnia Vbi intermedia, vel vt includit tantum terminum, & vltimum Vbi. V.G. si aliquis moueretur de Domo in forum, inter Domum, & forum sunt multa Vbi intermedia, tunc motus includeret totam realitatem, quando includeret Vbi intermedia, & vltimum Vbi in foro, & si motus fieret in instanti, includeret totam realitatem motus, si omnia illa Vbi haberet simul quæ haberet successiuè; si verò mobile moueretur à Domo in forum, non transeundo per media, sed tantùm aquireret Vbi in foro, tunc ille motus non includeret totam realitatẽ motus, sed tantũ realitatem termini motus, loquendo de motu includente totam realitatem motus, dicit Sco. quòd Angelus non potest moueri in instanti virtute sua naturali, quia virtute sua naturali non potest habere plura Vbi æqualia, igitur secundum Sco. si Angelus posset virtute sua naturali habere Vbi æqualia in instanti, posset in instanti moueri motu includente totam realitatem motus, negat itaque Sco. Angelum, & per consequens quamlibet Creaturam posse moueri in instanti naturaliter, & per virtutem naturalem, loquendo de motu secundum totam realitatem, sed non negaret de potentia diuina, quia Angelus non solùm, sed quodlibet corpus potest per potentiam Dei habere plura Vbi adæquata in instanti, & loquitur de potentia Dei absoluta.

Quid sit motum includere totam realitatem motus.

Tertiò Not quòd hic non loquor de aliis motibus, scilicet de generatione, augumentatione, & alteratione, quæ inter alios motus conceditur etiam fieri naturaliter in instanti

ſtanti, quia non eſt difficultas, ſolum diſſidium eſt inter Scotiſtas de motu locali, vt includit totam realitatem motus, de cuius ratione eſt quòd ſit neceſſariò ad plura Vbi intermedia, ad quæ tranſitus videtur contrariis Scotiſtis neceſſariò ſucceſſiuus, non tamen mihi, quia cauſa ſucceſſionis in quolibet motu ſecundum Sco. 2. d.2. q.9. Z. eſt reſiſtentia mobilis ad motorem, non quidem talis, quòd mouens non poſſit vincere mobile, quia idem non poſſet vincere ſeipſum, quando aliquod ſeipſum mouet, ſed nec etiam talis, quòd mobile reinclinetur ad oppoſitum, quia talis reſiſtentia ſolùm reperiretur in motu violento, ſed talis reſiſtentia eſt, quòd mobile ſemper eſt ſub aliquo, cui non poteſt immediatè ſuccedere terminus intentus á mouente, & iſta reſiſtentia mobilis ad motorem eſt propter defectum virtutis mouentis, & non propter reſiſtentiam medii ad mouens, & mobile, per quod medium poteſt intelligi omne illud quod neceſſariò præcedit inductionem termini intenti, ſed tale medium non eſt neceſſariò medium, niſi virtuti limitatæ; ſi enim inquit Sco. virtus infinita eſſet, poſſet ſtatim ponere mobile in termino ad quem: Poſſibilitas ergò ſucceſſionis in motu eſt ex reſiſtentia medii ad mobile, & ad motorem, media autem quæ reſiſtunt mobili, vt non poſſit ſtatim eſſe in termino, poteſt intelligi diuiſibilitas partium mobilis, vel diuiſibilitas formæ, ſecundum quam eſt motus, vel vtraque ſimul, neceſſitas tamen ſucceſſionis nunquam eſt in hac reſiſtentia, ſed præcisè comparando iſtam ad agens, cui mobile reſiſtit propter iſtam reſiſtentiam medii ad ipſum agens, quod non poteſt tollere iſtam reſiſtentiam, & hoc, ut dictum eſt prius cum Sco. quia eſt virtutis limitatæ, virtus autem illimitata, & infinita non habet iſtam reſiſtentiam, quia poteſt ſtatim mouere mobile per omnia illa media, & inducere ſimul terminum vltimum intentum, ac etiam multo magis illum terminum vltimum inducere ſine mediis.

Ratio ſucceſſionis in motu.

Quare agens non potest auferri successionē in motu.

Quartò Not. quòd ideò agens non potest tollere resistentiam medii, & per consequens successionem in motu, non quia non possit auferre media, sed etiam quia non potest simul illa media, & terminum inducere. Vnde ex Sco. 2.d.2.q.9.z.media sunt necessariò media virtuti, loquendo tamen in præsenti de virtute motiua, quia non potest simul illa media Vbi, & terminum inducere, ac etiam quia non potest statim terminum facere, nisi prius faciendo illa media, Deus autem cum sit virtutis infinitæ, cui nulla media sunt necessariò media, potest non solùm inducere terminum subitò sine mediis, sed etiam potest mouere mobile simul per illa media, & ad terminum motus, quod est mouere motu includente totam realitatem motus, & per consequens motus localis poterit esse in instanti per potentiam Dei, vt talis motus includit totam realitatem motus.

Vbi mediū est duplex, & quid.

Quintò Not ex Sco. 2.d.2.q.12.A.quòd Vbi medium est duplex. Aliud, quod est inter extrema distantia, quorum medium nihil est extremorum. Aliud, quod est inter extrema immediata, quorum medium est aliquid extremorū. Exemplum Primi. Ponantur duo Vbi secundum palmum distantia, inter quæ mediet Vbi palmare, illud Vbi medium nihil est extremorum, & nihil participat de extremis Exemplum secundi sint duo Vbi palmaria immediata, tunc potest constitui vnum Vbi palmare, quod capiat aliquid de vtroque, & tale potest dici Vbi medium, quod potest in tot Vbi multiplicari, in quot partes potest vtrumque Vbi extremum diuidi, si loquamur de motu continuo, Angelus non potest moueri in instanti, sed necesse est, quòd transeat per quodcunque medium explicatum, quia talia media sunt rationes continuitatis; sed loquendo de motu indiuisibili, potest Angelus moueri in instanti de vno Vbi immediato ad aliud immediatum; Sed loquendo de extremis distantibus habentibus medium distinctum ab extremis, non potest

test moueri in instanti motu includente totam realitatem motus, sed si sit sermo de motu includente tantùm realitatem termini motus, Scotus est problematicus, quia loc. cit. q. ii. C. dicit quòd non est inconueniens, quia hoc modo possit mutari in instanti, quia quod terminus motus non statim inducatur, hoc est ex imperfectione virtutis ipsius mouentis, quæ imperfectio non est attribuenda Angelo, nisi aliqua necessitas appareat: In quæst. verò 12. C. dicit quòd videtur probabiliter, quòd non possit hoc modo moueri in instanti, quia ordò præfixus à superiori agente videtur esse maius cuiuscunque agente inferiori; Vnde quando Angelus mouet se per corpora, quorum est talis ordo, non potest absque omni ordine de quocunque Vbi facere se in quodcunque Vbi immediatè, scilicet in instanti, tunc enim nulla distantia videretur impedire actionem eius; Deus autem cum sit infinitæ virtutis, potest mobile mouere in instanti, inducendo in mobili totam realitatem motus, scilicet quòd in instanti habeat simul Vbi intermedia, & terminum motus; His Not.

Probatur Conclusio omnibus rationibus positis in primo cap. contra secundam partem conclusionis Aduersariorum Scotistarum.

Potest etiam probari tali pacto, Deus secundum omnes Scotistas etiam Aduersarios, potest in eodem instanti replicare corpus in diuersis locis adæquatis; ergò potest ipsum mouere ab extremo ad extremum distans in eodem instanti temporis. Probatur consequentia maior virtus requiritur ad replicandum corpus in instanti in Vbi intermediis, & in termino, quam quod transeat omnia illa Vbi in instanti, quia ad replicandum corpus in instanti in multis locis sint duo miracula: Vnum est quod corpus moueatur localiter in instanti, & quòd idem corpus sit simul in pluribus locis, sed in motu locali instantaneo est tantum vnum miraculum, scilicet instantaneitas motus sine replicatione;

ergò

ergò Deus potest mouere corpus in instanti, ita vt aquirat omnia Vbi intermedia, & terminum motus ordine quodam naturæ, non durationis: ergò per Virtutem Dei potest corpus localiter moueri motu includente totam realitatem motus.

Argumenta Meld. & Cat. Contra Conclusionem primò arguunt Meld. & Cat. in hac disp.n.68.auctoritate Sco.2.d.2.q.9.Z. & q.12.§. ad secundum, & 3.d.4.C. & clarius quolib. 7. supra M. vbi loquens de motu locali instantaneo à Deo facto, ait hoc esse, quia cum sit agens supremum habet omnia media pro non mediis, & ita se habet in termino motus instantanei, ac si transisset per media; ergò de mente Sco. in motu locali instantaneo non habentur illa Vbi intermedia in mobili, sed statim fit in Vbi vltimatum, quod est moueri motu includente realitatem termini motus.

Falsificat. Sco. Respondeo quòd isti Scotistæ non benè referunt Scotum, qui vtique in aliquo loco dicit Deum infinitum posse mouere localiter in instanti aliquod mobile de extremo ad extremum, non transeundo per media, sed non dicit Deũ per eius virtutem infinitam; ideò posse mouere localiter in instanti per hoc solum, quia posset auferre media, sed quia media non sunt sibi necessariò media, vt habet in 2. d.2. q.9. Z. media verò non esse alicui virtuti necessariò media non est auferre media tantùm, sed vt se declarat loco cit. est omnia media facere simul, & terminum, quod non potest facere Angelus (inquit ipse) quia est virtutis limitatæ, quare negatur consequentia, quia de mente Sco. loco cit.& 2.d.2.q.11.C.& 4.d.43 q.3.C.D. non solùm Deus per virtutem eius infinitam potest mouere localiter in instanti aliquod mobile de extremo ad extremum, non transeundo per media, sed etiam simul transeundo per media, & aquirendo terminum vltimum motus; Item falsissimum est, quòd Sco. quolib.7. supra M. clariùs dicat Deum ideò posse mouere in instanti, quia potest auferre media, nam

ibi

ibi tantùm probat secundum Philosophos Deum non posse immediatè, & sine causa secunda Cœlum in Tempore, nec in instanti mouere, vt dictum est in primo cap. examinando contra Aduersarios Scotistas præcitatum locum Sco.

Secundò Arguunt ratione. Si posset esse motus localis in instanti includens totam realitatem motus, necessariò per eundem numero motum instantaneum deberet corpus illud occupare medium, & finem spacii, sicut per eundem numero motum successiuum occupat totum illud spacium; sed hoc est impossibile: ergò impossibilis est motus localis in instanti dicens omnem realitatem motus; maior patet ex diffinitione motus includentis totam realitatem, & exemplo aliorum motum; minor probatur. Non potest facere Deus, quòd idem corpus in eodem instanti occupet spacium, nisi replicando illud toties, quoties requiritur ad totalem replicationem, sed istæ replicationes non integrant vere vnum numero motum cum vnitas numerica motus requirat vnitatem numericam termini; ergò impossibile est mobile vnico motu replere totum spacium, & terminum spacii; ergò impossibilis est motus localis in instanti includens totam realitatem motus.

Respondeo hoc argumentum supponere vnum falsum, quo supposito putant insolubile, supponit enim corpus non posse in instanti localiter moueri, transeundo per media distincta, nisi in omnibus illis replicetur, quòd est falsum: Ideò Respondeo in forma ad sequelam maioris, quæ destruit seipsam, quòd tunc deberet corpus per eundem numero motum instantaneum occupare totum spacium, & terminum spacii, non per replicationem, sed ordine quodam, non durationis, sed naturæ; sicut Angelus pertranseundo ab vno Vbi immediatè, ad aliud Vbi in instanti, habet omnia media, quæ sunt aliquid extremorum ordine quodam naturæ non durationis ex Sco. 2. d. 2. q. 12. C. (Vndè vt ipsi dicunt in hac sequela) sicut per eundem numero motum

succesſiuum corpus occupat ſucceſſiuè, & ordine durationis totum ſpacium, & terminum ſpacii, ita per eundem numero motum inſtantaneum corpus per potentiam Dei occuparet ordine naturæ totum ſpacium, & terminum ſpacii, & hoc modo intelligitur diffinitio motus includentis totam realitatem, quòd ſcilicet ipſum corpus tranſeat, & aquirat media ſimul, & terminum, ideſt in eodem inſtanti, cum quo ſtat ordo naturæ; Ad minorem cum dicitur, quòd hoc eſt impoſſibile, nego; Et cum probatur, quia Deus non poteſt facere, quòd idem corpus in eodem inſtanti occupet ſpacium, & terminum motus, niſi replicando illud, nego, quia tunc corpus tranſiret omnia illa Vbi ſine replicatione, ſicut corpus naturaliter occupat totum ſpatium, & terminum motus ordine durationis ſine replicatione, quapropter licet impoſſibile eſſet vnus motus numero cum replicatione, non eſt tamen impoſſibilis ſine replicatione, hoc autem poteſt facere Deus, ſed non probant contrarium, quòd probare deberent ad hoc, vt ſtaret argumentum in ſuo robore.

Argumentum Auctoris contra ſeipsū. Contrà tamen ego probo pro ipſis, quòd corpus non poteſt per potentiam Dei moueri in inſtanti localiter motu includente totam realitatem motus, niſi in omnibus vbi intermediis multiplicetur ex principiis Sco. in 2.d.2.q.ii.C. vbi habet quòd Angelus non poteſt moueri localiter in inſtanti motu includenre totam realitatem motus, quia ſua virtute naturali non poteſt habere plura Vbi æqualia, ergò Deus non poteſt mouere corpus, vel Angelum localiter hoc modo in inſtanti, niſi illud habeat plura Vbi æqualia ſimul, ſed non poteſt facere Deus quòd corpus habeat plura Vbi æqualia ſimul, non replicet illud in pluribus, ergò non poteſt mouere localiter corpus in inſtanti, nec dicente totam realitatem, niſi replicet illud in pluribus locis.

Reſpondeo concedendo conſequentiam, ſed nego mi-

noiem

norem subillatam, quia habere plura Vbi æqualia simul est illa habere in eodem instanti, non per replicationem, sed transeundo ordine naturæ, sicut dicimus, quòd simul in vna hora corpus habet multa Vbi æqualia, non quòd simul remaneat in illis Vbi, sed quia per illa Vbi transiuit, sic corpus per virtutem Dei habet simul, idest in eodem instanti plura Vbi, non quòd remaneat in illis Vbi, & replicetur in illis, sed quia transiuit omnia illa Vbi, non remanendo in vnoquoque illorum, sed tantùm in termino motus quiescendo, & sic negatur consequentia.

Tertiò. Si motus localis potest fieri in instanti; ergò in eodem instanti corpus simul moueretur, & quiesceret, quòd est falsum, quia vt probatum est aliàs secundùm Sco. priuatiuè opposita non possunt esse simul in eodem instanti.

Respondeo negando consequentiam; Et cum probatur, quia priuatiuè opposita non possunt esse simul in eodem instanti secundùm Sco. dico quòd non possunt esse simul in esse quieto, possunt tamen esse in fieri, sicut in generatione, quæ fit in instanti priuatio secundum esse recedens est simul cum forma in fieri, & in introduci, & Angelus secundum Sco. potest de vno ad aliud Vbi moueri in instanti, & per consequens simul est in eodem instanti priuatio cum Vbi opposito, quòd aquiritur, sicut simul sunt motus, & principia eius, quia principiato in actu secundum Aristotelem correspondet principium in actu, nam repugnat principium esse in potentia, & principiatum in actu, aliter principiatum esset sine suis principiis, & sic aliquod dependeret essentialiter ab alio, quo non existente, illud nihilominus esset.

Quartò vbi est prius, & posterius secundum partes mobilis, & spacii, ibi est prius & posterius in motu, & Vbi est prius & posterius in motu, ibi est successio, sed quando corpus localiter mouetur, tunc est prius, & posterius secundum

partes mobilis, & spacii; ergò in motu locali erit prius, & posterius, & per consequens successio; Subinfero. sed successio non potest esse in instanti; ergò motus localis non potest esse in instanti.

Respondeo quod Vbi est prius & posterius duratione ibi consequenter est successio, sed Vbi est prius, & posterius natura, nego, quòd ibi sit successio; modò quando corpus mouetur in instanti, ibi est prius & posterius ordine naturæ, non durationis, vt dictum est prius cum Sco. de Angelo, quando in instanti mouetur in spatio diuisibili; & ideò negatur, quòd ibi sit successio; & sic concessa minori subillata, nego consequentiam.

Quintò. Si Cœlum per virtutem Dei in instanti moueretur, sequeretur quòd totum Cœlum, & quælibet pars eius esset in eodem loco, in quo prius erat; ergò in illo instanti Cœlum non moueretur; ergò simul moueretur, & non moueretur. Hoc argumentum est Commentatoris adductum à Sco quolib. 7. L.

Respondeo negando sequelam, quia quælibet pars Cœli transiret totum spacium in instanti, circa quod mouetur in tempore, & sic totum Cœlum in instanti moueretur, quia locaret secundum quamlibet partem eius totum locabile sibi immediatum, & sic negantur consequentiæ.

CON-

CONCLVSIO SEPTIMA.

Motus habet vnitatem quamcunq; extrinsecam, diuersitatem; & contrarietatem principaliter à forma, minus principaliter à priuatione, nullam tamen propriè à subiecto, nisi numericam non simpliciter, sed secundum quid.

Elici potest ex Sco. omnibus in locis, in quibus ponit motum specificari à termino, quo ad primam partem, sed quo ad alias, non inueni Doctrinam in Scoto.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld.& Cat.disp.15. q.7. a. primo num.74. sustinent motum specificari à termino ad quem, & simpliciter negant specificari à termino à quo negatiuo, & probant, quia quòd non est, non potest dare vnitatem motui, priuatio autem non est in motu, & per consequens motum specificare non potest. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed contra hanc opinionem sunt omnia argumenta, quæ confici in prima parte Philosophiæ disp. de Priuatione, in quia ostendo priuationem principiare per suum esse, quia quod non est, non principiat, nec à non ente aliquod dependet, motus autem dependet à priuatione, videatis ibi.

Argumentor tamen principaliter probando priuationem specificare motum saltem minus principaliter. Ab illo motus propriè specificatur, quo posito, ponitur motus, & ipso diuersificato, diuersificatur motus; sed posita priuatione in esse recedenti, ponitur motus, & diuersificata priua- *Cõfutatur*

tione numero, vel specie, vel genere, eodem modo diuersificatur motus; ergò priuatio propriè specificat motum; maior patet, quia non possumus cognoscere extrinsecè vnitatem, & diuersitatem motus, nisi ab illo, cuius vnitatem, & diuersitatem sequitur motus, minor probatur, quia motus est vnus, vel diuersus, quia est inter vnam, vel diuersam formam, & priuationem, quia priuatio est vna, vel diuersa, quia est vnius, vel diuersæ formæ, igitur si motus à forma habet vnitatem, & diuersitatem, habebit etiam à priuatione.

2. dictum Meld. & Cat. Secundò. Dicunt in hac disp. num. 74. Motum specificari à forma, & à termino ad quem nunquam tamen à subiecto.

Confut. ad hominem Hoc dictum est verum, sed ab ipsis sustineri non potest, & probo ex principiis eorum. Non minus relatio constituitur *per esse ad*, quàm *per esse in*, & cùm sint eadem principia constituendi, & distinguendi, non minus specificatur à fundamento, quàm à termino; Hæc maior est ipsorum disp. 8. Logicæ q 4. in principio §. 3. quòd esse in &c. sed motus formaliter est relatio subiecti mobilis ad formam, ergò motus non minus recipit esse à subiecto, quàm á forma, & non minus specificatur à subiecto, quàm à forma; sed motus etiam secundum istos Scotistas specificatur, & accipit suam vnitatem à forma; ergò etiam à subiecto: Hæc mihi videtur manifesta contradictio, quòd relatio specificetur à subiecto, & quòd motus sit relatio, & non specificetur à subiecto.

3. dictum Meld. & Cat. Tertiò: Dicunt isti Scotistæ in hac disp. à 2. nu. 82. quòd vnitas numerica motus desumitur ab vnitate numerica mobilis, quam conclusionem asserunt esse Sco. 4. d. 43. q. p. §. Ad vltimum, & q. 3. M. & 2. d. 20. q. 2.

Cõfutatur, Falsificãt Sco. Sed isti Scotistæ more solito appropriatam doctrinam validant humbra Scoti, qui vel oppositum dicit, vel nihil, vt in præsenti, nam in 4. loco cit. §. Ad vltimum nihil dicit de

de motu, sed tantùm si rederet idem numero, eadem numero vnio partium rediret, & reddit rationem, quia potest redire respectus idem numero, si extrema eadem numero redirent, quæ doctrina vtique posset aplicari ad motum, sed ineptè, quia licet idem numero respectus requirat idem numero subiectum, quia non potest esse in pluribus subiectis, & diuersificato subiecto, diuersificatur numero relatio, tamen identitas numeralis respectus non potest dignosci ex identitate numerali subiecti, vel fundamenti; Nam in eodem numero fundamento possunt esse plures relationes, non solùm numero, sed specie, & genere diuersæ, vt relatio Paternitatis, actionis, passionis, &c; ergò relationes quomodocunque diuersæ essent vna, & eadem numero relatio, quòd est impossibile.

Præterea ad hominem. Vnitas specifica motuum non potest attendi penes subiectum, quia in subiecto possunt esse plures motus specie distincti; Hæc propositio est ipsorum in hac disp a.p.in fine; ergò a pari vnitas numerica motus non potest attendi penes subiectum, & mobile, quia in ipso possunt esse plures motus numero distincti. *Confut. 2° ad hominē*

Reuertamur modò ad Auctoritates Sco. à contrariis Scotistis adductas. Dicunt enim vnitatem numeralem motus desumi ex vnitate numerali mobilis ex Sco. 4. d. 43. q. 3. M. & ibi Sco. solum probat idem corpus mixtum posse redire idem numero naturaliter, posito eodem efficienti, & materia eadem numero, idem dicit. in 2. d. 20. q. 2. loco ab ipsis cit. sed ibi litera B. deducitur totum oppositum de motu, vbi habet, quòd idem homo potuit esse filius Adæ, & filius Abrahæ. *Falsificāt Sco.*

Tunc sic Argumentor. Eadem est ratio de pluribus motibus, ac de pluribus filiationibus; Sed ex Sco. loco cit. possunt esse plures filiationes in eodem homine; ergò plures numero motus; ergò secundum Sco. ex vnitate numerica mobilis non potest desumi vnitas numerica motus.

Quar-

4. dictum Meld. & Cat. quod in sententia ipsorum non potest sustineri.

Quartò. Dicunt isti Scotistæ in hac disp.n.85.loquendo de oppositione motus,quòd quies,& immobilitas differunt, quia immobilitas dicit negationem motus in subiecto non apto nato moueri, quies verò dicit negationem in subiecto apto nato moueri.

Contradictio Meld. & Cat.

Hoc dictum verum est, & potest elici manifestè ex Aristot.5.phyf.t.55.vbi habet, quòd non potest esse quies, nisi in eo, quod natum est moueri, sed in sententia istorum non potest sustineri, quia sibi contradicentes dicunt in disp 14. phys.q.2.a.2.num.26.dari quietem pro pura negatione, ideò dicunt in quocunque instanti,dum fit motus esse quietem negatiuam, quæ dicit negationem motus in subiecto non apto moueri, ac propterea motum fieri ex pluribus quietibus intermediis, quod confutaui, sed hanc contradictionem nondum inuenerim; Ex quibus patet istos Scotistas à diuersis diuersa transcribere, non considerando, quæ prius transcripserunt,hoc est parere confusionem.

Sententia Auctoris. Caput Secundum.

Motus habet vnitatem quamcunq; extrinsecam, diuersitatem, & contrarietatem principaliter à forma, minus principaliter à priuatione, nullam tamen propriè à subiecto, nisi numericam non simpliciter, sed secundum quid.

Elici potest ex Sco. omnibus in locis, in quibus ponit motum specificari à termino, quo ad primam partem, sed quo ad alias, non inueni Doctrinam in Scoto.

PRo cuius declaratione Not. Primò, quòd ens ab eo habet vnitatem,& distinctionem, à quo habet entitatem,

tem, motus autem ex sua ratione formali est talis, ideò ex sua ratione formali habet vnitatem, & distinctionem; Vnitas autem, sicut & distinctio est triplex, scilicet numerica, specifica, & generica, & sic motus à quo habebit esse numericum, specificum, & genericum, ab eo habebit quamcunque vnitatem, & distinctionem, & hoc intrinsecè; Si verò loquamur extrinsecè, tunc motus accipit vnitatem, & distinctionem ab illo principaliter, à quo specificatur, & istud est terminus formalis, & hoc quando forma fluens est eiusdem rationis cum forma terminante; minus verò principaliter à termino à quo, concomitanter verò à forma circumscribente priuationem termini ad quem, à subiecto verò nullam potest accipere vnitatem, vel distinctionem simpliciter, quia idem subiectum potest habere plures motus numero, specie, & genere distinctos, & licet diuersificato fundamento, vel termino tantum diuersificetur relatio, tamen diuersificato fundamento tantùm numero, vel specie, vel genere, non diuersificatur eodem modo relatio, quia motus hominis, & lapidis ad albedinem est eiusdem speciei, & tamen subiectum diuersificatur specie, diuersificato tamen fundamento numero, diuersificatur etiam numero relatio, & sic etiam posita vnitate subiecti, non ponitur vnitas relationis simpliciter, quia licet inter vnum numero fundamentum, & terminum sit vna relatio, tamen cum vnitate fundamenti numerali potest stare diuersitas relationis numerica, specifica, & generica; Vnus enim homo numero potest fundare plures paternitates, similitudines, actiones, passiones, &c. quæ relationes differunt numero, specie, & genere; Motus verò cum dependeat à subiecto, forma, & priuatione, cum dicat respectum subiecti ad formam cum respectu ad non informtionem, cui immediatè succedit informatio, magis principaliter habebit extrinsecam vnitatem, & distinctionem à forma, & minus principaliter à priuatione, quia for-

respectu cuius diuersificetur motus

ma

ma specificat extrinsecè motum, priuatio verò cognoscitur ad cognitionem formæ sibi oppositæ ad quorum positionem, & variationem, necessario ponitur, & variatur motus, si numero, numero, si specie, specie, si genere, genere, concomitanter verò à forma circumscribente priuationem, licet enim talis possit esse diuersæ speciei, vt patet in alterationibus, tamen motus potest ab illa sumere vnitatem numericam, & specificam, quia potest circumscribere priuationem numericam, vel specificam; Vt cum homo fit albus siue homo sit niger, siue rubeus, motus esset vnus numero, quia nigredo, vel rubedo circumscriberet nobis priuationem eiusdem albedinis numero, & siue homo modo niger, modo rubeus fiat albus, nigredo, & rubedo specificant nobis motum eiusdem speciei, quia circumscribunt nobis priuationem eiusdem speciei.

Secundò Not. motum esse diuersum, opppsitum, & contrarium, non est esse vnum, & idem, tamen motus à quo habet vnitatem extrinsecam ab eodem habet diuersitatem, oppositionem, & contrarietatem extrinsecam, de qua loquimur in præsenti, quærendo igitur A quo motus habet vnitatem extrinsecam, sic in genere, inquirimus à quo habeat specificationem, & quamcunque vnitatem, diuersitatem, contrarietatem, & oppositionem, quæ omnia vnico art. vel conclusione declarantur: Relinquo igitur prolixitatem invtilem, quæ parit confusionem, & amplector breuitatem necessariam, quæ aperit claritatem, & distinctionem; multiplicare enim articulos sine necessitate est confundere intellectum, & ignorantiam parere; quare vnitas numerica, specifica, & generica, sicut & diuersitas, oppositio, & contrarietas attenditur principaliter penes formam, minus principaliter penes priuationem, concomitanter verò penes formam circumscribentem priuationem, nullam verò talem penes subiectum simpliciter, quia idem subiectum potest recipere plures formas numero, spe-

A quo motus habeat contradictionẽ, & oppositionem.

ſpecie, vel genere diuerſas, penes verò agens etiam nulla attenditur talis per ſe vnitas, vel diuerſitas, quia à pluribus agentibus numero poteſt eſſe vnus numero motus, ſiue eadem forma producatur in ſubiecto à pluribus ſimul partialiter, ſiue à pluribus totaliter diuiſim; Poteſt tamen vnitas, & diuerſitas accidentalis motus deſumi ab agente, cuiuſmodi eſt naturalitas, & ſupernaturalitas motus, quia eſt ab agente ſupernaturali, vel naturali.

Tertiò Not. vnitatem numeralem motus propriè deſumi à forma, & priuatione, ſed principaliter à forma, loquendo de motu ſecundùm ſe, ſed ſpectata potentia, & ordine naturali, etiam propriè deſumitur à tempore, tamen quia per potentiam Dei idem numero motus poteſt redire in diuerſis temporibus, vnitas numerica temporis non requiritur ſimpliciter ad vnitatem numericam motus, etiam continuatiuam, quia motus poteſt fieri non exiſtente tempore pro menſura extrinſeca, tempus verò intrinſecum, quòd eſt duratio motus, cum tale ſit exiſtentia motus, neceſſariò ſimpliciter requiritur ad vnitatem motus: Vnde ſecundùm Sco.4.d.10.q.3.ſupra E.& d.43.q.p.D. Alia eſt vnitas identitatis ad ſeipſum, & eſt illa, ſecundum quam aliquid formaliter dicitur idem ſibi ipſi, & hæc eſt à differentia numerica, & indiuiduali, vel identitate minori identitati numerali, & hoc tripliciter, vel identitate naturæ ſpecificæ, & hæc eſt à differentia ſpecifica, vt vnitas naturæ humanæ erit à rationalitate, vel identitate naturæ genericæ, & hæc eſt à differentia generica, vt vnitas animalis erit à ſenſitiuitate, vel identitate naturæ generaliſſimæ, & hæc erit à ſua ratione formali generaliſſima. Alia eſt vnitas continuitatis, & eſt continuitas par is ad partem in toto; In propoſito motus habet duplicem vnitatem, quomodocunque accipiendo motum ſiue in genere ſiue in ſpecie, ſiue in numero, nam motus quomodocunque acceptus eſt idem ſibi ipſi, & habet continuitatem partium in ſeipſo, continua-

A quo motus habeat vnitatem numeralē.

Duplex vnitas, & quid ſit.

tur enim per mutata esse; quare si motus fiat in vno, vel diuerso tempore per potentiam Dei redeat, habebit vnitatem identitatis, & continuitatis; Sed stante ordine naturæ, & potentia naturali, vnitas temporis necessariò requiritur ad vnitatem numeralem continuitatis, & identitatis motus, qnia in diuersis temporibus secundum communem cursum naturæ non potest fieri vnus numero motus, si autem fieret diuersis temporibus, quia rediret idem numero, haberet vtique vnitatem identitatis, & continuitatis partium in ipso, sed nunquam haberet continuitatem sibi ipsi ex Sco. loco cit. vbi habet, quòd si corpus esset in pluribus locis distantibus, haberet vnitatem identitatis, & continuitatis partium in toto, sed non continuaretur sibi ipsi, sic motus si in diuersis temporibus fieret, haberet vnitatem identitatis, & continuitatis partium in se ipso, sed sibi ipsi non continuaretur.

Quomodo distinguantur diuersitas, oppositio, & contrarietas.

Quartò Not. quòd diuersitas, & oppositio seù contrarietas distinguuntur sicut magis commune, & minus commune, quia omne oppositum est diuersum, quia nihil opponitur sibi ipsi, sed non omne diuersum est oppositum, seu contrarium, quia contrarietas maximè formalis est inter qualitates, contrarietas relatiua inter relationes, priuatiua inter habitum, & priuationem, contradictoria oppositio inter affirmationem, & negationem, vt patet ex Aristot. in post prædicamentis; Substantia igitur, & quantitas non potest opponi alteri, ni per accidens, scilicet ratione qualitatis, vel relationis annexæ: Vnde cum motus sit relatio formaliter, non potest opponi nisi relatiuè, vel contradictoriè negationi ipsius motus, priuatiuè quieti, quies enim est priuatio motus, nunquam verò est negatio simpliciter, non enim datur quies, nisi subiectum sit aptum natum moueri, vt etiam Meld. & Cat. sibi contradicentes dicunt in hac disp. num. 85. vt notaui in primo cap. motus tamen dicitur formaliter opponi alteri motui ratione formarum ad

Contradictio Meld. & Cat.

quas

quas est motus, ac etiam quietis, accipiendo quietem pro materiali, scilicet pro forma, sub qua subiectum quiescit; dicitur verò diuersum à quocunque motu, & quiete, cum quibus non est idem, non identitas enim dicit diuersitatem, habet tamen motus hanc non identitatem, seu diuersitatem, ac etiam oppositionem, & contrarietatem principaliter à forma, minus principaliter à priuatione, nullam verò simpliciter à subiecto, vt dictum est, quia licet à subiecto dependeat motus in esse, tamen à principio materiali, & potentiali, quod stat cum opposito, non potest principiatum specificare.

Terminus motus est duplex.

Quintò Not. quòd terminus ad quem ipsius motus est duplex, vltimatus, & non vltimatus, seu medius; Vnde quando aliquid localiter mouetur, Vbi vltimatum, est quòd vltimò aquiritur, vbi verò medium est quod mediat inter terminum à quo mobile mouetur, & inter terminum ad quem vltimatè aquisitum per motum; Item si mobile moueretur ad albedinem, si prius fiat rubeus, deinde albus, terminus ad quem vltimatus esset albedo, terminus medius esset rubedo; modò quando dico, quòd motus specificatur extrinsecè à termino ad quem, intelligo de termino vltimato, non autem medio, quia termini medii possunt differe specie à termino vltimato, & tunc fluxus formæ non esset eiusdem rationis cum forma terminante, quia tunc forma fluens esset terminus medius, forma terminans est forma vltimata, quæ licet fluat in motu, quia aquiritur, non fluit tamen simpliciter, & præcisè, quia fluit etiam, & aquiritur forma media: Et hoc est quòd dicit Sco. quòd motuum differentium specie non sunt termini differentes specie, nisi forma fluens sit eiusdem rationis cum forma terminante. His Not.

Probatur conclusio quoad omnes partes simul. A quo aliquod habet suum esse formale, seu specificum, siue numericum, & per ipsum differt à quocunque quod non est

ipsum, ab illo habet quamcumque vnitatem, specificationem, & contrarietatem: Sed motus habet suum esse formale solum à forma, & priuatione, siue specificum, siue genericum, & per ipsa differt à quocunque, quod non est motus; ergò à forma, & priuatione solum habet quamcunque specificationem, vnitatem, & contrarietatem, min. prob; quia solum forma, & priuatio sunt termini formales motus, per quos tantum dignoscitur vnitas, & contrarietas motus, & differentia à quocunque alio, quòd non est motus, quia posita vnitate, & diuersitate terminorum formalium, præcisè ponitur vnitas, & diuersitas motus, & è conuersò, subiectum verò est quid potentiale respectu motus, quòd subiectum quasi contrahitur per tales terminos formales ad talem speciem, vel numerum motus, cum sit omnium motuum commune principium, quo tamen variato, variatur numero motus, & non è conuersò.

Argum. Meld. & Cat.

Contrà Arguunt primo Meld. & Cat. in hac disp. numero 74. probantes vnitatem specificam motus non posse desumi à termino à quo siue positiuo, siue priuatiuo Auct. Sco. p. d. 2. q. 7. T. & d. 13. A. Q. & 3. d. 14. q. p. E. & 4. d. 43. q. p. D. quibus in locis, inquiunt ipsi, docet motum à termino ad quem specificari.

Respondeo quòd ibi Sco. solum dicit motum diuersificari ad diuersitatem termini ad quem, & formæ quando formæ sunt diuersæ, & forma fluens est eadem cum forma terminante, & per consequens deduci potest, quòd specificatio motus à termino ad quem possit deduci ex principiis Sco. sed nihil dicit de priuatione; Vnde à Sco. locis cit. non possunt deducere eorum conclusionem, nec contra me aliquid inferre.

2. Argum: Meld. & Cat.

Secundò, quòd non est, nec manet in motu, nec per se intenditur à natura, non potest specificare ens reale; Sed priuatio non est, nec manet in motu, nec per se intenditur à natura; ergò non potest specificare motum, quia est ens reale.

Respon-

Respondeo ad maiorem, concedendo, quod non est, nec manet in motu non posse ens reale specificare, sed nego, quòd per se non intenditur à natura non posse ens reale specificare, dummodò illud, quod per se non intenditur à natura sit aliquod formale requisitum ad illud, quod per se intenditur à natura, generatio enim solùm per se intenditur à natura, corruptio verò per accidens, tamen quia in generatione per se intenta requiritur priuatio tanquam terminus, ideò potest motum, & generationem specificare; Ad min. nego, quòd priuatio non sit ens, quia est ens reale negatiuum, & manet in motu, quia quòd non est, nec manet in motu, non potest principiare motum, manet enim priuatio recedendo, sicut manet forma in fieri, accedendo, & influxu, & hęc manentia sufficit ad specificationem motus, qui cum formaliter sit respectus ad formam cum respectu immediatæ successionis informationis ad non informationem, erit ens reale secundum quid terminatum ad non ens, non erit etiam inconueniens non ens reale positiuũ esse rationem formalẽ specificãdi motũ.

Tertiò Arguitur ab aliis magis differunt duo motus à nigro in rubeum, quàm duo motus ab albo, & nigro in rubeum, sed duo primi motus differunt numero; ergò duo vltimi motus differunt specie; sed non differunt specie ratione termini ad quem, quia colores rubei non differunt specie; ergò motus non specificatur à termino ad quem, sed magis à termino à quo concomitanti.

Respondeo, quicquid alii dicant, negando maiorem, quia licet in motu termini à quo concomitantes, vt in proposito albedo, & nigredo differant specie secundum se, tamen dicuntur esse eiusdem speciei, quatenus circumscribunt nobis priuationes eiusdem speciei, quia rubeum fit ex albo, & nigro, non vt alba, & nigra sunt, non enim vt talia pertinent ad motum, sed quatenus circumscribunt nobis priuationem rubedinis; accidit enim homini

mini

mini ad hoc vt mutetur ad albedinem, quòd sit albus; vel niger, sed sufficit tantum, quòd sit priuatus rubedine, & sic concessa minori, negatur consequentia; minor etiam subillata conceditur, sed negatur consequentia.

Quartò. Si motus specificaretur à termino ad quem, sequeretur quòd augumentatio esset diminutio, quod est falsum, sequela probatur; Nam moueatur aliquod ex bipedali ad tripedale, est augumentatio; Item moueatur aliud ex quadrupedali ad idem tripedale specie, est diminutio; Sed iste motus differunt specie, & habent eundem terminum specie ad quem: ergò motus non specificatur à termino ad quem.

Respondeo negando sequelam; Ad probationem dico, quòd casus est impossibilis, impossibile enim est quòd quadrupedale possit moueri ad tripedale, quia repugnat aliquod moueri ad quantitatem, quam habet, immò quadrupedale habet quantitatem pedalem, bipedalem, & tripedalem: Vnde quadrupedale non potest moueri ad quantitatem tripedalem, sed tantum ad priuationem quadrupedalis quantitatis, cuius terminus ad quem non est quantitas tripedalis, sed priuatio quantitatis quadrupedalis, & hic motus est diminutio; quæ cum sit motus deperditiuus non potest terminari nisi ad priuationem formæ deperditæ, quando verò pedale mouetur ad tripedale, tunc est augumentatio, quia aquirit maiorem quantitatem, quam non habebat, & terminus ad quem istius motus est, quantitas, & forma absoluta, vt optimè innuit argumentum, quod destruit seipsum; Et ideò concedo, quòd isti motus differunt specie, sed nego, quòd habeant terminum ad quem eiusdem speciei, quia diuersæ speciei est quantitas tripedalis, & priuatio quantitatis quadrupedalis, & ideò isti motus differunt non solùm specie, sed toto genere, cum vnus sit aquisitiuus, alter deperditiuus.

Quintò. Ascensus, & descensus, motus violentus, & natu-

naturalis possunt esse ad eundem terminum specie, & tamen differunt specie; ergò motus à termino ad quem specificari non potest.

Respondeo negando antecedens, quia ascensus, & descensus, naturalitas, & violentia in motu sunt differentiæ accidentales, non essentiales, & sic negatur consequentia.

Sextò. Si motus specificaretur à termino ad quem, sequeretur quòd idem motus componeretur ex diuersis motibus specie distinctis, quod est impossibile, probatur consequentia, quia si lapis moueretur vsque ad aerem, & ad ignem, tunc isti motus essent specie distincti, quia aer, & ignis distinguuntur specie, sicut si lapis moueretur ad aerem, & sine intermissione reuerteretur ad centrum.

Respondeo, quòd forsan non est inconueniens, quòd idem motus totalis componatur ex diuersis motibus specie distinctis, sicut si mobile, quod vltimatè mouetur ad albedinem continuò moueretur per medios colores specie distinctos, tunc ille motus componeretur ex diuersis motibus partialibus specie distinctis, & semper hoc euenit quādo forma fluens est diuersæ rationis à forma terminante: Concesso tamen antecedente, nego consequentiam, quia licet aer, & ignis specie distinguantur, motus tamen locales ad ipsos specie non distinguuntur, quia non essent ad aerem, & igem, vt tales substantiæ sunt specie distinctæ, sed vt quanta sunt, non enim locant, nisi secundum superficiem concauam, ad quam terminatur vbicatio passiua, quæ aquireretur à mobili ad aerem, & ignem, ac propterea Vbi non distinguuntur specie, quia sunt relationes terminatæ ad superficies, quæ sunt eiusdem speciei; Item cum lapis moueretur ad aerem non quiescendo in puncto reflexionis, quia non datur quies in puncto reflexionis, nisi in motu naturali, cum in tali puncto mobile naturaliter detineatur, violentum verò non, quia sequeretur quod *Quando possit esse motus in puncto reflexionis.*

vio-

violentum ex sui natura quiesceret in loco violento, tunc lapis in aere, & centro moueretur ad plura Vbi eiusdem speciei.

Arg. Mel. & Cat. Septimò. Arguunt Meld. & Cat. in hac disp. num. 82. probantes vnitatem numericam motus desumi extrinsecè à mobili auctoritatibus Sco. 4. d. 43. q. p. §. ad vltimum, & q. 3. M. & 2. d. 20. q. 2.

Respondeo Scotum esse infideliter adductum, vt pat. in primo cap.

Octauò. Probant ratione communi ab aliis adducta, quia vnus numero motus non potest esse in diuersis subiectis, sed tantum in vno numero mobili; ergò ad vnitatem motus requiritur vnitas mobilis.

Respondeo concedendo antecedens, scilicet quòd vnus motus non potest esse in pluribus subiectis, & mobilibus, tamen vnum subiectum mobile potest habere plures numero motus; quare negatur consequentia, quia sicuti per Aduersarios motus non specificatur à mobili, quia plures motus specie distincti possunt esse in vno mobili, ita etiam motus non numeratur à mobili, quia in mobili vno numero possunt esse plures numero motus, ab illo enim motus numeratur, & specificatur, cuius numeratio, & specificatio reciprocatur cum numeratione, & specificatione motus.

Nonò. Probatur quòd vnitas mobilis nec etiam secundum quid requiratur ad vnitatem motus numericam, & quòd idem motus possit esse in pluribus subiectis: Nam si canis viuens e muri deiciatur, & in medio moriatur, est idem motus, non tamen idem mobile: ergò vnitas mobilis nec secundum quid ad vnitatem numericam motus requiritur.

Resp. Mel. & Cat. Respondent Mel. & Cat. in hac disp. n. 84. quòd in tali casu non variatur mobile, quia remaneret eadem forma corporeitatis, quæ est subiectum motus.

Sed

Sed hæc responsio est falsa, nam corporeitas non est subiectum motus, sed compositum ex corpore & anima; Nam natura non est mobilis, sed principium mouendi in eo, in quo est, sed corpus canis simul cum anima est natura canis, & per consequens quo canis mouetur; ergò nec corpus, nec corporeitas est per se subiectum motus, vt sunt in cane, mortuo cane, corpus canis non est amplius natura, sed naturale, & mobile, cuius natura. est corporeitas simul cum materia illius corporis; ergò à primo ad vltimum corporeitas non erit subiectum motus; Errauerunt cum alijs eodem modo respondentibus, non considerando quæ dixerint disp. de natura. *Cõfutatur*

Ideò Respondeo quòd si canis viuus è Turri deijciatur,& in medio moriatur,tunc non est idem motus numero secundum entitatem, sed duo motus in diuersis subiectis scilicet in cane vero, & in corpore eius, quia variato fundamento, & termino variatur relatio, nec est vnus vnitate temporis, quia non fit in eodem Tempore motus canis viui, & motus corporis eius, quando moritur, nec vnitatem continuitatis quia ad hanc vnitatem requiritur vnum mobile, & vnus terminus numero, & vnum tempus, licet esset diuersitas medij, vt si lapis à concauo Lunæ ad centrum terræ moueretur, sed diceretur vnus vnitate contiguitatis, & consequenter se habentis; quare negatur consequentia. *Responsio Auctoris.*

Tt CON-

CONCLVSIO OCTAVA.

Indiuisibile si per se esset, non posset moueri nisi motu locali.

Elicitur ex Sco. 2. d. 2. q. 9. S. T. V.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

Opinio Meld. & Cat.

MEld. & Cat. disp. 15. q. 8. a. p. sustinent indiuisibile materiæ posse mutari substantialiter, recipiendo indiuisibile alicuius formæ substantialis, & indiuisibile materiale, seu quantitatiuum, vt punctus, posse moueri localiter, & alterari successiuè, & dicunt hanc conclusionem esse Sco. 2. d. 2. q. 7. §. ad tertium principale.

Falsificãt Sco.

Sed isti Scotistæ non diligenter suum Doctorem considerauerunt, quia subtilissimus noster Doctor loquitur tantùm de motu locali, non autem de motu substantiali, & de alteratione, & declarando successionem motus posse prouenire ex diuisibilitate spatii, & mobilis, docet hanc successionem ex parte mobilis reperiri posse in alterationem, & forsan in augumentatione, ex nullo, quam ex hoc dicto possunt propriam elicere conclusionem, sed legenti, & perlegenti textum, notum erit Scotum hic loqui de successione motus ex parte mobilis, quæ successio potest esse in alteratione, sed nunquam dicitur quod indiuisibile possit successiuè alterari.

Suppositũ falsũ Mel. & Cat. cõfutatum in disp. de continuo.

Præterea isti Scotistæ supponunt vnum falsum in via Sco. quo supposito concludunt indiuisibile posse moueri substantialiter, scilicet quòd detur indiuisibile materiæ continuans partes materiæ, & indiuisibile qualitatis continuans partes qualitatis, sustinentes substantiam, & accidentia materialia esse per se extensa, sicut quantitas cum hac sola differentia, quòd quantitas est extensa impenetrabiliter natura-

turaliter, illa verò penetrabiliter; Sed hoc diffusè confutaui in disp. de continuo, probando substantias, & accidentia materialia esse inextensa, solùm verò esse extensa ratione quantitatis, & non habere partes continuatas per indiuisibilia, sed solùm partes integrales, & entitatiuas inextensas, inextensibiles verò per accidens, scilicet ratione quantitatis, quam habent, vel in qua formæ materiales recipiuntur.

Arguo tamen principaliter quòd indiuisibile non potest alterari etiam per potentiam Dei, si tale indiuisibile per se esset. Tale indiuisibile non posset recipere nisi indiuisibile qualitatis; sed tale indiuisibile qualitatis non esset qualitas: ergò indiuisibile non potest alterari, quia alteratio est tantum ad qualitatem; minor probatur qualitas, sicut & quælibet forma materialis secundum eos ex sui natura, & per se, abstracta quacunque quantitate habet partes continuatas per indiuisibilia: ergò talia indiuisibilia non sunt qualitates, quia indiuisibilia haberent partes continuatas, quòd est contra rationem indiuisibilitatis. *Confutatur principaliter.*

Si Respondeant quòd duplex est qualitas, vt sustinent in hac disp. num 95. Alia est qualitas extensa: Alia intensa; Qualitas extensa est quæ habet partes extensas natas solùm in quanto recipi; Qualitas intensa est quæ indiuisibili de facto inducitur, quæ materialis dicitur non solum quia habeat partes entitatiuas possibiles etiam extendi in subiecto quanto; verum etiam quia est continuatiua qualitatis extensæ, cum sit indiuisibile extensionis; Tunc ad minorem cum sua probatione possunt respondere quòd tale indiuisibile qualitatis non esset qualitas extensa, esset tamen qualitas intensa, quam doctrinam dicunt accepisse à Lychetto 2.d. 2.q.9. exponendo litteram Doctoris. *Resp. tacita Mel. & Cat.*

Sed hæc Doctrina non mihi placet, & videtur contradictionem includere; Nam indiuisibile extensionis non potest esse extensum; sicut indiuisibile longitudinis non po- *Cõfutatur*

test esse longum, vt punctus, indiuisibile latitudinis non potest esse latum, vt linea, indiuisibile profunditatis non potest esse profundum, vt superficies; sed qualitas intensa est indiuisibile extensionis; ergò nullo modo potest extendi; Sed ex doctrina allata hæc qualitas intensa non solùm materialis est, quia est continuatiua qualitatis extensæ, sed etiam quia habet partes entitatiuas possibiles extendi in subiecto quanto; ergò hoc indiuisibile extensionis est diuisibile secundum extensionem: ergò idem indiuisibile secundum eandem rationem indiuisibilitatis suæ erit diuisibile, quòd repugnat.

Confut. 1. Præterea ista qualitas intensiua, quæ dicitur indiuisibile extensionis possibilis tamen extendi secundum ipsos, vel habebit partes continuatas per indiuisibile, vel non: si sic; ergò per aliud indiuisibile; Tunc quæro de isto alio indiuisibili, si habeat partes, & *sic esset processus in infinitum*: si non; ergò eiusdem qualitatis erunt indiuisibilia diuersæ rationis, & sic calor habebit partes continuatas per indiuisibile intensiuum, quod est diuisibile in partes continuatas per indiuisibile simpliciter, & sic primum indiuisibile qualitatis erit indiuisibile secundum quid, non simpliciter. quæ omninò sunt imperceptibilia; si verò dicatur quòd talis qualitas intensiua habet partes nō cōtinuatas: ergò non poterit recipi in subiecto quanto, quòd est contra ipsos, contra quos faciunt omnia argumenta, quæ isti Scotistæ conficiūt ad probandum substantiam, & qualitatem habere partes continuatas, vt patet in eorum disp. de continuo.

Confut. 2. Præterea si indiuisibile materiæ posset recipere indiuisibilia formæ substantialis V.G. ignis, tunc daretur minimum in non viuentibus, quòd est contra ipsos disp. de Continuo, quia indiuisibili non potest excogitari minimum.

Sententia Auctoris . Caput Secundum.

Indiuisibile si per se esset non posset mutari, nisi motu locali.

Est Sco. 2. d. 2. q. 9. S. T. V.

PRo cuius delaratione primo Not. hic sermonem non esse de indiuisibili spirituali, sicuti est Angelus, & Anima, nec de indiuisibili substantiali, quia tale non datur maxime secundum Sco. contra Meld. & Cat. cum substantia, & accidens præcisè sit diuisibilis ratione quantitatis, vt dictum est in disp. de continuo, ac propterea non habet partes continuatas per indiuisibilia, nisi per accidens, sicuti dicimus motũ pro formali esse successiuum, & habere partes continuatas per mutata esse, & tamen in ipso per se nec est pars, nec continuatiuum partis, quia motus formaliter est tantum relatio ad formam successiuè fluentem in subiecto, in quo fluxu considerantur plures respectus, priores & posteriores in ordine ad partes formæ succedentis in subiecto quanto, ratione cuius quantitatis forma extenditur, & dicitur habere indiuisibilia per accidens ratione indiuisibilium in quantitate subiecti vel motus dicitur habere istas partes continuatas in ordine ad gradus qualitatis, qui successiuè in subiecto fluunt, sed tantum ibi est sermo de indiuisibili quantitatiuo, quòd dicitur punctus continuans partes quantitatis, quem punctum existimo non posse à Deo fieri separatum à quantitate, quia quòd est tantum ens, quia aliquid entis non potest per se esse, aliter esset ens per se, & non aliquitas entis, & tale per se ens in nullo prædicamento reponeretur, non in genere substantiæ, vel qualitatis, vel relationis cuiuscũq; vt pat; nec in genere quantitatis, quia indiuisibile continuans quantitatem non est quantitas, quia quantitas

Indiuisibile simpliciter non potest per se esse etiam per potentiam Dei

titas est diuisibilis in infinitas partes, & sic indiuisibile esset diuisibile, nec quantitas continuatur per substantiam, qualitatem, & relationem, ità etiam si darentur per se indiuisibilia continuantia partes formæ materialis, vt falso contra Sco. & Arist. opinantur moderni Scotistæ, tale indiuisibile continuans V. G. partes qualitatis, vel substantiæ, non esset qualitas, nec substantia, quia cum substantia, & qualitas secundùm istos habeat partes continuatas per indiuisibilia ex sui natura, quodlibet tale indiuisibile esset huiusmodi, quod dicit repugnantiam, sicut contradicit indiuisibilia habere partes, & per consequens tali indiuisibili contradicit esse substantiam, vel qualitatem, cuius partes continuaret, sicut dictum est de indiuisibili quantitatis; Sensus est igitur conclusionis, quòd si indiuisibile quantitatiuum, vt punctus per se esset, posset successiuè moueri localiter, non successiuè, quæ esset ex parte mobilis, quia indiuisibile non habet partes, secundum quas posset esse successio in motu, sed successione, quæ esset ex parte spatii, ab vtroque enim potest esse successio in motu locali ex Sco loco cit.

Sensus conclusionis.

Secundò Not. quòd formæ absolutæ ex ratione sua naturali, sibi determinant subiectum, sic quod si forma est simpliciter indiuisibilis non potest esse nisi in subiecto indiuisibili, vt intellectio, & volitio, si verò est indiuisiblis per accidens, vt quælibet forma materialis, quæ est indiuisibilis per se, diuisibilis tantum per accidens ratione quantitatis, in qua accipitur non potest esse nisi in subiecto quanto, si sit accidentalis; si verò est substantialis immediatè est in materia substantiali, quæ cum sint indiuisibiles per se, sunt tamen diuisibiles per accidens ratione quantitatis, quæ recipitur in composito substantiali, quod non potest esse nisi quãtum, ad cuius quantitatem materia, forma, & compositum extenduntur; Vndè intellectio, & volitio, & habitus supernaturales non posѕunt recipi in subiecto diuisibili siue per se, siue per accidens, & formæ materiales non posѕunt in subiecto in-

simpliciter indiuisibili, licet possint per potentiam Dei recipi in subiecto diuisibili habentes tamen modum indiuisibilem ex Sco. 4. d. 10. q. 6. C. modo caliditas potest recipi in corpore non habente modum quantitatis, vt est corpus Christi in Sacramento altaris, quia Deus potest omnem formam imprimere passo, cuius passum est receptiuum, passum autem recipere potest formam materialem quatenus quantum, non quatenus habet modum quantitatis, quæ est conditio recipiendi formam ab agente naturali; quòd non potest agere in passum, nisi sibi proportionaliter approximatum, non potest autem esse sibi propotionaliter approximatum nisi passum sit in loco modo quantitatiuo, & extenso ex Sco. 4. d. 10. q. 6. C. modo cum indiuisibile quantitatiuum sit simpliciter indiuisibile, non est receptiuum formæ materialis, nec alicuius indiuisibilis formæ materialis, quia, vt dixi disp. de continuo contra Pseudo Scotistas cum Sco. expressè, nulla forma materialis excepta quantitate, habet partes continuatas, & indiuisibilia continuantia eius partes entitatiuas, habet tamen partes extensas, & continuatas per accidens ratione quantitatis, in qua recipitur, tale autem indiuisibile est solum receptiuum alicuius relationis, & maximè potentialitatis in loco, sicut de facto vnitum quanto habet propriam pręsentalitatem, non per se, quia non per motum eius, sed per accidens, quia non per motum alterius scilicet corporis, in quo est, sicuti partes corporis habent propriam potentialitatem, licet per accidens ad motum corporis; His Not.

Probatur Conclusio, quòd non repugnat alicui coniuncto, vt tale est, sibi non repugnant, si tale coniunctum esset separatum; sed puncto, & indiuisibili quantitatiuo coniuncto non repugnat potentialitas successiua in spatio, dum mouetur ad motum corporis, repugnat tamen quælibet forma materialis; ergò sibi non repugnaret, si esset per se, & separatum; maior patet quia calori in subiecto non repugnat

gnat calefacere, si esset separatus, sibi etiam non repugnaret talis effectus, nam calefacere competit calori, vt calor est; minor probatur de perfecto spherico super planum perfectum, quia punctus in corpore ad motum corporis fit præsens partibus, & indiuisibilibus spatii, & successiuè successione accepta ex parte spatii diuisibilis, non autem recipit formam materialem, & per accidens extensam ratione quantitatis subiecti, nec recipit indiuisibile formæ, quia tale non est, nec potest esse per se, sed tantùm per accidens, quatenus est in subiecto quanto, ad cuius extensionem dicitur extendi, & continuari per indiuisibilia ad modum quantitatis, sicut dicimus de motu, qui est formaliter relatio, cui extensio, & continuitas per se repugnat.

Contra primo est Arist. 6. phys. t. 86. & indè, qui formant rationes probantes indiuisibile non posse moueri successiuè per hoc quod mobile partim est in termino à quo, partim in termino ad quem. Secundo quia mobile prius pertransit æquale, vel minus, quam pertranseat maius: tertio quia sequeretur, quòd motus, tempus, & spatium in quo fieret motus constaret ex indiuisibilibus, quòd est impossibile: probatur consequentia, quia indiuisibile non potest esse in spacio æquali, nisi indiuisibili.

Respondeo quòd Arist. hic per indiuisibile non intelligit, vt Meld. & Cat. indiuisibile substantiæ, vel qualitatis, quia hæc dari non possunt, sed tantum indiuisibile quantitatiuum, vt punctus; Nam 6. phys. t. 86. habet hæc verba: *Impartibile autem dico id, quòd est secundum quantum indiuisibile*. Hæc Arist. quòd indiuisibile asserit ibi esse solum successiuè mobile per accidens ad motum quanti, cuius partes continuat, non autem per se, loquendo de motu successiuo habente successionem à spatio, & à mobili, nec aliud probant suæ rationes, inquit Sco. 2. d. 2. q. 9. V. & loquitur Arist. de motu locali, quicquid alii dicant.

Sed mihi videtur Arist. omninò negare indiuisibile posse

moueri

moueri, habet enim loco cit. *Quare non contingit id, quod impartibile moueri, aut omnino mutari*; Hæc Arist.

Concedo, quòd Arist. probat simpliciter indiuisibile non posse moueri, nec in hoc sustinēdus est Arist. cuius rationes non conuincunt, quia probant tantum de motu successiuo habente successionem à spatio, & à mobili, nec aliam successionem agnouit in motu. & per hoc negantur à Sco. propositiones Arist. assumptæ ad probandum eius intentum; Quare possumus saluare Arist. dicendo cum Sco. quod probat indiuisibile non posse moueri successiuè, accipiendo successionem à mobili; si verò dicamus Arist. intendere indiuisibile simpliciter non moueri successiuè, dicendum erit Arist. non cognouisse aliam motus successionem, quàm ex mobili & ex spatio simul, quod est negandum, & in hoc non esse sustinendum, punctus enim potest pertransire spatium diuisibile, & in tempore esse in parte spatij, in instanti verò esse in puncto spatij; Nec mirum est, quòd Arist. non cognouerit indisibilia posse diuisibiliter moueri, & in tempore, si Theologi Scotistæ, non cognouerunt indiuisibile posse à Deo in Tempore creari.

Secundo. Si indiuisibile posset localiter moueri præsentia quam aquireret, non esset spritualis, sed corporea, ideoque ex partibus corporis constans, & haberet durationem continuam, quale est Tempus; ergò deberet recipi in subiecto corporeo extenso, cuiusmodi non est indiuisibile.

Respondent Meld. & Cat. quòd hæc præsentia indiuisibilis separati esset eodem modo corporea, ac si pūctus esset iniunctus corpori, quia tunc punctus esset ordinis corporei, quia est aliquid corporis. *Resp. Mel. & Cat.*

Sed hæc Responsio est falsa, quia punctus separatus nihil est corporis, nec etiam potentialiter, quia tale per se existens non posset assumi ad constituendā quantitatem, quæ habet suos punctos intrisecos, & conaturales, præterquam quòd præsupponeretur talis quantitas, quæ posset à tali puncto *Confut. 1.*

continuari; ergò in illo priori quantitas illa esset discontinua, quòd est impossibile etiam in ordine ad Dei omnipotentiam.

Confut. 2. Præterea punctus separatus esset tantum potentialiter corporeus coniunctus verò corpori esset actualiter corporeus & ideò punctus non esset eodem modo corporeus, quando esset separatus, & quando esset coniuctus, & sic illa præsentia, quæ secundum istos Scotistas esset corporea ratione puncti; non esset eodemmodo corporea.

Resp. Auctoris. Ideò Respondeo, quòd si punctus separatus localiter moueretur præsentia quam aquireret, esset corporalis, non ratione puncti, quia talis separatus nullo modo esset corporeus, sed ratione spatii suprà quod fieret motus; Et cum infertur, quòd haberet partes corporeas, nego, quia nullus motus etiam successiuus ex parte mobilis, nec Vbi à tali mobile diuisibili aquisitum. habet partes corporeas, cum sit simplex relatio, sed haberet partes continuatas per accidens, successiuas tamen, loquendo de præsentia successiua, & hoc ratione spatii, cui indiuisibile fieret successiuè præsens. nullus enim motus, vel Vbi alicuius corporis habet partes corporeas, sed dicitur habere partes tantùm per accidens ratione quantitatis mobilis, vel spatii, suprà quod fit motus, sed loquendo de præsentia trasitiua, si punctus sisteret in parte, præsentia haberet per accidens partes, & esset diuisibilis ex diuisibilitate partis spacii; Si verò indiuisibile sisteret in puncto tunc præsentia esset omnino indiuisibilis, nec haberet durationem continuam, quale est Tempus, sed haberet durationem suo modo indiuisibilem, qualem possunt habere relationes permanentes; Et sic negatur consequentia, quia talis præsentia, quæ secundum se est indiuisibilis, diuisibiiis tamen per accidens, non necessariò recipitur in subiecto corporeo, & diuisibili; relatio enim differenter se habet ad subiectum diuisibile, & indiuisibile, quia subiectum non est aliud quatenus diuisibile, vel indiuisibile; Sed

vt

vt talis entitas est abstrahens à diuisibili, vel indiuisibili, nisi sint relationes consequentes quantitatem tanquam rationem formalem fundandi tales relationes, vt sunt æqualitas, vel inæqualitas; Alia argumenta possunt fieri, & solui ex his, quæ dicuntur de continuo.

Tertiò Arguunt Meld. & Cat. in hac disp.nu. 93. contrà secundam partem suæ conclusionis, probando indiuisibile substantiale, scilicet materiæ primæ, posse moueri substantialiter, & indiuisibile quantitatiuum posse alterari, & plures eorum rationes in hac sola consistunt. Indiuisibilia formę recipiuntur in indiuisibilibus subiecti; ergò si indiuisibilia subiecti essent separata, possent eadem indiuisibilia formæ recipere, consequentia patet, antecedens probatur, quia repugnat aliquod recipi in continuo, & non recipi in indiuisibilibus continuatiuis, saltem secundum aliqua indiuisibilia, aliter daretur aliqua pars subiecti continua, quæ reciperet formam absque indiuisibilibus continuatiuis, & forma esset extensa sine indiuisibilibus, quę omnia sunt falsa. *Arg. Mel. & Cat.*

Respondeo hoc argumentum supponere vnum falsum, quo dempto, tota structura argumenti ruit, non enim dantur indiuisibilia per se in forma quacunque dempta quantitate, cum omnis talis sit per se indiuisibilis, vt dictum est contrà istos Scotistas disp. de continuo, & expressè secundum Sco. cum autem in quanto recipitur, extenditur ad extensionem quantitatis, & per consequens per accidens dicitur habere partes extensas, & indiuisibilia per accidens, separata forma à quantitate, non amplius forma est extensa, & per consequens non habet partes continuatas per indiuisibilia, licet habeat partes entitatiuas extensibiles tantùm per accidens ratione quantitatis, in qua recipitur; Nego igitur antecedens; Ad probationem Respondeo quod implicat aliquid recipi in continuo, & non recipi in indiuisibilibus continuatiuis, saltem per aliqua indiuisibilia per accidens, quia sicuti forma est de se indiuisibilis, & inextensa, extenditur

tamen per accidens, quia recipitur in extenso, sic per accidens habet partes extensas, & indiuisibilia, tamen si forma separetur à subiecto, nullas tales partes extensas, & indiuisibilia continuatiua habet, quia tunc esset per se extensa quòd est impossibile, cum talis forma sit sola quantitas; Quare indiuisibile materiæ est impossibile, sicut & indiuisibile formæ substantialis, & accidentalis, dempta quantitate, quia materia, & aliæ formæ solum per quantitatem extenduntur, sic etiam est impossibile, quòd indiuisibile materiæ moueatur substantialiter, & indiuisibile quantitatiuum alteretur, quia non datur indiuisibile nisi quantitatis. Cognitio istius doctrinæ dependet à cognitione continui, quæ à modernis Scotistis totaliter traditur contrà Sco. quam & alia multa contra Sco. moderni Scotistæ, acriter defendunt, quia Sco. non legunt, & veritatem abhorrent.

Præterea dato hoc *supposito impossibili*, quòd indiuisibile materiæ reciperet indiuisibile formæ substantialis, vel qualitatis, tunc illud indiuisibile, nec substantialiter moueretur, vel alteraretur, quia indiuisibile substantiæ non esset substantia, nec indiuisibile qualitatis esset qualitas, sed diceretur moueri alia specie motus omninò diuersa à speciebus motus ab Arist. cognitis.

Aliam conclusionem non pono, quæ in lib. de Cœlo disput. de Elementis habebitur probando elementa à seipsis posse moueri.



CON-

CONCLVSIO NONA.

Sufficienter, & præcisè per motum ostenditur propriè existentia primi motoris.

Elicitur ex Sco.q.3.prol.V. & 2.d.2.q.x.G.

Opinio Aliorum. Cap. Primum.

MEld.& Cat.disp.15. q.8. a.3. asserunt non sufficienter demonstrari primum motorem per motum, & dicunt esse Sco.q.3.prol. V.& p.d.2.q.p.per totum, & sustinent posse demonstrari primum motorem esse medio physico, & metaphysico, fortiùs tamen, & magis propriè medio metaphysico ex Sco. in prol. loco cit. *Opinio Meld. & Cat.*

Sed isti Scotistæ sæpe sæpius citant Sco. pro eorum opinione iis in locis, in quibus Doctor est omninò contrarius; Nam in locis cit.Scotus non asserit primum motorem insufficienter ostendi per motum, sed ex passionibus metaphisicalibus ostendit dari primum ens primitate causalitatis, & existentiæ, sicut etiam in prologo, in quo doctrinam ponit istis Scotistis oppositam; Probat enim, quòd aliud est ostendere primam causam esse, aliud est primum mouens, nam ostendere esse primam causam, est ostendere esse primum ens independens, & necesse esse, quòd est perfectius, quam esse primum mouens, hoc demonstratur ex passionibus naturalibus, illud verò ex passionibus consideratis in metaphisica; hæc sunt verba Sco. *Perfectius ostenditur primam causam esse ex passionibus causatorum consideratis in Metaphisica, quam ex passionibus naturalibus, vbi ostenditur primum mouens esse*; Ex quibus elici non potest, vt moderni Scotistæ, quòd perfectius ostendatur primum motorem per passiones Metaphisicas, quam per passiones natu- *Cõfutatur Falsificans Sco.*

rales,

rales, sed quòd est perfectius ostendere primam causam esse per passiones Methaphisicas, quam primum motorem esse per passiones naturales, vt immediatè subiungit Sco. his verbis: *Perfectior enim cognitio, & immediatior est de primo ente cognoscere ipsum, vt primum ens, vel vt necesse esse, quam cognoscere ipsum, vt primum mouens:* Hæc Sco. videant modo veri Scotistæ, si isti Scotizantes possunt ex hac doctrina elicere propriam opinionem, scilicet quòd Sco. dicat primum motorem esse, posse demonstrari medio Methaphisico, & Phys. & insufficienter medio Phys. cum Sco. asserat primum mouens demonstrari per passiones naturales, & non dicat demonstrari medio Metaphisico.

Confut. 2. Præterea probo contra ipsos primum motorem esse, non posse demonstrari medio Phys. ac etiam Metaphisico: Nam hoc vel est suppositum in *Physica, vel in Metaphisica*, si in Phys. ergò perfectius potest demonstrari medio Physico, quam Met. si in Methaphisica; ergò nullo modo potest secundum Sco. demonstrari medio Phys: probatur quia sequeretur, quòd scientia naturalis esset simpliciter prior tota Metaphisica, quia Philosophia naturalis ostenderet de subiecto Methaphysico si est, quòd supponitur toti cognitioni scientiæ Methaphisicæ, ita Sco. in prol. loco ab ipsis cit. T.

Confut. 3. Præterea probo, quòd sufficienter, & immediatè ostenditur primum motorem esse per motum: Nam immediatè ex esse vnius relatiui sequitur esse sui correlatiui ex Sco. p. d. 2. q. p. & q. 3. prol. G. loco ab ipsis cit. sed primum mouens, vt mouens est, dicit ordinem ad motum; ergò ex esse motus sequitur immediatè primum mouens esse, vt mouens est.

Sco-

Sententia Auctoris . Caput Secundum.

Sufficienter, & præcisè per motum ostenditur propriè existentia primi motoris.

Elicitur ex Sco.q.3.prol.V. & 2. d.2. q.2.G.

PRo cuius delaratione primo Not. quòd aliud est ostendere primum motorem esse, & aliud primum motorem esse primum ens, causam primam independens, & necesse esse, hoc enim ad Methaphisicum pertinet, illud verò ad Physicum, conclusio autem physica non debet medio Methaphisico demonstrari, nec conclusio Methaphisica medio Physico, dixit enim Arist.primo post.t.60. non licere Geometræ demonstrare conclusionem Methaphisicam, quia hoc esset transcendere de genere in genus; quare cum substantiæ immateriales, quæ sunt considerationis Methaphysicæ possint sub diuersis rationibus considerari, & attributis, quorum alia sunt prædicata per indifferentiam, & metaphysicalia, vt esse primam causam, independens, & necesse esse, alia vt dicunt ordinem ad phisicalia, & secundum prædicata limitata, & determinata, vt esse primum motorem, quod dicit ordinem ad motum, & hoc est prędicatum physicale, quod solùm ad physicum spectat, & medio physico potest demonstrari: Nam si primum motorem esse esset suppositum in metaphysica, non posset nisi medio metaphysico demonstrari à posteriori, & non medio physico, quia vt inquit Sco.q.3.prol.T. scientia naturalis esset simpliciter prior tota metaphysica, quia philosophia naturalis ostenderet de subiecto metaphysico si est, quòd supponitur toti cognitioni scientiæ metaphysicæ; Vnde fallum est quòd dicunt Meld.& Cat.scilicet primum motorem esse ad metaphysicum spectare, & posse medio physico *Falsitas Meld. & Cat.*

fico

fico probari, licet Philosophus posset confusè cognoscere ex rebus naturalibus obiecta Metaphysicalia, scilicet primum motorem esse substantiam immaterialem, & separatam ex hoc, quòd mouetur est corporeum, & materiale; ergò immobile, & primus motor est immaterialis, & incorporeus, sed hoc distinctè cognoscere ad metaphysicum pertinet, qui supponendo ex Philosopho primum motorem esse, inuestigat quid sit iste primus motor, cuius naturæ, & quas proprietates habet, quia scientiæ mutuo se iuuant; Vnde Philosophus non cognouit simpliciter substantias immateriales esse, & separatas, sed tales esse sub ratione mouentis, & sub ratione physica; Vnde Metaphysicus supponendo primum motorem esse, & postea inuestigando quid sit ipse primus motor, & cuius naturæ, non eget Metahpysicus medio Physico ad probandum substantias abstractas esse & immateriales, sed eget suppositione conclusionis naturalis, scilicet quòd primus motor sit: Et licet in 12. met. demonstretur primum motorem esse, non est dicendum hanc esse conclusionem Metaphysicam, sed à Metaphysico esse repetitam ad maiorem declarationem.

Secundò Not. quòd demonstrare primum motorem esse per motum, est demonstrare à posteriori, quæ demonstratio non est propriè demonstratio, sed largo modo accepta, quia, vt diffusè dixi in logica disp. de demonstratione, non datur demonstratio nisi in terminis conuertibilibus, & necessariò connexis; Vndè solum dantur duæ species demonstrationis specialissimæ scilicet *propter quid*, cuius medium est diffinitio subiecti, & demonstratio *Quia*, cuius medium est passio ipsius subiecti, aliæ autem, præter has, sunt impropriæ demonstrationes; Quare cum motus non sit accidens conuertibile, nec proprietas, vel immediatum attributum primi motoris, ostendere primum motorem esse per motum, est demonstrare omninò per accidentalia, & per consequens non erit, nisi demonstratio *Quia* impropriè dicta; His Notatis

Pro-

Probatur Conclusio. Nàm quòd primus motor sit, est conclusio physica, ergò medio physico sufficienter probari potest; Consequentia patet, antecedens probatur, quia mouens esse dicit ordinem, & relationem ad motum, & passionem physicam: ergò mouentem esse erit physicæ considerationis; ergò primum ens, vt primo mouens est, erit physicæ considerationis efficatius tamen probatur vltima ratione posita in primo cap.

Cantra est Meld. & Cat. in hac disp. nu. 105. Primò au- *Argum. Meld. & Cat.* ctoritate Sco. q. 3. prol. V. & p. d. 2. q. p. per totum. Secundo Ratione, quia si per motum possumus demonstrare primum motorem esse, demonstraretur per hoc principium Arist. scilicet quia omne quod mouetur ab alio mouetur; sed hoc principium non est firmum etiam in via Arist. loquẽdo de alietate omninò distincta & suppositali, quia Arist. sustinet elementa posse à seipsis moueri; ergò per motum non possumus demonstrare primum motorem esse.

Respondeo ad Auctoritatem Sco. quòd ipsæ faciunt pro me. Nam ibi dicit Sco. vt patet in primo cap & primo Not. quòd aliud est demonstrare primum motorem esse, & primum motorem esse primam causam ens independens, & necesse esse; hoc perfectius demonstratur per medium metaphy. illud verò per medium phys. & passiones naturales, & reddit rationem in prol. cit. quia perfectior, immediatior est cognitio de Deo, quòd sit prima causa ens independens, & necesse esse, quam esse primum motorem.

Ad Rationes istorum Scotistorum. Respondet ipsemet *Resp. ipse Sco. ad arg Meld. & Cat.* Sco. 2. d. 2. q. X. G. ad hanc obiectionem scilicet quomodo Arist. potest sustinere quod elementa à seipsis moueantur, & quòd omne, quod mouetur ab alio mouetur, vt demonstraret primum motorem esse. Respondet ipse Sco. hæc sunt verba Sco. *Dico, quòd satis habet hoc ex distinctione potentiæ, ista enim reducunt se ipsa de potentia secunda ad actum secundum, nisi prius reducta fuerint de potentia prima ad actum pri*

mum, vel saltem posset reduci ad actum primum, quod dico pro totis elementis, quæ tota secundum ipsum sunt ingenerabilia, & incorruptibilia, & tamen quia sunt eiusdem rationis cum partibus suis non repugnat eis reduci de potentia prima ad actum primum, sicut partes eorum reducuntur, sequitur ergo quòd omne graue, & leue, licet moueat se effectiuè de potentia secunda ad actum secundum, tamen mobile est, vel mouetur ab aliquo alio extrinseco à potentia prima ad actum primum, non enim oportet quod si omne, quod mouetur, ab alio mouetur, quod in omni motu moueretur ab alio, & sufficit Philosopho primum, quia per hoc deuenietur ad aliquod aliud ab omnibus istis, quod nec in vno motu, nec in quocunque poterit moueri ab alio, sed est omninò mouens immobile: hæc Sco.

Si dicas quomodo elementa possunt moueri ad actum primum, si mobile debet præsupponi motui; quod autem mouetur ad actum primum non præsupponitur, sed fit in actu primo.

Respondeo quòd elementum dicitur moueri ad actum primum per generationem, non quia ipsum sit subiectum generationis, sed ratione eius materiæ, quæ recipit formam elementi, vel dicendum erit, quòd ibi Sco. accipit motum pro transitu de non esse ad esse, scilicet de non esse in actu primo, & sic elementum, quod mouetur localiter, prius mouetur ab alio per generationem, & sic procedendo vsque ad primum motorem, qui nec mouetur ad actum secundũ, nec ab alio mouetur ad actum primum, sed est omninò immobile.

2. Respõsio Sco. ad argum. Mel. & Cat. Secundò Respondet Sco. ad obiectionem Meld. & Cat. dicendo: similiter etiam potest dici quòd in isto motu, & si moueantur à se effectiuè, non tamen mouentur à se, sicut à primis mouentibus ex quo non mouent se per cognitionem; sequitur quòd præsupponant aliquid sic mouens per cognitionem, & ita licet moueant se effectiuè, non tamen sic, quin moueantur ab alio, licet non sicut à causa proxima.

FINIS.

Errata Corrige

Passio mensuræ, Ratio mensuræ pag. 2. In sua, In sententia 9. conaturaliter, conatutalem, 11. Discensionem, Dimensionem, 11. Reperiretur, reperitur 12. Primo, ergo, 20. organizare, organizari 21. quantitatiuè, quantitate, 27. ia, in 39. parta, parte 43. sine, si etiam 71. excenderet, excederet 75. & ipsa nes, & ipsa res 77. procederet, producere 89. Dans, Deus 104. Tamen, tantum 109. Contradicere, contradiceret 112. Repugnaret, repugnarent 103. Prior, probatur 113. quia mensuram & quantitatem, quia mensurare est quantitatem 119. quæ non possunt excedi, quæ possunt excedi 121. sua, sub 122. Insoluile, insolubile 126. categoremacum, categorematicum 132. incluederet, includeret 132. Ex Sco. p. d. q. 2. p. d. 2. q. 2. 132. essertum, assertum 133. rocedit, procedit 134. quod illas, quod illa 137. compræhenbilis, compræhensibilis 138. vniuersalem, vniuersale 139. quæ, quia 143. Deoniendum deueniendum 145. D. Thomæ, D. Thomam 148. pesset, posset 149. suo, sub 150. craturis, creaturis 159. vlterius, alterius 161. apuch, adhuc 163. ills, illas 164. quia scibilia, quæ scibilia 165. quo, quod 168. later, latera 173. questo, quæstio 175. rinom, vinum 181. constituit, constituitur 183. Dos, bos 184. Distinguentur, distinguuntur 184. Concepta, conceptu 184. Conueniuat, conueniunt 184. Præterea falsum, & negatiuum est &c. Præterea falsum est, quod Sco. non cognouerit spatium imaginarium, & negatiuum 187. Imaginariam, imaginarium 189. Rum locantem, rem locatam 194. formaxis, formalis 203. locatè, locati 209. vel vnum ageret, vel neutrum ageret 252. vbi, ibi 252. Naturo, natura 254. Digeriret, digereret 257. Deperdit, deperditum 269. vult, valet 271. vicibus, viribus 283. Sco. non est problematicus, Sco. est problematicus 304. Repuret, repugnaret Eiclitur, elicitur 322. Succedetis, succedentis 330. potenti, potentia 342. Relationes tertii modi, relatiua 351. portæ, parte 351. Certificali, certificari 354. mensuratum, mensuratur 357. minor tempus, minus tempus 367. mensuratur æuo, & tempore per se, & non tempore 372. pectis, partis 373. mnou, motu 374. Et motus quia per se, & motus qui per se 376. mensurare, mensurari 377. iliam, illam Natum moueре, natum moueri 391. siuè, sinè 407. solet, solent 414. liecet, licet 416. pro ipsius, pro ipsis 429. quem, quam 433. tornra verò, formam verò 434. præpicamentum, prædicamentum 437. qua, qui 442. actualiter scientiam, actualiter sciens 458. raione, ratione 471. seù, sed 473. pensatio, sensatio 480. loquetur, loquatur 486. secundari, secundam 487. Tempora, tempore 489. videtur esse maius cuiuscunque agente inferiori, videtur esse necessarius cuicunque agenti inferiori 493. Non replicet, nisi replicet 496. non successiuè, non successione.

